




(Aimerich)
NTB

MATTHAEI AIMERICHII

SPECIMEN VETERIS ROMANAE LITTERATURAE DEPERDITAE, VEL ADHUC LATENTIS:

SEU

SYLLABUS HISTORICUS, ET CRITICUS


VETERUM OLIM NOTAE ERUDITIONIS
ROMANORUM AB URBE CONDITA
AD HONORII AUGUSTI EXCESSUM:

EORUM IN PRIMIS, QUORUM LATINA OPERA, VEL OMNINO, VEL EX PARTE DESIDERANTUR.

ACCEDUNT OPPORTUNAE ADNOTATIONES, MULTA COROLLARIA, ET NONNULLAE DISSERTATIONES.

Contenta in hoc Opere, quibus Bibliotheca Vetus Latina Fabricii, etiam ab Ernesto aucta, et emendata, in multis commodior, uberior, et expeditior reddi potest, post Praefationem indicantur.

PARS I.



FERRARIAE MDCCLXXXIV.

EX TYPOGRAPHIA HAEREDUM JOSEPHI RINALDI.

Superiorum Permissu.

Nullum majus felicitatis specimen arbitror, quam semper omnes scire cupere, qualis fuerit aliquis. C. Plin. Secundus *Hist. Nat. lib.* 35. *c.* 2.

Vetustas non pauca depravat: multa etiam tollit. Varro in *Prooem. ad lib.* 4. *de Lingua Lat.*

O! quàm egregia COMPLURIUM *Opera in occulto jacent*. Ex L. An. Sen. *in Consol. ad Albinam*.


Cum constet ex vet. Auctorum, qui supersunt, lectione, alios praeterea innumerabiles scripsisse, quorum libri intercidisse creduntur; nota habere eorum nomina oportet, ut si quid eorum ad bibliothecae Praefectum perferetur, minime negligatur. Ex Joan. Bapt. Cardona, Episc. Ausetano, postea Dertosano in Catalonia, in *Comment.* de Regia Escurialis S. Laurentii celebri Bibliotheca.

A. ☧. Ω

NVNQVAM . INTERMORITVRAE . MEMORIAE
VIRI . IMMORTALITATE . DIGNI

IOANNIS. SANTANDERII

NATALIVM . AC . DOCTRINAE . SPLENDORE . CLARISSIMI
MORVM . GRAVITATE . RELIGIONE . ET . PRVDENTIA . SPECTABILIS
INTER . HISPANOS . HONORARIOS . FIDEI . QVAESITORES
ADSCRIPTI
ET . REG . PRIMARIAE . MATRITENSI . BIBLIOTHECAE
PRAEFECTI
FATIS . FVNCTI . VIII. KAL. OCTOB. AN. SALVTIS
CIↃIↃCCLXXXIII . AETATIS . LXXI
QVOD . ILLE . DVM . VIXIT . VIROS . LITTERATOS . CONSILIO
OPE . LIBRIS . ADIVVARE . PRO . VIRILI . PARTE . STVDVERIT
EOSDEMQVE . AD . ILLVSTRANDAM . HISPANIAM
EXCITARE . ATQVE . INFLAMMARE . NON . DESTITERIT
QVOD . EO . DVCE . SVB . CATHOLICI . REGIS . CAROLI . III
AVSPICIIS . ET . EXPENSIS
FVSORIA . TYPORVM . ET . ARCHETYPORVM . ARTE
CVM . TYPOGRAPHIA . AD . SVMMVM . NITOREM
ATQVE . ELEGANTIAM . IN . HISPANIIS . PERDVCTA
IN . OBSCVRO . IACENTIA . MVLTA . MANVSCRIPTA
TVM . GRAECA . TVM . ARABICA
ALIAQVE . IAM . RARA . ET . VIX . INVENTA . OPERA
HISPANA . ET . LATINA
AB . IMMINENTI . INTERITV . VINDICATA . ET
DENVO . VVLGATA . TYPIS . FVERINT
QVOD . LITTERARVM . AMORE . FLAGRANS . HONORES
AMPLISSIMOS . INFVLAS . A . REGE . NOSTRO
IN . LITTERATOS . MVNIFICENTISSIMO . OBLATAS
MODESTE . RECVSAVERIT
VETERIS . LITTERATVRAE . DE . QVA . BENEMERITVS . FVIT
NOMINE
HVIVS . SYLLABI . HISTORICI . ET . CRITICI . AVCTOR
PVBLICVM . AMORIS . ET . GRATI . ANIMI . TESTIMONIVM
QVOD . VIVENTI . DEBEBAT . MORTVO . PRAESTARE . CVPIENS
H . M . SINGVLARI . IN . PROSPERIS . ET . ADVERSIS
AMICO . CARISSIMO
L . ET . MOERENS . P



Q. MODERATI CENSORINI

AD LECTOREM VETERIS ROMANAE LITTERATURAE NOSCENDAE STUDIOSUM

PRAEFATIO, ET ANTEOCCUPATIO.



Pus istud, Lector benevole, quod: *Specimen Veteris Romanae litteraturae deperditae* (*a*), *vel adhuc latentis*, seu *Syllabus Hist.*, *et Criticus* cet. inscribitur; quodque *Commentarius Critico-Historicus de ortu, vita, et fato veteris Rom. Litteraturae* posset non inscite appellari, tibi offero: quin ex eo Auctor, sanguine mihi conjunctissimus, ingenii laudem ambiat, licet nonnullam saltem mereatur commendationem laboris: quo nempe constare poterit, si desint alia, Hispanum hominem, in Italia diu commorantem, vitam ignavo otio deditam, quantumvis multa ad hoc allicerent, neutiquam transegisse. Collectos namque, et ad Alphabeti litterarum seriem redactos, ordinatosque videbis in hoc *Syllabo*, seu Indice ad normam *Lexicorum* lucubrato, ad MDCC., et eo amplius veteres Litteratos Romanos, non praetermissis doctis foeminis, a Roma condita ad Honorii Rom. Imperatoris e vita decessum, ad an. Christi scilicet CCCCXXIII., quorum Latina Opera, vel nulla, vel non omnia, vel fracta, mutila, aut affecta ad nos pervenerunt: quod ea nempe, vel temporum injuria, barbarorum incursionibus, librariorum inertia, vel etiam hominum eruditorum in eis disquirendis lassitudine, aut in bibliothecas, et tabularia difficili aditu, ac denegato ob justas caussas Codicum antiquorum examine, adhuc lateant, aut penitus interierint. Eos autem Romanos litteratos appellat Auctor, de quibus constat, vel Romae, aut in Latio natos, ac educatos, aut ori-

(a) Deperditum dicitur, quod in rerum natura esse desiit. *Ita Cajus, sive Gajus, antiquus Jurisconsultus. Vide in* Digestis. L. Deperditum 21. lib. 5. tit. 3. de pet. haered., *ubi dictum GaI ex* lib. 6. ad Edictum Provinciale. *Miror, a diligentissimo Forcellino id omissum, verbo* Deperdo, *in magno* Lexico *suo*.

gine Romanos fuisse, (quod ex eorum nominibus dignosci potest,) vel qui, quamvis exteri, aut Romae, aut in provinciis Rom. Imperio subjectis, honorifica obiere munia, aut familiaritate, amicitia, vel litterario commercio cum Romanis floruerunt. Et iccirco inter Rom. litteratos recenset complures viros doctrina insignes variarum nationum, tum Christianae, tum ethnicae professionis, qui, vel Romae, vel in coloniis Romanis docuerunt, vel scripserunt, aut litteras inibi sub claris magistris didicerunt. Quamquam, si cum Sidonio Apollinare *Epist. 6. lib. 1.* loqui velimus, totum Rom. Imperium Roma erat: praesertim post Antoninum Caracallam (*a*), Rom. Imperatorem, qui, quod Mecoenas olim Augusto consuluerat, jus Rom. civitatis omnibus, qui sub Rom. ditione vivebant, largitus est: adeout Roma, Romani Imperii caput, et Imperii sedes, unica totius orbis Romani civitas a Sidonio (*b*) dicatur, in qua soli servi, quibus jus illud competere non potest, et barbari, qui Romanis legibus non parebant, peregrini in ea dicerentur: ut mittam illud Senecae ad Albinam, Pop. Romanum in omnes provincias colonias misisse, et ubicunque vicit, Romanum habitare: ut mittam etiam S. Hieron. (*c*) ad *Principiam Virginem*; qui Romam, civitatem vocat, in *qua Orbis quondam populus fuit*.

II. Jam vero, ut ad propositum redeam, nonnullos Operum, quae deperdita creduntur, codices antiquos in archivis, in bibliothecarum veterum scriniis, ac in locis aliis cum pulvere, blattis, tineisque pugnantes superesse non dubito: qui si diligenter quaererentur, forsitan, ut delitescentes olim alii, invenirentur, typisque mandari possent cum ingenti reipub. litterariae emolumento. Novimus quot, et Poggius, et Pithaei, et Ant. Augustinus, et Sirmondus, et M. Welserus, et Schottus, et Turrianus, et Antuerpienses agiographi, et Baluzius, et Muratorius, et Le Quien, et Zacharia, et Mansius, et viri alii industrii amore litterarum accensi, tum prisci, tum medii aevi Opera Latina invenerint, quae magnam lucem attulerunt plurimis prorsus ignotis, aut quae adhuc in obscuro erant. Priscorum

---

(a) *Non Antoninus Pius, ut multi tradunt, hoc jus valde honorificum toti Romano Imperio largitus est. Ita Panvinius ex Dione. Imperatoris Constitutio refertur* lib. 1. Digest. *sub* titulo: De statu hominum.

(b) *Sidonii dictum placuit Justiniano Imp., qui illud citat in Novella 78. Ab an. V. C. 663. lex lata fuerat, qua universae Italiae jus Romanae Civitatis impertitum fuit. Processu temporis hoc jus datum fuit Hispanis, et Gallis: concessum tandem toti Rom. Imperio ex Historicis Rom. novimus.*

(c) *S. Hier. in* Epitaphio Marcellae.

itaque litteratorum Roman, nomina, et titulos, aut genera editorum ab eis Latinorum Operum; quae hodiedum, vel latent, vel jam perierunt, quaeque, saltem non pauca oblivionis caligine obducta etiam apud multos ex eruditis sunt, in lucem profert Auctor, citatis fere semper, non solum antiquis Scriptoribus, quorum lucubrationes adhuc exstant, qui nonnunquam ex professo, plerumque obiter, sparsim, et aliud agentes de illis Operibus, ac de eorum Auctoribus, vel aequalibus, vel non valde prioribus aetate meminerunt, sed etiam libris, et saepe capitibus, in quibus de eis loquuntur. Quod quidem omittere potuisset exemplo complurium, qui similes Auctorum collectiones ediderunt, arbitrantium, satis esse, vel Auctores nominare, ex quibus, quae tradunt, acceperunt, vel ne hoc praestare quidem opus esse, illud L. Senecae usurpantium in *Ludo de morte Claudii* = *Quis unquam ab Historico jure testes exegit?* Praesertim cum experimento compertum sit, in scriptis eorum, qui id non omisere, vel varias esse citationes ob variatum in diversis editionibus ordinem capitum, et librorum antiquorum, vel multas falsas inveniri in indicatis libris, et capitibus, quod ad numeros attinet, qui notantur. Id ne in hoc *Syllabo* eveniat Auctor curavit diligenter; cum norit, in notis arithmeticis errare esse facillimum, etiam in Arabicis; quibus, tanquam minus errori typographico obnoxiis, quam Romanis, uti voluit in Auctorum eorumque Operum citationibus: unus autem, aut alter error est humanae condonandus imbecillitati.

III. Quantum laboris impendendum Auctori fuerit, tum in colligendis, tum in attexendis, et ordinandis Lexico-graphorum more antiquorum Litteratorum nominibus, tum item in indicandis, non sine testibus, eorum scriptis, ille velim aestimet, qui in conquirendis veterum Scriptorum dispersis testimoniis, vel in texendis librorum Indicibus versatus fuerit. Qui labor improbus adeo, atque aerumnosus alteri ex Scaligeris videbatur, ut saepe diceret, poenam ad triremes damnatis subeundam posse in eum, nihil imminuta legum poenalium severitate, a Judicibus, vel a Principe commutari: quod procuildubio in caussa est, cur videamus tot libros, vel sine Indicibus, quibus posset lector ad invenienda, et relegenda notabiliora plurimum adjuvari, vel cum hujusmodi, quibus paucissima indicantur. Profecto si Fabricii Bibliotheca vetus Latina, ab Ernesto emendata, et aucta, ordine alphabetico, saltem in fine, digesta fuisset, et commodior legentibus, et expeditior evasisset, fructusque uberior ex ea percipi potuisset: praesertim si notitia plurimorum prisci aevi Romanorum, doctrina insignium, vel Fabricius, vel Ernestus addidisset.

IV. Nihilominus non deerunt Critici obducti supercilii, qui hunc ab Auctore susceptum laborem frustra esse pronuncient. Cum enim eorum Operum in hoc *Syllabo* fiat praesertim mentio, ex quibus, vel quia jam amplius non exstant, vel quia adhuc latent; fructum

nullum capere nunc queamus, contendent forsitan, non multum rei ferre eorum Auctores noscere, qui nihil possunt nobis ad litterarum patrimonium augendum elargiri, nosque doctrina, et eruditione sua, quantacunque ea demum fuerit, reddere doctiores. De iis autem, inquient, quid attinet, juvatve scire, atri ne illi, an albi fuerint? Supervacaneum porro putabunt, investigare, an Opera, quae nusquam gentium inveniuntur edita, docta atque curiosa antiqui Scriptores nobis reliquerint, vel utrum eleganter, an secus fuerint ea lucubrata? Haec forsassis illi, qui parum amice de hoc Opere judicabunt. Speciosa, fateor, sunt ista, et quae commovere eos possunt, qui specie, vel similitudine veri contenti, in rerum intima penetrare negligunt. Quibus satisfactum iri spero, si dixero 1. posse notitiam horum Auctorum, et Operum, ad manum habitam, eos, qui bibliothecas, sive privatas, sive publicas curant juvare, et excitare ad quaerenda, quae exstant, et adhuc latent, ac ad minime spernendum, si quid ex iis ad eos perferetur, quod prudentissime admonet vir Illustrissimus, et doctissimus Dertosanus Praesul, cujus monitum initio hujus *Syllabi* est allatum: ita tamen ut diligenter examinetur, quod reperturn dicitur, spurium ne sit, ac subdititium, an genuinum? cum constet, nunquam defuisse, nec porro defuturos in repub. litteraria, qui vile metallum pro auro, et adulterinas merces pro legitimis venundent; 2. quis non videt, rem non sapiente solum, (quod ait Ecclesiasticus cap. 39.), sed, et Sapientiae studioso dignam esse, antiquorum sapientiam, et litteraturam exquirere, et virorum olim nominatorum, seu priscorum litteratorum memoriam, vel denuo excitare, vel tueri, vel posteris conservatam tradere? eorum in primis, quorum vigiliae, atque labores suo aevo reipub. litterariae profuere, quorum scilicet exemplo, atque eruditione, qui proxime sunt eos consecuti non parum profecerunt: adeout possimus illos cum L. An. Seneca (a) *Praeceptores humani generis, a quibus tanti boni initia fluxerunt*, non immerito appellare. Aequum autem est, nos in Magistros grato animo esse.

V. Et sane si res digna Historico visa est, memoriam eorum posteris tradere, qui vel Regali, vel Imperatoria, vel Consulari, vel Censoria, vel Praetoria, aut Tribunitia potestate, vel etiam tyrannica dominatione noti antiquitus in orbe fuerunt; ac nomina eorum, parentes, patriam, multa praeterea, quae gesserunt, minime necessaria, aut utilia, nota esse Historici accuratiores voluerunt: si cum voluptate legimus fictas fabulas, etiam illas, ex quibus nulla utilitas duci potest: si homines infima fortuna, nulla spe rerum gerendarum: si opifices denique, et rusticani historicis declectantur, ut ait Tul-

(a) *Vide Senecam* Epist. 65. ad Lucil., *et Vitruvium in* Praef. lib. 9.

lius (a): si inquam supra dictorum hominum mentio, ac recordatio ab Historicis facta nobis est gratissima, quamvis eorum non pauci non modo nihil subjectis populis profuerint, sed multum obfuerint, civium fortunis, honori, vitae, ac libertati insidiantes, aut vim inferentes; quanto magis, viro a disciplinis non abhorrente dignum, gratumque Lectori censebimus, eorum nota habere nomina, ac aliis tradere, vel memoriam instaurare, qui ingenio, et eruditione minime vulgari instructi, Grammaticam, Poesim, Mathesim, Philosophiam, Medicinam, Jurisprudentiam, Oratoriam, aut Theologiam illustrarunt, ac rem litterariam industria sua promoverunt, licet eorum Scripta penitus interciderint, vel nos lateant, vel solum fragmenta aliquot supersint, vel eorum tantum Operum titulos notos habeamus.

VI. Ac, (ut rem magis urgeam, et morosorum Criticorum objectacula dispellam) si inutile, ac supervacaneum neutiquam reputamus, ab oblivione vindicare, ac nomina proferre eorum, quos non postremum locum inter antiquos Pictores, Caelatores, Architectos, Statuarios in arte sua habuisse, et opera aliqua non contemnenda posteris reliquisse constat, tametsi ea jamdiu perierint, vel solum fracta, ac mutila supersint: quin etiam veterum Romanorum immensa aedificia jam collapsa, non sine voluptate, ac tacita quadam veneratione intuemur: veteres item picturas jam pene abolitas, et statuas detruncatas, a Graecis, vel Romanis artificibus confectas, libenter inspicimus; cur amabo, eos qui Veterum Litteratorum memoriam renovant, et de eorum lucubrationibus mentionem faciunt, commendatione fraudabimus, quamvis eorum Opera amplius forsitan non exstent? Cur item frustra esse arbitrabimur, titulos, sive inscriptiones, seu genera talium Operum noscere, licet haec, vel latere, vel intercidisse constet, vel mutila, ac lacunis hiantia tantum supersint, eaque integra inter desiderata numerentur?

VII. Jam: si quis forte mirabitur, Auctorem in veteribus hisce, et rancidis Scriptoribus, et Scriptis memorandis tempus contrivisse, quod insumere potuisset in novis, et recentibus, quae novitate sua et doctrina mentem pascunt, oblectantque; continuo mirari desinet si dixero, haec ab innumeris hodie praestari, et ante hoc aevum plures praestitisse, quin ullo in numero habuerint Scriptores illos, quorum Opera perierunt, vel latent. Addo, varia esse hominum ingenia, et studia. Sunt nempe, semperque futuri sunt ex disciplinarum studiosis, quibus nova placeant: sunt, qui litterariis antiquitatibus delectentur. Idem in rebus litterariis fere evenit, quod in ceteris rebus, quae sensibus sunt subjectae, in quibus varia esse ho-

(a) *Vide Cic.* l. 5. de Finibus.

minum studia, et vota nemo est, qui nesciat, modo non ea sit mentis inopia, ut non valeat ex hominum factis satis patentibus eorum studia, et intimas affectiones interpretari.

VIII. Plures namque ubique reperies, quibus volupe est, novas urbes, nova magnifica aedificia, novas arces, et militares machinas, novas imagines ex arte depictas, novas statuas affabre elaboratas inspicere: contra alios cernes, qui veterum aedificiorum, magnificarum nempe Romanarum aedium, (quae instar parvarum urbium, teste Olympiodoro, ante Gothicam irruptionem Romae visebantur) rudera, thermas insuper, circos, theatra, templa magnifica, falsis numinibus dicata olim exstantia, et nunc solo aequata, seu eorum reliquias videre gestiant, ut etiam semesas, ac mutilas statuas, prisca rubiginosa arma, et numismata, in fragmentis marmorum pene abolitas Inscriptiones: celebres item antiquas urbes jam pene deletas, aut funditus eversus: oppida demum, et flumina, quae ab antiquis Historicis, et Poetis ob insignia aliqua facta, quae in illis, vel prope illa contigerunt, commemorantur, ea antiquitatis merito prae novis aestimantes. Quod adeo verum est, ut non defuerit, qui ex Italia solvens, ad campos, ubi Troja fuit, se contulerit, maris fluctibus, longa, et periculosa navigatione, se committens, ut Xanthum, et Simoenta, famosa apud Homerum flumina, videret, et ex eorum fluentis biberet, ut item saxum aliquod ex antiquae Trojae ruinis domum reportaret. Necesse non est heic referre, nonnullos esse, qui monumenta id genus multo aere mercentur, ut Musaeum erigant his mercibus repletum, felicesque ac beatos se credunt, et magnos thesauros se habere autumant, cum plures antiquitatis reliquias domi collectas habent. Neque vero sibi minus in illis plaudunt, quam Horatii avarus ille in contemplandis nummis, quos repositos in arca sua habebat. Adeo verum est, quod ajebat ille.

Mille hominum species, et rerum discolor usus:
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.

Desine igitur mirari, Lector, si Auctor novis olim delectatus, ad vetera nunc animum verterit: praesertim ea producendo, quae, et nova forsitan erunt nonnullis, et quibus nova olim ab eo tradita possit hisce veteribus confirmare. Notum nempe fiet hoc *Syllabo* typis edito, quám recte in *Paradoxis de Vita, et Mortae Latinae linguae*, quod Opus Auctor nuper edi curavit, affirmatum sit, potuisse priscos Christianos, et Ecclesiae Patres plura Latina Opera, quae suo tempore exstabant, legisse, in quibus, et vocabula, quae nunc barbara, et syntaxes, quae nunc distortae videntur, et quibus ipsi utuntur, legebantur; eosque perperam tanquam corruptores Latinae linguae ab hodiernis Criticis postulari.

IX. Illud etiam constabit, ex indicatis hoc *Syllabo* Scriptoribus, quam strenuam scilicet, non plebeja modo, sed, et equestris, et patricii juvenum Romanorum Ordinis ingenia in addiscendis discipli-

nis navarint operam, quamque ingentes litterarias divitias antiqui Romani, ex quo non arma solum, sed et litteras tractarunt, posteris reliquerint, quas invidiosa tot saeculorum exactorum vetustas nobis eripuit, quasque Fortuna una cum Rom. Imperio subvertit, ac tantum non penitus abolevit. Quod documento litteratis nonnullis esse poterit, quo praejudicia sua deponant, falsumque reputent Sallustii illud: (*a*) *Ingenii praeclara Opera, ut animam, immortalia esse:* quod video a plurimis (*b*) inculcatum, et usurpatum in studiorum suorum commendationem. Videret nempe Sallustius, et qui cum eo ex antiquis senserunt, si ad vitam revocarentur, et hunc *Syllabum* legere non dedignarentur, non plura solum ingeniosa eorum Opera, sed et innumerabilia aequalium suorum, ut etiam aliorum, qui cum fama eruditionis illos praecesserunt, aut post illos floruerunt, vel periisse, vel ignota esse. Agnoscerent insuper, litteraria quantumvis pretiosissima Opera, ut ortum ita, et occasum, non secus atque alia Fortunae bona, tandem habere: illudque verissimum reputarent, quod sub persona Pythagorae cecinit Ovidius (*c*).

Tempus edax rerum, tuque invidiosa vetustas,
Omnia destruitis, vitiataque dentibus aevi,
Paullatim lenta consumitis omnia morte.

Illud nihilominus mihi valde mirum est, et Lectori hujus *Syllabi* fore arbitror, antiquos primarios, et summates Romanos, tantis opibus, et deliciis affluentes, tot negotiis domesticis, civilibus, militaribus publicis distentos, tam impense in litteras incubuisse, ac tot Opera lucubrasse, quibus disciplinas omnes ingenuas excoluisse, et illustrasse palam faciunt, quin de eorum eruditione, et singulari doctrina ambigere nos sinant.

X. Superest nunc, ut in fine hujus Praefationis nonnulla moneam, quibus aliquot scrupulis, et dubiis occurram. I. Auctorem hoc *Specimen veteris Rom. litteraturae* cet. *Syllabum* etiam *Historicum*, et *Criticum* appellare, non quod eorum omnium, quorum nomina attexit, historiam, et crisim afferat, seu judicium suum, aut antiquorum, de eorum doctrina, ac merito ab eis editorum Operum interponat. De nonnullis namque solum Litteratos fuisse, et Scriptores ex testimonio aequalium, vel non multo posteriorum, qui eorum lucubrationes, cum exstabant, versare potuerunt, exploratum habet; quin eorum patriam, professionem, Scripta, et acta ex illis colligere certo potuerit, cum de iis nihil illi dicant. De aliis nota solum est lie

---

(a) *Sallust. initio* belli Jugurthini.
(b) *L. Sen. in* Consol. ad Polybium *c. ult. Mart.* l. 10. Epig. 2. *Plin. Caec.* l. 4. Epist. ad Maximum.
(c) Metamorphoseon l. 15.

teraria professio, Poetas nempe, Rhetores, Philosophos, Jurisconsultos, Oratores cet. fuisse: ac pronum est conjicere, eos, si quidem nonnulla ediderunt, quibus famam doctrinae sibi conciliarunt, a professione sua in editis Operibus neutiquam recessisse. Complurium autem patriam, litterariam professionem, sectam, munia in Repub. obita, honores item, variam fortunam, et Scripta: dicta demum, et facta memorabilia ex veterum testimoniis novimus, ut etiam mortis genus, annos, quos vixerunt, et judicium, quod de illis prisci Scriptores consignatum reliquerunt, quae Auctor indicare non praetermittit. Animadvertit tamen suis locis, non adeo caecam fidem adhibendam testimonio etiam synchronorum, ut vera protinus credamus, quae ipsi promunt de ejusdem praesertim professionis, aut de adversae, suaeve sectae, aut nationis Scriptoribus, qui una cum ipsis floruerunt; cum verendum sit, ne in judicando, vel gratiae, vel odio aliquid concedant. Constat quippe, prisci aevi Litteratos, ut nunc aevi nostri, amicis; et fautoribus, inimicis item, atque invidis non caruisse. *Divinum* Homerum (*a*) appellant Graeci, de cujus patria plures certant civitates, et nihilominus apud Eustathium legimus, Neucratem quemdam ejus aequalem, ut ei detraheret, scripsisse, Homerum *Iliados*, et *Odysseae* Opera ex Memphitica bibliotheca in Vulcani fano reposita surripuisse, ac ut sua venditasse, quae cujusdam Poetriae, cui nomen *Phantasia*, Opera erant: quod proculdubio Neucratis phantasiae commentum fuit. Quis Lucretio fidem habeat affirmanti, suae sectae ducem Epicurum Philosophis omnibus praeferendum? aut quis multum tribuat iis, qui Ciceronis, et Virgilii famam scriptis suis obscurare voluerunt?

XI. Quod attinet ad Auguralem, et Aruspicinam, Magiam, Astrologiam, quam Judiciariam dicunt, et alias, siquae sunt, vanas artes, earumque professores, qui a Roma condita ad Honorii tempora de illis scripserunt, (quod de haeretitis, et schismaticis dictum habeas, quibus in hoc *Syllabo* locum tribuo) illud scias velim, (ut hunc etiam scrupulum eximam); ab Auctore eos commemorari: non quod memoria illos dignos censeat ob Opera saltem, quibus suos errores propagarunt, aut promoverunt; sed, ut, si forte ea, invenientur, ab iis legendis abstineamus, vel caute legamus, vel conburamus. Medicos imitatur, et sequitur Auctor, qui non salutares tantum herbas scriptis suis indicant, sed, et noxias. Illas, quibus utamur; istas autem, ut devitemus, si vita, et valetudo nobis carae sint; quae secundo loco monere Lectorem placuit.

XII. Praemoneo tandem, Auctorem in hoc *Syllabo* nonnunquam sub dubio res sibi parum exploratas tradere: quia religio ipsi est,

---

(a) *Sunt etiam, qui dicant, ab Homero Palamedis, in Castris perempti, Poemata discerpta, aut exusta fuisse.*

dubia, ut certa dare, nonnunquam etiam verisimilia, et conjecturas sequi. Hae namque in antiquis, et de quibus nihil traditum invenitur, locum habere debent, vel omnino in rerum investigatione rejiciendae, ac contemnendae: quod nemo prudens arbitratur. Illis ductus Auctor statuere non veretur, Opera praecipua Graecorum, ea maxime, quae de rebus Romanorum Romae scribebantur, vel in provinciis Romae subjectis, protinus in Latinum, vel ab ipsis Auctoribus, vel ab aliis, eorum suasu, et ductu, conversa, ut a Romanis, Graeci sermonis ignaris, vel parum in eo versatis, legi possent. Ex (a) Cicerone namque novimus, plures ex Romanis, etiam ex Philosophis praesertim Epicureis, quorum Roma, et Romanae Occidentis provinciae redundabant, non modo Graecam linguam non didicisse, sed eam omnino non amasse, ac penitus neglexisse. De multis autem Graecorum Operibus scimus, ea in Latinum versa a priscis fuisse: in vertendis enim ex aliis in suam linguam optimis Scriptis adeo diligentes Romani erant, ut Senatusconsulto fuerint (b) Magonis opera, et aliorum Poenorum ex Punica lingua conversa in Latinam. Quin etiam illud arbitror, multa Opera, quae origine nobis Graeca, seu Graeco sermone scripta videntur, versiones antiquas ex Latino fuisse, quorum Latina autographa, vel temporum, vel hominum injuria perierunt: ut enim Graeca in Latinum, ita Latina in Graecum versa multa fuisse in dubium verti neutiquam potest.

XIII. Quod si ex me quaesieris, qui, aut cur factum fuerit, ut tot Latina Opera, vel Latino sermone primum edita, vel ex Graeco in Latinum conversa perierint, cum tot Graeca exemplaria etiam antiquissimorum Auctorum aetatem tulerint, et adhuc permanserint? In promptu est caussa. Barbaros nempe in Occidente, ubi copia erat exemplarium Latinorum, non in homines solum, in moenia urbium et oppidorum saeviisse, sed, et in archiva, in bibliothecas cum privatas tum publicas, in quibus innumera Latina volumina recondita erant, omnia ferro, flammisque vastantes, atque corrumpentes. Contra vero in Graecia, unde, vel ex Graeco imperio a Turcis occupato Graeci codices ad nos pervenerunt, contigit. Ut enim ex Historicis accepimus, tanquam rem memoratu dignam: cum Gotthi, Athenis captis, et praedatis, ingentem vim librorum coacervassent, et eos flammis tradere constituissent, tunc ex his unus: *abstineamus*, inquit, *manus ab hac noxa, et integra haec volumina relinquamus, in quae Graji homines studiosius incumbentes, minus idonei ad bella*

(a) *Vide Cic.* l. 5. Tusc. QQ., *ubi de Amafanio, et Epicureis Romanis loquitur*.

(b) *Haec Opera* 28. libros de re rustica *continebant, citatos a Columella de eodem argumento scribente*.

stant. Quam mentem utinam Barbaris, qui Occidentis provincias infestarunt, Deus indidisset: quo factum fuisset, ut plura priscorum Latinorum Opera haberemus, a quibus nunc destituti, multa ab antiquis litteratis Rom. inventa, multaque sapienter, et eleganter in omni disciplinarum genere ab eisdem lucubrata nos latent. Si ea ad aevum nostrum delata fuissent, possemus Graecorum Opera cum Latinorum lucubrationibus conferre, ac sine temeritatis nota judicare, utrum Romani, ut armis, ita etiam litteris fuerint Graecis superiores? Qui enim putant, unum tantum, aut alterum ex litteratis Romanis posse in Historia, in Poetica, in Oratoria, ac disciplinis aliis Graecis opponi; de re satis obscura, ac parum explorata mihi videntur judicare. Nonnunquam Auctor in hoc *Syllabo* res Theologicas tradit, et de Sacris Litteris disserit, quin falcem in alienam messem injiciat. Multa enim ad Sacras Litteras, et Theologica spectantia Philologicae indaginis sunt: ut mittam, Auctorem pro onere ei injuncto, in schola olim Sacrarum Litterarum Interpretis munere functum, et publica auctoritate, solemnique ritu jus de Theologicis, et Sacris Litteris disserendi nactum fuisse.

XIV. In nonnullis Operibus, quae tanquam desiderata indicantur, ut etiam in recensendis litteratis Romanis, quos ante Honorii excessum floruisse dicuntur, si quid erraverit Auctor, qui (homo cum sit, humani nihil a se alienum putat) gratias, quas poterit maximas, et aget, et habebit cuivis, qui errata ejus emendarit. Cupit enim, vel a postremo mortalium doceri. Id praestare poterunt, qui plura antiquorum Latinorum, et Graecorum Opera, quam ipse legerit, pluresque Auctores consuluerit, quod iis continget, qui libros selectos, et magno numero apud se habent, vel sine magnis incommodis copiosas bibliothecas frequentare cum libertate potuerint, et ii praecipue, qui curam earum gerunt. Prodigio simile est, in Historicis, et Chronologicis nunquam labi. Lapsi sunt Cicero, Livius, Eusebius, Mariana, Salianus, Baronius, quem Pagius emendavit. Lapsus est Pagius, quem in pluribus emendatum dedisset, si fata sivissent, amicus, et sodalis meus J. Matthaeus Garzon Chronologorum suae aetatis nulli forsitan secundus, qui in Notis, et Correctionibus Idatii, variisque Dissertationibus, nondum editis, illustrati, 60., et eo amplius errores circa Hispanorum praesertim res adnotaverat in annis 90. Chronici Idatiani, quos excurrerat. Quod si nonnullos Auctor in

---

(a) *Vide Baptistam Egnatium in* Vita Claudii *Rom. Imperat.*, *et Gallieni successoris. Barbarorum saevitiae tribuendum, quod vix inveniantur antiqua Latina exemplaria Conciliorum Orientalium, quae proculdubio in scriniis, et tabulariis Romanae, et aliarum Occidentis Ecclesiarum asservabantur.*

hunc *Syllabum* mittat, qui inter Romanos litteratos recenseri non debent, pro Corollario accipias velim. Romanus Satyricus C. Lucilius, qui multo sale Urbem defricuit, ajebat, ea, quae scriberet, nec ab indoctissimis, nec a doctissimis legi velle. Illi, quod nihil intelligerent: hi, quod plusquam ipse. Auctor contra a doctissimis legi optat, ut ab iis, si erraverit, in viam possit reduci. Nonnulla *Paradoxa*, in *Corollariis*, et *Dissertationibus* exposita, virorum sapientum, et eruditorum judicio submittit Auctor: quae si saltem probabilia reputarint illi post lectas Auctoris rationes; aliorum, qui partium studiis, et praejudicatis opinionibus se abduci sinunt, satyricos sermones non timebit. Recte Italus quidam ajebat, non in morbis solum sed, et in ratione cogitandi, loquendi, et scribendi contagia esse. *Corollaria* non pauca in hoc *Syllabo*, non interrupto litterarum Alphabeti ordine, ab antiqua Romanorum litteratura non prorsus aliena, invenies, legi non indigna. *Corollarii* autem vocabulo utitur Auctor secundum Varronis sententiam *lib. 1. de lingua Lat.*, ubi ait *Corollarium* dici, quod additum est supra mensuram, praeterquam, quod debitum est; seu tanquam Auctarium quoddam a corollis nomen deductum. Id monitum velim, nequis putet, *Corollaria* dici Mathematicorum more, qui Consectaria *Corollaria* appellant, minus Latina significatione.

XV. Ad extremum te, Lector humanissime, etiam atque etiam oro, ut aequi bonique consulas justo fortasse prolixiorem, sed necessariam hanc nostram Praefationem, faveasque lucubrationi huic, quam, si tibi lubitum fuerit, poteris *Lexicon*, sive *Dictionarium*, vocabulo jam recepto, Romanae antiquae litteraturae, aut Romanorum veterum Eruditorum appellare. Non te latet, plura edita hac nostra aetate linguis vernaculis *Dictionaria* omnium Disciplinarum, et Artium: adeout Seculum hoc nostrum *Seculum Dictionariorum* vulgo dici soleat. Nosti etiam, horum nonnulla ex multis, et magnae molis voluminibus constare, ac non parvo venire. Non itaque extra morem Seculi, et abs re futurum arbitraberis, Latinum unum aliquod, aut alterum non magnae molis nunc edi, quod ad manum sit iis, qui veterum Scriptorum notitia delectantur, et quibus Latinus sermo prae vernaculis in pretio est. Auctor non immemor Graeci proverbii *(a) Magnus liber magnum malum*, plura obiter, et breviter attingit, ne in molem nimiam Opus excrescat, indicatis fontibus antiquorum Scriptorum, quos consuluit, unde aquas possis haurire copiosiores. Raro ad rivos Recentiorum te deducet; cum tardi sit ingenii, ut ait Tullius, fontes non attingere, et rivos consectari. Vale, et litterariis Auctoris vigiliis fave.

(a) Μεγας βιβλος μεγα κακόν.

PRAECIPUA, QUAE IN HOC SYLLABO ORDINE ALPHABETICO SPARSIM TRADUNTUR:

I. Brevis notitia, et judicium de veteribus Romanis Litteratis, tum ethnicae, tum christianae professionis, etiam minus notis, quorum Opera in publicis, et privatis Rom. bibliothecis ante Honorii excessum legebantur, allatis eorum nominibus, et rebus, secundum litterarum ordinem.

II. Tituli, ac genera complurium Operum, quae nunc desiderantur, et citata, vel indicata inveniuntur in Scriptoribus ejusdem aetatis, vel non multo posterioris, quorum testimonia adducuntur.

III. Bibliothecarum publicarum, et privatarum insigniorum, quae Romae ante Honorium fuerunt, mentio.

IV. Multa de antiquiorum Romanorum pronunciatione, et scriptura per signa vocum, et per signa rerum, sive per Alphabeti litteras, et sine litteris, deque immutata orthographia, et pronunciatione.


V. Nonnulla de Magistratibus, qui sine Rom. litteratura, neque Romae, neque in provinciis Rom. Imperii obtineri poterant, deque ritibus, et sacris vet. Romanorum, ut etiam de luxu, magnificis aedificiis, spectaculis, et divitiis eorundem.

VI. Singulares, vel parum communes Auctoris opiniones circa usum promiscuum Latinae, et Graecae linguae, ac vet. Romanorum litteraturam, oculatiorum Criticorum judicio, expositae, et submissae.

VII. Indicantur praecipuae haereses, et earum Auctores, qui ab Apostolorum praedicatione ad Honorii aetatem Ecclesiam perturbarunt.

VIII. Plura Dicta, et Facta memorabilia parum obvia, ad Historiam Litterariam, Oeconomicam, Civilem, Militarem, et Ecclesiast. illius aevi spectantia.

IX. Opera Latina antiqua, quae diu latuerant, a quibus, et ubi inventa fuerint.





AB

ABas scripsit *Troica* citata a Servio in *lib. 9. Aeneidos* Virgilii. Non liquet, an sit is *Abas* Sophista, qui praeter *Rhetorices praecepta*, reliquit, teste Suida, *Commentarios Historicos*. De hoc in Hephestionis cujusdam novis Historiis, quas legit Photius, et in Bibliotheca sua summatim refert, traditur, *Abante* citato: Candaulis Lydiorum regis uxorem, cujus pulchritudo imprudenti marito exitiosa fuit, quaeque mira oculorum acie pollebat, nomine *Abronem* dictam fuisse. *Abantis* opera desiderantur. De aetate, in qua floruit, et de ejus patria nihil Servius, nihil Suidas, nihil Hephestio tradunt. Solum constat, a Servio citatum ante Honorium vixisse.

Ablavius, sive *Ablabius* insignis Politicus, ob suam doctrinam, et morum probitatem, seu veram, seu simulatam, Constantino M. carus: *Pila fortunae* dictus, eo quod Fortuna eum tum secundis, tum adversis casibus mire exercuerit, eundem extollens, ut majori ruina praecipitem ex alto ageret. Humili quippe loco, et genere natus Bizantii in Thraciae finibus (quae Civitas non multo post magnificis aedificiis aucta a Constantino Magno, et valde ampliata *Constantinopolis*, ac *nova Roma* dicta fuit, et Sedes Imperii facta) per varios gradus ad Praetoriam *(a)* Praefecturam, quae summa dignitas et Imperatori proxima erat, ante Consulatum *(b)* ascendit, ac parum abfuit, quin a Constantino Caesar, et filiorum in Imperio Socius crearetur. Eum unum delegit Imperator, ut sub Constantio filio adolescente provincias, quae ei in divisione Imperii obtigerant, administraret, et *Ablavii* filiam Olympiadem filio Constanti despondit: quo, non multo post mortem patris, fatis functo, Constantius frater eam Arsaci Armeniae regi, quem sibi devinctum cupiebat, in uxorem dedit. Ita Ammianus Marcellinus. Exstant Constantini M. ad *Ablavium* Praef. praet. Epistolae, in quibus eum Patrem appellat, quo, ut praecipuo

---

(a) *Ad Praetoriam Praefecturam eligebantur ab Imperat. Rom. viri fidi, magni Politici, ac in Jure periti. Erant namque Praeff. praet. intimi Imperatorum Consiliarii, et supremi majorum Caussarum Judices sine appellatione cum jure vitae, et necis, in cujus signum gladius ipsis ab Imperatoribus publice tradebatur. Qui hoc munere fungebantur, saltem ante Constantinum, praetorianis militibus, et aerario praeerant.*

(b) *Ad Consulatum, ac ad alios Magistratus viam sibi Romani muniebant Jurisprudentia, et Oratoria facultate. Vide in suis litteris verba* Consules; Oratores; Praefect. praet.

honoris titulo, et amoris signo Romani Imperat. Praefectos praet. ornabant. In *Codice Theod.* a Jacobo Gothofredo illustrato exstant plures Constantini leges ad *Ablavium*, ut *lex 5. de Naviculariis* lata an. Christi 326., et eodem an. *l. 6. de Episcopis*: *lex 2. de Judaeis* an. 330., et an. sequenti *lex 1. de Repudiis*, *l. 1. de Expositis*, et *l. 1. de Episcop. judicio*, Coss. Basso, et *Ablavio*. Tandem *l. 5. de Apparitorum Militarium filiis* lata an. Christi 333. Inter opera S. Greg. Nyseni legitur *Oratio*, sive *Epist.* satis prolixa de *Trinitate* ad *Ablavium*, in qua dissolvuntur argumenta philosophica, sive dubia ab *Ablavio* proposita contra Trinitatem in *Epist.* ad eum, quae non exstat. Desiderantur etiam *Epistolae Ablavii* ad provinciarum Praesides, et Episcopos, quibus leges Constantini ad se directas promulgabat. In collectione *veterum Epigramm.*, quae partim integra, partim mutila, et hiulca ex antiquis codicibus, et inscriptionibus emendata edidit Petrus Pithaeus, indicantur nonnulla *Ablavii*, Viri Consularis: et Sidonius Apoll. *lib. 5. Epist. 8.* meminit, et affert Consulis *Ablavii* Distichon Satyricum, quod foribus palatii Constantini affixisse dicitur, et erat hujusmodi:

Saturni aurea secla quis requirat?
Sunt haec gemmea, sed Neroniana.

qui Versus, ut arbitror, fragmentum sunt Poematii longioris, quod desideratur. Haec *Ablavius*, ut Constantinum a crudelitate, et saevitia revocaret post Crispi filii, et Faustae necem. Ex quibus intelligitur; eum non solum Jurisconsultum, Politicum, Oratorem, et Philosophum, sed Poetam etiam fuisse. In Libanii *Epist.* mentio fit cujusdam *Ablavii*, sed nescio an hujus? Ejus sane mentionem fecit parum honorificam Eunapius in *Vita AEdesii Phil.*, in qua de Sopatris nece agit, cujus auctorem *Ablavium* facit, et hac occasione multa in *Ablavium* Christianum, et Constantinum M. scribit homo ethnicae superstitioni addictissimus. Vide *Sopater* in litt. *S.* Constantino; et *Ablavio* in somnis apparuit S. Nicolaus Myrensis Praesul adhuc vivens, eisdem notam faciens innocentiam 3. Tribunorum postera die capite plectendorum, quos *Ablavius* damnaverat. De quo vide Hist. Eccl. Post Constantini patris obitum Constantius a se removit *Ablavium* instigatione forsitan Arianorum, quibus Constantius erat addictus, ut Imperatorem sibi obnoxium magis haberent. *Ablavius* secessit in Villam magnificam, quam sibi aedificarat, ubi privatam vitam agebat; verum Constantius veritus, ne illic res novas machinaretur, ac ejus ambitiosas artes suspectas habens, ad eum milites misit, qui illum tanquam recens a Constantio creatum Caesarem salutarent. Cum vero hac salutatione delinitus, et elatus militibus juberet sibi purpuram a Constantio, ut credebat, missam afferi, qua indueretur; introgressi milites alii jam parati strictis gladiis eum trucidarunt, et proprii cruoris purpura induerunt, et insepultum reliquerunt. Hic magni *Ablavii* tragicus finis post tot felicitates, *Ablavii* casus,

et similes, quos in hac *Syllaba*, indicabo, nos docent, quam lubricum sit mundialis gloriae, et honorum fastigium, aureamque mediocritatem magnae fortunae praeferendam; recte, ideo Horatium in altera ex *Odis* suis cecinisse:

Fortuna saevo laeta negotio, et
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc aliis benigna.

Ablavii nomen non parum commendat, quod neptem habuerit S. Olympiadem filiam Olympiadis Arsacis regis uxoris, de qua dixi. Vide *Tatianus* in *T.* ubi de *Ablabio* Ethnico, forsitan nostri consanguineo fit mentio.

Corollarium I.

AC

Academici Philosophi vocabantur, qui dogmata nulla in opinabilibus sectabantur, in utramque partem de his disserentes. In omnibus nempe, quae sub varias Philosophorum opiniones cadebant dubii, nihil se scire affirmabant, nisi se nihil scire more socratico. A Pyrrhonicis eo differebant, quod de evidentissimis non dubitabant: a Dogmaticis autem, quod nullum proprium Dogma habebant. Vide Cic. in *QQ. Acad.* ubi plura de veteri, et nova Academia. Ciceroni haec secta prae aliis placuit, quia majorem eloquentiae campum ad in utramque partem disserendum de omnibus ei praebebat, et quia Romanus Plato, vel Carneades latinus audire ambiebat: quod assecutus scriptis suis mihi quidem, et aliis videtur. *Lib. 3. de Off. c. 2.* ait Cic. = Nobis autem nostra Academia magnam licentiam dat: ut quodcunque maxime probabile occurrat, id nostro jure liceat defendere = Christiani Platonici, seu Academici, qui Socratem, et Platonem pro ducibus, et oraculis habent, difficulter tueri possunt nonnulla Platonis, et Socratis, ut quae de Uxorum communitate tradunt, ac de voto Socratis AEsculapio gallum sacrificandi. Ut haec recte dicta et facta tueri possint ad aenigmata recurrunt in his dictis et factis involuta, et statuunt ad litteram non intelligenda.

Accius, sive *Actius* (Navius) Augur Rom. antiquissimus, et in Augurali arte insignis sub Tarquinio Prisco Rom. rege. De eo mentionem faciunt praeter Rom. Histor. Cicero *l. 1. de Divin.* et Lactantius *lib. 2. Divinarum Instit.*, ubi de falsis miraculis Ethnicorum, inter quae recensetur, quod *Accius* Augur novacula cotem secuerit spectante Tarquinio, et populo, ad ostendendam augurii veritatem, et suam in arte augurali peritiam. Cic. *l. 2. de Natura Deorum*, meminit de lituo Augurali *Accii* Navii sub rege Hostilio. Statuam habuit Navius in Comitio ad laevam Curiae, ubi dicitur cotem discidisse. Sub ea statua erat locus subterraneus, quem *Puteum* appellabant, illicque erat ara, et *Accii* novacula. Si quid de Arte Augurali lucubravit, deperditum est.

Accius sive *Actius* (nam utroque modò editum invenies) antiquus Poeta latinus, qui floruit secundum Ricciol. an. 260. ante Christum. Plura Poetica edidit, sed pauca ejus carmina supersunt satis rudi latinitate. Cicero in *Epist.* quadam ad Paetum *l. 9. Epist. Fam.* indicat, *Attellanas* ab eo editas, nisi si *Oenomaus Trag.* sit: Varro etiam in libris *de lingua latina* plura citat ex *Accio* in *Attellanis*, et Persius Sat. 1. citat *Briseidem*, *Accii* librum, quem *venosum*, seu tumidum vocat. Verum hic liber Tragoedia forsitan erat alterius *Acii*. Macrobius *l. 1. Saturn.* de eo ait *Annales* scripsisse, ex quibus nonnullos Versus affert. M. Val. Mart. de eodem scripsit, non latine loqui, sed vomere latinitatem. En Mart. Epigr. lib. 11. in Chrestillum, cui sola rancida Carm. placebant.

Carmina nulla probas, molli quae limite currunt,
Sed quae per salebras, altaque saxa cadunt,
Et tibi, Maeonio res carmine major habetur
Luceilei Columellae heic situ' Metrophanes' st (a)
Attonitusque legis terrai frugiferai,
Accius, *et quidquid Pacuviusque vomunt.*
Vis imiter veteres, Chrestille, tuosque Poetas.
Dispeream, si scis carmina quid sapiant.

Martiali assentitur Auctor *Dial. de antiquis, et recentibus Oratoribus*, sive Quintiliani sit, sive Taciti. Ait namque, ab Oratore exigi poeticum decorem, non *Accii*, et Pacuvii veterno inquinatum, sed ex Horatii, Virgilii, et Lucani sacrario prolatum. In collectione Fragmentorum veterum Poetarum, Pisauri edita, antiquus hic *Accius* Attellanarum scriptor cum minus antiquo *L. Accio* Tragoedo elegantiore, de quo postea plura dicentur, confunditur. Etenim versus, et omnia fragmenta ex *Attellanis*, *Annalibus*, et *Tragoediis L. Accio* tribuuntur sine discretione ulla.

Accius, *Actius*, sive *Attius* (nam hac varietate legitur hujus nomen typographorum, ut puto, incuria) M. Pacuvii aetate floruit ad an. ante Christum 135. Scripsit Tragoedias, ex quibus cum *Atreus* inscriptam Pacuvio emerito Poetae legeret, ac is eam laudans adderet, nonnulla in ea duriuscula, et subacida esse; confestim reposuit *Accius*, idem ingeniis evenire, quod pomis; quae dura acerbaque nascuntur, et postea matura fiunt. Iccirco, se neutiquam poenitere, quod sua initio duriuscula viderentur. Ita Gel. *l. 13. C. 2. NN.* Decius Brutus tanti ejus versus faciebat, ut eis templa, et monumenta publica ornaret. Praeter Varronem de *lingua latina* Nonium, Priscianum, et alios Grammaticos, qui plura de *Actio*, sive *Actio* Poeta Tragico afferunt citatis variis ejus Tragoediis, quas longum esset referre; de eo meminerunt Horat. *lib. 1. Sat. 10.*, et Cic. in *Bruto*, ac *lib.*

(a) *Hic versus est Lucilii Poetae Satyrici Horatio antiquioris.*

2. *de Natura Deorum* versus aliquos ejus affert de Argonautarum vehiculo viso a pastore non sine admiratione. Idem *lib.* 1. *de Divin.* alios versus adducit ex Poem. *Brutus*. Tandem *in QQ. Academ.* initio, in *lib. de Off. c.* 9., et in postrema *Epist. lib.* 7. *Famil.* varios versus ex diversis ejus Tragoediis a Cicerone descriptos invenies, ut mittam alias Ciceronis citationes. Macrob. *lib.* 6. *Saturn.* affert *Actii* versum ex *Philoctete Trag.* Gellius *lib.* 7. *cap.* 9. *Noct. Attic.* citat *L. Actii Sotadicorum lib.* 1. Ovid. videtur de hoc cecinisse *Elegia* 1.

Ennius arte carens, animosique Accius *oris*
Casurum nullo tempore nomen habent.

Ab hoc, sive *Actio*, sive *Attio* dictum traditur: *Nihil credo Auguribus; qui verbis aures alienas ditant, et suas auro locupletant domos.* In Scriptoribus antiquis, qui de hoc Poeta meminerunt, (saltem in exemplaribus, quae vidi) saepius *Actius*, et *Accius*, quam *Attius* legitur: licet in nonnullis *Attius* inveniatur. Ex tot *Tragoediis* hujus Poetae, quae citantur ab antiquis, nulla integra ad nos pervenit. Fragmenta solum supersunt, quae Stephani, viri eruditi, et celebres Typographi collegerunt.

Accii cujusdam Historici, et Oratoris Sisennae amici meminit Cic. in *Exordio lib.* 1. *de legibus*, quem in multis reprehendit.

Accius sive *Actius* (*L*) Poeta Romae notus Ciceronis aevo. De eo narrat Val. Max. *lib.* 3. *Fact. et Dict. memorab.* J. Caesari ampliss. Viro in Poetarum collegium venienti non assurrexisse. Non quod majestatis ejus esset immemor, sed quod in comparatione communium studiorum aliquanto superiorem se esse confideret: quapropter insolentiae crimine caruit, quia ibi voluminum, non imaginum certamina exercebantur. Nonnulli arbitrantur, hunc Caesarem, non C. Julium Dictatorem, sed Caesarem Strabonem, qui Mariano bello periit, fuisse. Verum indicia, quae affert Valer. sunt Caesaris postea Dictatoris perpetui, et Rom. Imp. Inter Historicorum Fragmenta fit mentio *Accii Historiae*. Vel de hoc, vel de antiquiore *Accio* Poeta narrat Plin. *l.* 34. *Hist. Nat.* quod cum statura brevis esset, maxima forma statuam in Camaenarum aede sibi posuit.

Actius (*T*) Pisaurensis Orator, laudatus a Cic. in *Bruto*. Accusavit Cluentium a Cic. defensum. Ejus *Orat.* desid. Pisaurenses contendunt hunc fuisse filium *L. Accii* junioris, et nepotem *L. Accii* antiquioris, hosque omnes Colonos Pisaurenses fuisse: adduntque in Pisaurensi agro inventas Inscriptiones, in quibus trium *Acciorum* fit mentio, et insuper fundum *Acciorum* reperiri. Forsitan 3. hi ex familia antiquissimi Poetae *Accii* Attellanarum scriptoris fuerunt, et ejus familia Pisaurum se transtulit, cum colonia fuit deducta an. V. C. 566.

Corollarium II.

In citandis hisce Poetis, et aliis antiquis, qui *Actii* vel *Accii* nomen habebant, magna est confusio, orta ex eo, quod librarii, typo-

graphi, vel typographiae correctores cum perinde nunc pronunciari videant, sive per *ct*, sive per duplicem *c* *Aecius* scribatur; perinde item esse putent sive uno, sive alio modo edi: nescientes procul dubio apud antiquos Romanos, consonantes duplicem sonum non habuisse, et quae per *t* scribebant per *t* pronunciasse, etiamsi post *t* sequerentur binae vocales, quarum prima esset *i* sicut per *t* pronunciabant, (quod nunc etiam obtinet) cum postea unica, aut binae vocales sequebantur, quarum prima non esset *i*: quocirca diverso sono pronunciabant *Actius*, et *Accius*, et personarum confusio per ea nomina significatarum tollebatur, constanter retenta ea nominum diversa orthographia nunc a librariis neglecta ex vitiata pronunciatione.

Jam vero in Praenominibus, Nominibus, et Cognominibus aliorum Auctorum ex variis capitibus oritur etiam confusio: qua fit, ut Opera, quae unius sunt, aliis non semel tribuantur, vel ut iidem citentur qui diversi sunt, vel tamquam diversi, qui iidem prorsus sint. Primum caput est, vel ignorantia, vel incuria librariorum describentium, vel typographorum, et typographiae correctorum, qui unam litteram pro alia inconsiderate in Nominibus substituunt. Idem dico de Praenominibus, et Cognominibus, si ea citatus Auctor habuerit. Secundum caput est similitudo, vel ut ita dicam, idemtitas Nominum, et Cognominum, quibus Auctores appellantur: praesertim cum Romani Praenomina solis primis litteris notarent: saepe una, nonnunquam primis duabus, vel tribus (vide Plut. in *Problemm.*, et verbo *Notae* in *N*). Haec confusio notatur a Plutarcho, adducto nomine *Spurius*, quod per *Sp* consignabatur, quae Scriptura etiam *sine patre* significabat. Haec confusio tolleretur, si constanter Auctores parum noti cum suo Nomine, Praenomine, et Cognomine, si illa haberent, citarentur cum orthographia non vitiata: nam pauci sunt, qui in Praenomine, Nomine, et Cognomine conveniant, nisi forte sint pater, et filius, et tunc notari debebat, quaenam sint patris, quaenam filii. Tolleretur etiam, si fax Cronologiae adhiberetur.

In Auctoribus magis notis, seu quorum Opera, sunt notissima, haec cura adhibenda non est. Sive enim *Tullius*, sive *Cicero* citetur in vulgatis ejus Operibus, nulla dubietas, confusio nulla imminet, licet ejus filius *M. Tullius Cicero*, ejus frater *Q. Cicero*, ejus libertus *Tiro Tullius*, et alter, ejus librarius *Laurea Tullius*, omnes Viri litterati, aliique Romani *Tullii* nomine appellarentur. Idem esto de livio Patavino notissimo Histor. Rom. licet fuerint alii *Livii* nomen habentes. Nonnulli ob Nominum similitudinem putarunt, C. Caesarem, de quo Cicero in *libris de Oratore*, ut de homine facetissimo loquitur, C. Jul. Caesarem Dictatorem fuisse, non animadvertentes, hunc posteriorem fuisse C. Caesare de quo illic sermo est. 3. caput unde oritur etiam confusio est, quod Auctores habentes Nomen, et Praenomen saepe citantur praemisso Nomine ad Praenomen:

saepe ab uno Scriptore citatur solum Nomen, et ab alio solum Praenomen, nulla facta nominis mentione: et hinc lector videns diversas has citationes in errorem facile inducitur, maxime in Auctoribus parum notis, putando, diversos Auctores a diversis, vel ab eodem etiam Scriptore (si hic citandi rationem eandem non servat) indicari; cum idem Auctor sit, nunc citatus cum solo Nomine, nunc cum solo Praenomine, 4. caput est Nominum, et Cognominum commutatio per adoptiones. Adoptatus enim propriae familiae relicto Cognomine, et proprio etiam Nomine, adoptantis Nomen, et familiae Cognomen assumebat. Sic Novatus, filius M. Senecae postea *Gallio* est appellatus, quia adoptatus a Gallione. Haec in antecessum adnotare pigitum non est occasione ex *Actii*, *Accii*, et *Attii* nominibus arrepta, ut lectori mirum non sit, si nonnunquam in indicandis Auctoribus, et eorum Operibus in decursu hujus *Syllabi* incertus animi haeream, cum de illis sermonem instituo, qui eisdem Nominibus appellantur. Si legitimae, et antiquae credantur Inscriptiones Pisaurenses, de *Acciorum* familia, *Accii* Nomen per duplex *c* est scribendum, et libertinorum familiam esse affirmat Eusebius, de *L. Accio* Tragoedo loquens in *Chronicis*.

Corollarium III.

Acclamationes. Inter Romanos litteratos, praesertim post Asinium Pollionem, qui Augusti aevo floruit, in more positum fuisse constat Opera sua cum doctis amicis privatim communicata, et secundum eorum judicium emendata publice postea recitare convocatis viris eruditis, ut hac ratione de Operis recitati merito periculum fieret. Cum Opus legebatur auditoribus gratum, *Acclamationibus* commendari solebat. Formulae autem usitatae acclamandi, quarum meminit Cicero *lib. 3. de Oratore*, et ridet Persius *Satyra 1*, erant *Bene*; *Praeclare*: *Belle*: *Festive*: *Non potest melius*: *Pulchre*: *Recte*: *Euge*. Hic mos obtinuit etiam inter Christianos, cum Conciones sacrae, sive Homiliae in templis recitabantur. De his *Acclamationibus* meminerunt Sancti Doctores Augustinus, et Chrysostomus, qui lachrymas magis, quam hos plausus excitare in auditorio cupiebant suis concionibus. Mos iste publice recitandi inter antiquos Romanos post Asinium, qui primus convocavit frequentiam ad sua Opera recitanda, diu viguit; cum Plin. Caecil. in altera ex *Epistolis* suis *lib. 1.* Senecioni amico scribat: *Magnus proventus Poetarum: fere diebus omnibus Aprilis aliquis recitavit*. His autem recitationibus Viri primarii Urbis, et Imperatores ipsi praesentes saepe erant, ut Scriptorum industriam, et litterarum studia promoverent. Erant etiam publica Poetarum certamina, quae commissiones appellabant, in quibus honores, et praemia, et saepe coronae victoribus decernebantur, ut in *Syllabi* hujus decursu videbitur. Horat. in *Epist.* ad *Pisones*, seu de Arte Poetica et *lib. 1. Sat. 10.* mentionem facit Maetii Tarpae celebris Judicis tempore Augusti harum Poeticarum Commissionum. Vide *Statius. in S.*

Acholius Histor. scripsit libros aliquot de Actis Valeriani Imperatoris, sub quo floruit functus munere Magistri admissionum. Ita Vopiscus. Scripsit etiam *Vitam Severi Alexandri* teste Lampridio. Ejus *Histt.* desiderantur.

Acilius (*C*) scripsit *Annales*, de quibus fit mentio in Collectione veterum Historicorum, quorum fragmenta supersunt. Citatur etiam a Servio in *Virg. Aeneid.* 4.

Acilius (*L*) *Ictus*. De eo meminit Cic. de *Amicitia* tradens, eum fuisse sapientem, et prudentem in Jure civili.

Acro (Helenius) antiquus Grammat. Horatii interpres. Exstant *Comment. in Horatium* sub *Acronis* nomine. Verum Reinesius censet, esse supposititios, et ab aliquo posteriori Scriptore parum latino lucubratos. Sunt qui ei tribuant in Persium *Scholia*.

Corollarium IV.

Acta Senatus Romani, et Magistratuum, ut etiam publica *Acta*, et eventus notabiles Urbis, et Provinciarum Imperii in Tabulas, et Diaria referebantur ab Scribis ad id delectis, qui magna cura, et culta latinitate id praestabant. In Ciceronis *Epist. famil. lib.* 8. est Coelii ad Cic. Epistola continens exemplar *Actorum* in Senatu, ut de illis Cicero absens certior fieret, illicque nomina Scribarum notantur. *Acta* publica diurna Urbis citantur ab Asconio in Commentariis, ad Orationes Ciceronis. In his *Actis* etiam res minus notabiles, et rumores parum certi de rebus minoris momenti indicabantur. In Schedis Ludovici Vives inventum fuit insigne Tabularum diurnarum Urbis fragmentum, quod protulit Reinesius inter suas Inscriptiones. In Fastis Capitolinis sunt fragmenta *Actorum* inscriptorum in marmorum reliquiis, inventis Romae an. Christi 1547. quae sub auspiciis Alex. Card. Farnesii repositae in Capitolio fuerunt. In illis consignantur Magistratus, Bella, Foedera, Triumphi, et rerum aliarum memoriae, et tempora ab an. V. C. 120. ad an. 765. Quae omnia, ut etiam Monumentum Ancyranum de rebus Octaviani Augusti videri possunt in *Thesauro Veterum Inscriptionum*. *Acta* Senatus, cum occulta manere expediebat, a Senatoribus scribebantur. *Acta* diurna, seu Ephemerides Urbis, ut etiam *Acta* Senatus mittebantur ab amicis ad Praesides Provinciarum, et ad belli duces, ad alios item Politicos absentes cupidos sciendi res Urbis, et Imperii. Existimo namque ex omnibus Imperii provinciis mitti Romam solita, quae in illis scitu digna contingebant. His *Actis* sive Diariis respondent Diaria, quae nos *Gazetas*, *Folia*, et *Mercurios* vocamus. De *Actis* praefatis fit saepe mentio in *Epistt.* Cicer., in Livii *Hist.*, ac in *Annal.*, et *Histor. Taciti*, ubi indicatur, veteres Annalium, et Historiarum Rom. Scriptores ea *Diaria* sive *Acta* consuluisse: quod etiam ex variis locis Dionysii Halicarn. colligi potest. Cicero in *libris Epistt.* ad Q. Fratrem narrat *Acta* in Senatu, et Urbe variis diebus, ut *Epist.* 1. *lib.* 2. unius diei *Acta*: in 3. *Epist.* ejusdem libri alia, et

alia in aliis *Epist.* ut de his frater certior fieret cum Asiam gubernabat. Vide *Annales*, *Fasti*, *Libri*, *Notarii*, *Scribae* in suis litteris. Hoc differebant *Acta* Senatus ab Urbis Diariis, quod illa publica auctoritate consignabantur, fabulis, atque mendaciis rejectis: contra vero Urbis, et Imperii Diaria, quae fabulas etiam, et falsos rumores, ut nostra folia publica, saepe continebant, quod ex 1. *Caelii Epist.* ad Ciceronem *lib. 8. Epist. Famil.* constat. Omnes fere Caelii *Epistolae* ad Ciceronem continent narrationes *Actorum* Urbis, et Senatus: quod facit Caelius, ut fidem suam liberet, quam discedenti in Provinciam Ciceroni has res sciendi cupido dederat, ut testatur Caelius *Epist. 1.* dicti libri.

Actius vide *Accius*.

Actius (C) Orator Copponium veneficii postulavit. Ita in fragmento *Tabularum*, sive *Ephemeridum* diurnarum antiquarum Urbis, quod affert Funcius in *Tract. de virili* Kal. Septemb. *Divinationis* inter *Actium*, et Sepasium minorem de accusando Copponio, in qua *Divinatione Actius* victor evasit contra Sepasium, eo quod Sepasii uxor, soror esset nurus Copponii.

Aculeo (C) propinquus, et familiaris M. Tul. Cic., qui *lib. 1. de Orat.* et *lib. de Cl. Orat.* eum laudat, ut peritissimum in Jure Civili, de ejus operibus silens.

Acuticus (M) Poeta cujus meminit Cic. *de Cl. Orat.*

AD

Adamitae haeretici Gnosticorum germina, quae pullularunt 2. Eccl. Saeculo, nudi sine sexuum separatione in loca occulta, et subterranea conveniebant, illicque orabant, vel nefanda patrabant, putantes, ea nuditate se Adamum, et Hevam, in paradiso nudos innocenter degentes, imitari. Horum scripta pro secta sua nulla supersunt.

NOTA.

Conjicio in hunc Syllabum haeresiarchas, et haereticos litteratos, qui intra prima 4. Ecclesiae Saecula, seu usque ad Honorii Augusti tempora Catholicam Ecclesiam pravis suis dogmatibus, erroribus, et fraudibus perturbarunt, etiam illos qui ex Oriente prodierunt: quia verisimile est, eos ad propagandam sectam suam inter Romanos, et ignaros linguarum Orientalium latino sermone plura scripsisse, vel scribere fecisse, quae merito omnia fere perierunt.

Adrianus, sive *Hadrianus*, patria Tyrius, Sophista docuit Athenis, unde a M. Antonio, cui charus erat, fuit Romam perductus.

Adrianus, sive *Hadrianus* (Aelius) Trajani Consobrinus, et Hispanus genere Rom. Imper., qui ob magnum Graecarum litterarum studium, et morum Graecanicorum affectationem *Graeculus* vulgo appellabatur. Fuit Orator, Poeta, Histor., Philos., Grammat., Jurisconsultus, Mathemat., et Astronomorum sui temporis facile princeps. Primus Caesarum barbam nutrivit more Graecorum Philosophorum, barba, et

pallio insignitorum. Volebat in omni disciplinarum, et artium genere omnibus superior videri, adeout invidum suum animum dissimulare nesciret, cum videbat aliquem in arte sua eminere. Plures in Senatu, et Castris *Oratt.* habuit, quae desid. Citatur ab A. Gellio *lib. 16. c. 13.* ejus *Oratio* in Senatu habita pro Italicensibus, ex quibus oriundus erat, quae desid., ut etiam *Historia*, quam edidit de rebus suis. In *Orat.* pro *Italicen.* egit de jure Municipiorum, et Coloniarum, in qua *Orat.*, ut Gellius testatur, videtur Municipia Coloniis praetulisse. A Vegetio Renato citantur ejus *de re militari Commentarii* qui desid. In Poesi adeo versatus erat, ut versus ex tempore funderet, tum serios, tum joculares, et facetos. Florus quidam Poeta ei familiaris notae dicacitatis, non ignorans, *Adrianum* provincias imperii peragrando libenter inter Britannos, et Scythas versatum fuisse, haec Carmm. ei recitabat.

Ego nolo Caesar esse,
Scythicas pati pruinas. cet.

Auditis ab Adriano his versibus, confestim versibus ejusdem metri Floro respondit:

Ego nolo Florus esse:
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Calices pati rotundos.

Vide Spartianum in *Adriano*, ubi multa de ejus universali doctrina, et de versibus ejusdem. Obiit post 22. imperii annos, et 72. aetatis, an. Christi 138. spontanea morte. Morti proximus hos versiculos canebat cum Anima sua loquens:

Animula, vagula, blandula,
Hospes comesque corporis:
Quae nunc abibis in loca?
Pallidula, rigida, nudula,
Nec ut soles dabis jocos.

Quibus versibus ostendit, non prave sensisse de Animorum immortalitate. Suidas tradit, eum multa Poemata reliquisse. Laudandus *Adrianus*, quod in Christianos non saevierit, feceritque cessare persecutiones, et vexationes in Christianos persuasus Quadrati, et Aristidis Apologiis. De eo narrant Historici, uno tempore scribere, dictare, audire, et cum familiaribus solitum confabulari: quae si vera sint, oportet, eum magno ingenio praeditum fuisse. (Vide *Favorinus* in *F.*) Verum ejus ingenium, doctrinam, et famam denigravit, Antinoo puero, quem insano, et nefando amore prosequebatur, divinos honores decernens, et templum defuncto dedicans. Quo facto etiam Ethnici prudentiores eum insanum reputarunt.

Corollarium V.

Aedes Romanorum illustrium atria habebant, in quibus Majorum imagines expositae erant, quae in funebri pompa defunctorum ex familiar afferri solebant.

Aediles. Cura aedium publicarum, et privatarum, aquaeductuum, cloacarum, ludorum publicorum, annonae, loca in theatro assignandi, et ne fraus fieret in ponderibus, et mensuris ad *Aediles* spectabat. Desiderantur Edictiones aediliciae innumerae. Hic magistratus sella curuli utebatur.

Aedituus (Val.) Poeta Epigramm. Afferuntur ab A. Gel. *Noct. Att. l. 19. c. 9.* bina *Aeditui* Epigr. amatoria, quae in venustate, et suavitate opponi posse optimis Graecorum de simili argumento contendebat Ant. Julianus Hispanus Rhetor, et Gramm. doctiss., qui ea in convivio Athenis velans caput, more Socratico, eo quod amatoria essent, recitavit, ut coram amicis litteratis reprimeret Graeci cujusdam Asiatici, illic accumbentis, audaciam, et jactantiam, qua latinos Poetas Graecis longe inferiores fuisse non sine conviciis affirmabat. Alia *Aeditui* Epigrammata desid.. Laudatur a multis antiquis, et Varro nonnullos ejus versus citat.

N O T A.

Ex Gellii narratione colligi potest; Graecos, et Asiaticos, post Tiberium praesertim, qui multum studuit per Imperii provincias, etiam Orientis, latinam linguam propagare, latinae, sive Romanae litteraturae expertes non fuisse, ac in scriptis Romanorum etiam poeticis versatos fuisse. Vide *Claudius* in *C.*; *Latina lingua* in *L.*

Corollarium VI.

Aegyptii fama doctrinae ab antiquis temporibus floruisse dicuntur praesertim postquam Hebraei ex Chaldaea Aegyptum incoluerunt. De Aegyptiorum ingenio, et doctrina, deque Alexandrinorum moribus, et omnium disciplinarum Scholis vide Cael. Rhodig. *l. 6. lect. antiq. c. 3. et 4.* Complures *Aegyptios* Romae, et in provinciis Romana litteratura insignes fuisse constat, inter quos Claudianus sub Honorio merito recensetur.

Aelianus (Claudius) Phil., Rhetor, et Historicus Romae docuit sub Severo Alexandro Caesare Rhetoricam. Plura Graece edidit, ut *Historiae Animalium libros 17.*: nisi si illi, qui ad nos pervenerunt sint antiqua versio ex latinis ab eo primum editis: nam ipse latinus erat. Quidquid de hoc sit nullus dubito, quin illico vel ab ipso, vel ab alio ex Graeco in Latinum Opus illud de *Animalibus* versum fuerit, ut etiam *libri variarum Histor.*, et de *Providentia* contra Epicurum, ut Romanis Graecae linguae ignaris usui esse possent. Verum antiquae istae *versiones* latinae desid. Erat patria Praenestinus; et laudatur a Philastrio, quod, cum Romanus esset, tam probe atticissaverit, quodque peregrinam linguam tam bene noverit, eaque in scriptis suis usus fuerit: quod argumento esse potest, paucos inter Ro-

manos fuisse, qui Graecam linguam perfecte scirent.

Aelianus (Maecius) Medicus insignis Italus, qui primus, Galeno teste, theriaca contra pestem usus fuit. Ejus curandi methodum laudat Galenus. Scripta, siqua ille edidit, latent, vel perierunt.

Aelius (C) scripsit *Commentt.* in *Carmina Saliaria*. Ita Varro de *lingua lat. lib. 6. c.* 1. *Commentarii Aelii* desid. Si hi *Commentt.* ad nos pervenissent, multa nunc ignota de antiqua lat. lingua, nobis essent explorata.

Aelius vel, ut alii scribunt, *Elius*, insignis lat. Gramm. Ex ejus sententia Varro ait: *intempestam noctem* dici, cum tempus agendi est nullum: quod alii *concubium noctis* appellant, eo quod fere omnes tunc cubent. Alii quod omnes tunc sileant *silentium noctis*, quod Plautus *conticinium* vocat. Hic *Aelius* mihi videtur esse, idem cum eo, qui sequitur.

Aelius (L) *Stylo*, sive *Stolo* dictus, Varronis Magister teste Cicerone, et Philosophus Stoicus, quem aliqui perperam *Laelium* vocant jungentes *L* praenominis *Lucius*, cum nomine *Aelius*, quod ignorantiae, vel librariorum, vel typographorum tribui debet. *L.* hic *Aelius* multum laudatur a Cic. in *Bruto*. De eo tradit, Equitem Rom. eruditissimum in Graecis, et Latinis litteris, ac in Antiquitatibus peritiss. fuisse. Tradit etiam, eum, quin Oratorem in foro ipse ageret, pro aliis varias *Orationes* lucubrasse. Tandem ait, se adolescentem perstudiose eum audivisse. *L.* hujus *Aelii* opera nulla leguntur.

Aelius (Sextus) antiquus Jurisconsultus. De eo ut Jura civibus praescribente loquitur Cic. de *Senect.* Fuit Cos. et ob suam singularem prudentiam *Catus* ab Ennio in *Annal.* appellatus. Edidit *Commentt.* in *leges 12. Tabularum*, qui desid. In his forsitan continebatur jus priscum *Aelianum* dictum, in quo novae formulae juris tradebantur. *Aeliorum* gens pauperrima erat, adeout 16. ex eadem familia una domuncula clauderentur: quod, ut puto, contingebat, cum prisca paupertas Romae vigebat, et in honore erat, quae, immodico luxu postea invalescente, et morum corruptela, ludibrio fuit.

Aelius (Pub.) Sexti frater etiam Jurisconsultus, et Cos. vide de utroque Gravinam in Opere de *Orig. Juris Civilis*.

Aemilianus (Sicinius) Orator, et accusator Apuleii, de quo hic in *Apologia pro se*. Ejus *Oratio* desideratur.

Aemilius (Paullus) Vir litterarum studiosus, qui primus, teste S. Isidoro *lib. 6. Orig.*, Romam magnam copiam librorum advexit an. V. C. *586.* devicto Perseo Macedoniae rege, praeter ditissimam auri, et argenti praedam, de qua postea Verbo *Aerarium*.

Aemilius (M. Lepidus) vel *M. Aemilius Lepidus*, *Porcina* dictus Pont. Max. et summus Orator, cujus *Oratt.* desid. nam quae affertur a Sallustio Crispo in Fragmentis, quae supersunt *lib. 1. Histor.* qua Pop. Rom. hortatur, ut arma sumat contra Syllam, ea, inquam, licet *M. Aemilio* Lepido tribuatur, a Sallustio historica libertate fuit lucubra-

ta expressis stylo suo *Aemilii* sententiis. Hic missus fuit a Senatu Alexandriam Aegypti, ut educaret, regeret, et tutaretur defuncti regis Ptolemaei filium, quem moriens pater sub tutela Pop. Rom. testamento suo reliquit. Cic. in *Bruto*, seu de *Cl. Orat.* ut bonum Scriptorem eum commendat. Vide *Lepidus* in *L*. Ex Gente *Aemilia* fuit Scipio Africanus Junior, adoptatus a filio Scipionis Africani antiquioris.

Corollarium VII.

Aerarium Populi Rom. in quo aurum, et argentum Reip. reposita erant, ut etiam Acta publica, Senatusconsulta, et libri Elephantini, in quibus descriptae erant 35. Urbis Tribus, situm erat in templo Saturni, ubi Censores creati jurabant, et quo conveniebant Legati exteri Romam missi. Septem annis ante 3. bellum Punicum erant in *Aerario* undecim mil., et 200. auri librae, et 92. mil. librarum argenti non signati praeter pecunias, seu metallum jam signatum, ad nummos aureos, et argenteos redactum. Cato Censorius ex Hispania redux, devictis antiquis Cataloniae, et Celtiberorum populis, Romam adsportavit, et in Aerarium intulit 148. millia librarum argenti: auri autem Oscensis 540. libras an. V. C. 560. plus minus. Post superatum a P. Aemilio Persen, seu Perseum, tantum auri, et argenti a Paullo Aemilio in *Aerarium* fuit illatum, ut nullum tributum imperatum deinceps fuerit usque ad Hirtii, et Pansae consulatum. Ita Plin. in H. N. Jam vero an. V. C. 648. a Q. Caepione Cos., Tolosa in Galliis praedata, in *Aerarium* adsportata fuerunt 110. mil. auri pondo; argenti autem quinquies decies centena millia, quae ex illa Civitate ablata fuerunt. Ita Justinus. *Aerarium*, quod sacrosanctum erat, et ex quo nihil extrahi poterat, nisi urgente bello contra Reipub. hostes, vel ad Opera publica, expilatum fuit a C. Jul. Caesare initio belli Civilis, Senatu frustra reclamante, et Aerario Praefectis contranitentibus. Vide *Fiscus* in *F*.

Aerius antiquus haeresiarcha, qui 4. Ecclesiae seculo praeter Arianismum, quo imbutus fuerat, alios errores invexit, quos Orthodoxi Patres damnarunt, et refutarunt. *Aerii* non paucos errores nunc amplectuntur Lutheriani, et Calviniani, licet scripta *Aerii*, et veter. Sectatorum perierint. De hac haeresi S. Epiphan., et Theodoretus egerunt.

Aeserninus Orator, qui rogatus noluit CN Pisonem maleficii in Germanicum Caesarem, cujus in Asia legatus fuerat, accusatum sub Tiberio defendere. Ita Tac. *l. 3. Annal. Aeserrnini Oratt.* nullae supersunt.

Aesopus celebris Rom. Histrio, Tragaediarum Actor, Roscio coaevus. Fuit Roscio gravior in gestu; Roscius autem citatior. Macrob. in *Saturn.* indicare videtur, tunc Histrionicam professionem inter turpes non habitam, licet Gellius contra sentire videatur. *Aesopus* filium ditissimum reliquit ex proventibus artis suae, sed adeo prodigum, ac luxui deditum, ut unionem ingentis pretii uxoris suae aceto liquefactum coenae apposuerit bibendum. Ita Horat. *lib. 2. Serm.* dicens.

Filius Aesopi detractum ex aure Metellae
(Scilicet ut decies solidum exsorberet) aceto
Diluit insignem baccam .

Corollarium VIII.

Aetates latinae linguae, sive latinorum Scriptorum varie a variis describuntur, qui tamen fere, diversis licet verbis, in idem conveniunt, si unum aut alterum ex Criticis excipias. Sunt qui *Aetates* latinae linguae in Antiquissimam, Antiquam, Perfectam, et Imperfectam, dividant, ut Cardinalis Adrianus in aureo suo *libello de Sermone latino*: Sunt qui in Infantiam, Adolescentiam, virilem *Aetatem*, Senescentem, et Senium partiantur, ut Funcius. Sunt qui in Ferream, Aeneam, Argenteam, Auream, et rursus decrescente integritate, et cultu latinae linguae, ab Aurea in Argenteam, Aeneam, et Ferream *Aetatum* latinae linguae tempora distribuant: quae divisio Dominico de Colonia de *Arte Rhet.* scribenti placuit, Antiquissima *Aetas*, sive eam Infantiam, sive Ferream appelles, dicitur, quae coepit a Roma condita ad Livii Andronici tempora, qui primus excoluisse dicitur latinum sermonem. Antiqua, Aenea, sive Adolescentia, a Livio Andronico ad Plauti, et Catonis Censorii tempora. Argentea a Plauti, et Catonis temporibus usque ad Ciceronis ortum. Aurea demum illa dicitur, quae 100. fere annos duravit a Ciceronis ortu, seu a Syllae temporibus ad Augusti excessum, quae etiam *Augustaea Aetas* appellatur. Post Augusti obitum sensim latini sermonis integritas corrumpi coepit, in pejus ruere, et retro labi, ac veluti ex auro in argentum, ex argento in aes, et ferrum redire. Nonnulli confundunt *Aetatem* Auream cum Aenea, et Argentea, quae Auream praecesserunt, adeout Auream *Aetatem* annos circiter 230. durasse putent: et hi inter *Aetatis* Auraee Scriptores recensent Livium Andronicum, Fab. Pictorem, Sex. et CN Gellium, Actium, Pacuvium, Naevium, Caecilium, Ennium, qui vix inter Scriptores Aetatis Argenteae numerari merentur, si Ciceronem, aliosque Ciceronis aevi, et posrerioris Scriptores audiamus. Illud merito Q. Moder. Censorinus in *Paradoxis de Vita, et Morte lat. linguae* miratur, quod qui praefatos Scriptores Ethnicos in Aurea *Aetate* ponunt, Christianos antiquos latinos Scriptores, qui elegantius, et nitidius, quam illi, scripserunt ab Argentea Aetate post Auream excludant, et in Aeneam, Ferream, et Luteam rejiciant. Vide *Actius*, *Andronicus*, *Caecilius*, *latinus* sermo, *Lingua*, *Naevius*, *Pacuvius* in suis litteris. De *Aetate* ad Magistratus Romanos obtinendos requisita, vide *Magistratus* in *M*.

Aeterianus Grammaticus citatur a Macrobio *l. 3. Saturn.* super versu quodam Virgilii perperam a nonnullis emendato, vel potius corrupto.

Aethicus Christianus Scriptor post Constantinum M. Descriptionem Cosmographicam edidit secutus ordinem servatum ab orbis dimensoribus sub Jul. Caes. et Augusto. Haec Descriptio desid.

Aetius vide *Anomi*.

Aetius (Pastor) Senator, qui apud Cestium declamabat. Ita M. Sen. *l. 1. Contr. 3.*

Aetius haereticus, Antiochenae Eccl. Diaconus, a Leonzio ordinatus (cum antea Aurifex esset) sub Constantio Imp. una cum Eunomio plura dogmata insana, et pestifera sparsit praeter Arianismum, quo etiam infectus erat. Docebat enim, nullum peccatum imputari fidem habentibus, solamque fidem sine operibus ad salutem aeternam satis esse. Purgatorium etiam negabat, sibique revelata ajebat, quae Apostolis Deus celaverat. Plures ex his erroribus renovarunt Lutherus, et Calvinus, quos olim Ecclesia in *Aetio* damnaverat. Relegatus a Constantio *Aetius*, ab exsilio fuit a Juliano Apostata non multo post revocatus. Vide Hist. Eccles. *Aetii* scripta nulla supersunt.

Aetolus (Alexander) a Servio *in Virg.* citatur ejus *lib.* inscriptus *Musae*.

AF

Afer (Domitius) Orator Romae clarus, qui summis honoribus et eloquentiae laude ornatus sub Nerone obiit. Ita Tac. *lib. 14. Annalium*. Fabii Quintiliani magister fuisse dicitur, vel Romae, quo forsitan adolescens Quintilianus a Patre missus fuit, vel in Hispania, quo *Domitius*, vel ex Italia, si Romanus erat, vel ex Africa, si inde *Afri* nomen traxit, concesserat. Laudatur Domitius *Afer* a Quint. lib. *10. Instit. orat.* ut praestantissimus in toto genere dicendi, et qui in numero veterum haberi posset. Ejusdem maturitatem commendat lib. 12., et princeps fori, ac omnium, quos novit Oratorum summus ab eodem, fortasse discipuli affectu, appellatur. Scripsit binos *libros de Testibus*. Ita Quint. *lib. 5.* Ejus de Virgilio judicium exponit *lib. 10.* Ibidem tradit Quint. duas *Orat.* habuisse: unam pro Laelia: pro Cloantilla alteram. Oravit etiam pro Voluseno Catulo, et contra Libertum Claudii Imper. Ut venustiss. in narrationibus laudatur *lib. 6. Instit.* De ejus urbane dictis scriptos libros testatur idem Quint., et in senectute auctoritatem perdidisse: ut existimo, quia accusationes suscepit virorum clarissimorum, quod Tacitus scribit, nisi si de alio ejusdem nominis loquatur, quod vix crediderim. *Afri OO* desid.

Afer (Septimius) Poeta. De eo legi, quin adnotare succurrerit, in quonam scriptore, Jani laudes panxisse.

Afranius celebris Poeta Com. qui P. Terentii jam senis temporibus floruit ad an. ante Christum 170. Scripsit Comoedias Togatas non paucas, quarum nonnullae mutilae leguntur. Citatur a Festo in *Repudiato*, ac ab aliis antiquis cum laude memoratur. Cic. ejus elegantiam, et ingenium commendat. Verum Quintil. acerrimi judicii, et notae probitatis vir in *Instit. Orat.* eum notat ut juventutis corruptorem ob impudica sua Carmina. Plures ejus Comoediae citantur a Grammatt. antiquis. Sedigitius de eo non meminit in Judicio Comicorum.

Afranius Orator coaevus Quintil., qui ejus dicendi vim laudat lib. 12. Instit. *Orat.* Ejus *Oratio* desid.

Afrania (ɔ) Licinii Buccionis uxor. Haec, prona ad lites contrahendas pro se semper apud Praetores verba fecit, et orabat non sine magna impudentia. Ita Val. Max. *lib. 8. c. 3.* Ex quo intelligitur, eam et eloquentia, et Rom. Juris peritia instructam fuisse. Nihil tamen ab ea scriptum superest.

Africanus (Sex. Caecilius) vide *Caecilius* in *C.* diversus ab *Africano*, qui teste Lampridio fuit Alex. Severo a Consil. et Papiniani discipulus.

Africanus (Jul.) Christ. Hist. Origenis aequalis, et amicus. Scripsit Historiam ab origine Mundi ad Macrinum Imperatorem. Photii aevo legebantur ejus *Historiae*. Nunc autem sola fragm. supersunt. Scripsit etiam ad Origenem de Susannae historia *Epistolam*.

Africanus Vir eloquens caussarum in foro Patronus assiduus sub Valente Imper. a quo fuit occisus. De eo Ammianus Marcel.

AG

Agathenus Medicus magister Archigenis, de quo postea.

Agatherius (Claudius) Medicus, et Phil. praeclarus Cornuti Phil. amicus, et valde familiaris. Eum Persius Poeta Satyricus cum admiratione audiebat in Cornuti aedibus ob eximiam suam doctrinam, cum Persius ad Cornutum magistrum ibat. Ita Suet. in *Persii Vita*, *Agatherii OO* desid.

Agellius (non confundendus cum A. Gellio quod nonnulli faciunt) *Historiarum libros* edidit, quorum fragmm. citantur in *Collect. veterum Histor. fragmentorum*.

Agnoetae haeretici, ita dicti ab ignorantia, quam Deo, et Christo stultissime tribuebant. Eorum Auctor, et dux fuit quidam Theophronius prope finem 4. Eccl. seculi. Eorum Scripta perierunt.

Agricola (Jul.) Cornelii Taciti socer, eloquio, prudentia, et militari virtute insignis, qui in sinu matris Juliae Procillae Matronae ornatissimae per omnem honestarum artium cultum, ut ait Tacitus, pueritiam, et adolescentiam transegit. Sub Tito, et Domitiano Imperatt. Britanniae Praefectus, et Dux Rom. exercitus in ea provincia fuit, ubi multa egregie facta fuisse ab eo narrat Tacitus in ejus *Vita*. Pacata Provincia, et finita Praefectura, Romam redux singulari prudentia, et moderatione sua Domitiani invidentiam, et crudelitatem, quam magni Viri alii, eo dominante, subibant, expertus in se non est. Quod impetravit fugiens omnem in ingressu strepitum, et pompam: cum principe, de rebus gestis suis non loquens: in secessu vivens: Clientum comitatum, et salutationes detrectans, ac tanquam privatus agens, ab omni fastu remotus. Hoc servato vitae instituto, minime suspectus Domitiano, licet saepe ab inimicis, et delatoribus accusatus, semper evasit absolutus, et apud suos tranquille obiit multis in rempub. meritis, et bonorum omnium laudibus or-

natus. Vide Corn. Tacitum in *ejus vita*. *Orationes*, quas in Castris in Senatu, et Foro habuit, desid.

Corollarium IX.

Agricultura. Hanc non pauci ex antiquis Rom. etiam litteratis, et Patriciis exercuerunt, quorum nonnulli ex aratro, et ligonibus ad Consulatum, et Dictaturam evocati narrantur, in militari nempe arte non minus quam in agrorum cultu periti. Plures Rom. de *Agricultura*, praeter notos, et quorum opera leguntur, scripserunt, ut in decursu hujus *Syllabi* ostendam. Verum eorum scripta adhuc latent, vel perierunt. *Agricultura*, licet inter Artes liberales non censeatur: digna tamen visa est, uti etiam Venatio, et Ars militaris eidem affinis, quae ab ingenuis exerceretur, quod de artibus aliis sedentariis Romani antiqui non putarunt. Vide *Romulus* in *R*.

Agrippa (Menenius) antiquus Orator, de quo fit mentio in *Dial. de Orat. antiquis, et recent.* De eo etiam meminit T. Liv. *l. 2. Hist.* ubi narrat, *Agrippae* hujus *Oratione* Rom. plebem, quae Patriciorum odio, vexationibus excitato, in sacrum montem secesserat, cum Patribus in gratiam fuisse reductam. Haec, et aliae *Agrippae Orat.* desid.

Agrippa (M. Vipsanius) Aug. Caes. intimus amicus, et gener. Vir fuit egregius, et belli, et pacis artibus clarus, cujus consiliis, et opera in difficilioribus rebus Aug. utebatur felici successu. Edidit *libb. de Vita sua*, quorum secundus citatur a Philargyro in *Comment. ad Virg. Georg.* Edidit etiam *Descriptionem Orbis terrarum*: ex quo opere plura hausit Plin., quae habentur *lib. 3., 4., et 6. Hist. N.*, in quibus saepe dictum opus citat., ut item *l. 35. Orationem* magnificam *Agrippae*, maximo Civium dignam, de tabulis omnibus, et signis, quae Romae asservabantur, publicandis. Haec, et alia Opera *Agrippae* desid. Fuit, ut in vincendis hostibus, et in aliis extra domum felix, ita domi infelicissimus ob nota Juliae uxoris adulteria. Plurima aedificia publica fuerunt ab eo Romae exstructa propriis expensis, et alia ornata post 3. suum Consulatum. Praeter *Pantheon*, quod adhuc exstat, Deo, B. Virg. et Sanctis omnibus nunc, ut olim falsis Diis, dicatum, et aquae Virginis ductum, ab eo factum, unius anni spatio purgavit omnes aquarum Romanarum ductus, eosque refecit, exstructis 130. castellis ad aquarum spiramina: Item disposuit 700. lacus, seu aquarum receptacula ad usum artificum, et hortorum Urbis irrigationem: et super haec aedificia, quae 400. ornavit columnis marmoreis, 300. collocavit parvas statuas, partim aeneas, partim marmoreas. Ita Plinius in *H. N.*

Agrippina (Julia) Neronis Caesaris mater ex Domitio Nerone, cui ante Claudium Caesarem nupta fuit. Scripsit *Hist. vitae suae*, et suorum. Citatur a Plin. *l. 7. H. N.* et a Tac. *l. 4. Ann.* Chaldaei (sic Astrologos Judiciarios appellabant) ab ea consulti de filii Neronis fortuna, responderunt, eum imperaturum post Claudium, cujus privignus erat; at ab eo occidendam matrem: quibus illa amore filii,

et ambitu excaecata: *occidat*, dixit, *dummodo imperet:* adeo imperium, quod Britannico, filio Claudii ex Messallina, debitum erat filio suo Neroni contingere optabat. Chaldaeorum vaticinium verum evasit. Nero imperavit, post Claudii excessum (ante Claudii obitum sublato Britannico), et matrem Imperii filii cupidam occidit: quo ea suorum scelerum, et ambitionis immodicae poenas luit. Nam ipsa, et Claudium virum suum venenato boleto necaverat, et ejus consilio Britannicus veneno etiam periit, ut silentio praeteream infame, et nefandum commercium cum filio adolescente, ut eum jam imperantem sibi magis obnoxium haberet, et omnia pro arbitratu gubernaret. Post Agrippinae necem vulgatum fuit hoc Distichon satyricum in Neronem.

Quis neget Aneae magna de stirpe Neronem?
Sustulit (*a*) *hic matrem: sustulit ille patrem*.

Agrippinae Historiae desid.

Agrippinus Carthagin. Praesul in Africa, a quo Agrippiniani haeretici tempore S. Stephani. 1. Rom. Pont. et Gallieni Imper. ad an. Christi 250. Negabat, assentientibus non paucis Africanis Patribus, validum esse baptisma ab haeret. collatum: qui error reprobatus fuit ab Stephano, et postea solemniter a Concil. Nicaenio I. damnatus. *Agrippini* scripta perierunt.

AL

Albigerius Carthag. Vates, cujus Vaticiniis saepe se interfuisse testatur S. August., qui narrat, eum, afflatu daemonis, quae quisque egisset, ac nonnulla, quae cogitasset exposuisse.

Albinovanus (C. Paedo) Poeta, qui fl. an. 35. ante Christi aeram. De eo L. An. Sen. *Epist. 123.* ait, fuisse elegantissimum fabulatorem. M. Sen. in *Suasoriis* affert ejus *Poema* non integrum de Germanici Caes. navigatione per Oceanum. Ovid. eum divinum Poetam appellat plures ad eum ex Ponto *Epistt.* scribens. Praeter *Poema* jam memoratum edidit *Theseida*, seu res gestas Thesei carm. heroico, de quo *Poemate* Ovid. *lib. 4. de Pouto Epist. 10.* meminit. Edidit insuper Epigrammata, de quibus non semel Mart. Ex his pauca ad nos pervenerunt fragmenta. Supersunt tamen *Paedonis Elegiae* de morte Drusi ad Liviam Augustam, quam nonnulli Ovidio adscribunt, et Fragmentum *Elegiae* de morte Mecoenatis. Diversus ab hoc est.

Albinovanus (Celsus) Horatii amicus, et Tiberii scriba, ad quem est Horatii *Epist. lib. 1.* Utrum is sit Celsus Poeta plagiarius, de quo Hor. in *Arte*, et in *Epist.* ad J. Florum an non? incertus sum. Vide *Celsus* in C. Dacierius in Notis ad Hor. hunc cum Paedone confundit.

(a) *Acumen Epigrammatis, valde laudati in ambiguo* sustulit *positum erat. Similes verborum ambiguitates in usu erant Ciceronis aevo.*

Albinovanus (M. Tul.) Orator postulavit de vi Sestium, quem Cicero defendit. *Albinovani* Actio, ut aliae ejus *Oratt.* desid.

Albinus (Aelius) Pompej Magni aequalis, vel eo non multo posterior, Poeta Epicus, qui ternos CN. Pompej triumphos hexametris celebravit. Priscianus Gramm. *l.* 7. affert 3. versus ex hoc opere, quod desid.

Albinus (Clodius) Poeta, scripsit *Georg.* et *Fabulas Milesias*, quae desid. Septimius Severus Imper. in *Epist.* quadam ad Senatum eum notat dicens, immerito litteratum eum putari, eo quod in Fabulis Apulejanis consenuerit. Videtur Senator fuisse.

Albinus (Furius) vir eruditione sua notus, alter ex interlocutoribus in Macrobii *Saturnalibus*.

Albinus (A. Posthumius) Orator, et Histor. Catoni Cens. coaevus. De eo Cic. in *Bruto*, et in *Oratore*, Gellius *lib.* 11. *c.* 8., et Macr. in *Saturn. l.* 2. meminerunt. Scripsit Graece Historias, veniam orans, si minus recte Graeco sermone scriberet, cum Romanus esset, a quo, ut ajebat, Graeca Oratio alienissima erat. Eum irrisit Cato haec legens, et ei dicens = Nae tu, Aule, nimium nugator es, qui maluisti culpam deprecari, quam culpa carere = Vide Gel. ubi supra, et Macr. *lib.* 1. *Saturn.* Forsitan inter *Histt. Albini* numerari debet *liber de Aeneae adventu in Italiam*, cujus fit mentio in Collectione Fragmentorum veterum Historicorum. In *Codice Theodosiano* animadverti, plures inveniri *Albinos* commemoratos, qui vel Coss., vel Praefecti praet. fuerunt a Constantini M. aetate ad Honorium. Appianus Alexand. saepe *Albini* cognomen addit Decimo Bruto.

Albinus (Spurius) Orator, cujus meminit Cic. de *cl. Oratt.* affirmans, suo tempore complures legi *Spurii Albini* Orationes, quae nunc desid. A Boetio in Paef. ad *lib.* Arist. 2. *Periherm.* citatur quidam. *Albinus* Geometra, et Dialecticus, cujus aetatem ignoro. Forsitan Honorio fuit posterior, ut fuere plures alii ejusdem nominis, de quibus non curo, quos inter celebratur a Menkenio Parisiensis ille Albinus *Logicorum rite patrinus* ridiculo Epitaphio notissimo insignitus.

Albinus (Caecina) vir litteratus, de quo a Macr. in *Saturn.*, et a Numatiano in *Itinerario* suo, ut etiam in *Vet. Inscriptione* fit mentio. Is fuit Praef. pr. sub Honorio, qui ad eum direxit *legem* ultimam *de Navicularìis* in *Cod. Theod.* Idemque adducitur a Macrob. interlocutor in suis *Saturn.*

Albinus Ethnicus Pontifex, teste S. Hier. ad Laetam, vir eruditus, qui ex Christiana Conjuge filiam Laetam habuit Christianam, S. Hieronymi discipulam, et S. Paullae nurum.

Albricus Phil. scripsit librum *de Deorum Imaginibus*.

Albutius Rhetor. De eo declamante M. Sen. in *Praef. ad lib.* 7. *Controv.*, et in *Suass.* multa perquam ridicula narrat. In *Praef. ad lib.* 3. *Controv.* tradit, eum cum Codice sedisse auditorem apud Fabianum longe eo juniorem. Verum id *Albutii* sciendi studium com-

mendat, et indicat, Fabiani doctrinam non parvi fecisse. In *libris Declamationum* testatur Seneca, eum declamando raro controversiam implevisse. Ejus *Declamationes*, ut et aliorum innumerabiles, perierunt.

Alethius Quaestor, et Poeta, quem Claudianus offendit, eo quod ejus versus notaverit. Vide Claudiani longum Epigr. *in Alethium*.

Alexander Aegeus, Peripat. Phil. Neronis Magister, Neronem appellabat *lutum sanguine subactum*, ob ejus crudele ingenium.

Alexander Gramm. Virgilii interpres citatur a M. Val. Probo in *Scholiis ad Bucol.* et *Georg.* Virgilii. Fortitan is erat *Alexander* Maroni admodum charus, et ab eo *Alexis* dictus, ad quem est *Ecloga*, *Alexis* inscripta. Donatus in Virgilii vita tradit, hunc *Alexim* fuisse puerum, Asinii Pollionis servum, Virgilio ab eodem dono datum, quia agnovit, Pueri ingenio Virgilium delectari. *Commentt. Alexandri* in Virg. desid.

S. *Alexander* Rom. Pont. er M., doctrina, et sanctitate illustris, qui magnam Romanae nobilitatis partem ad Christum suis monitis, eloquentia, et vitae exemplis traxit. Ecclesiam optimis institutis regebat ad an. Christi 116. Antiqua namque Martyrologia testantur, eum sub Trajano passum; licet in Breviario Rom. ad diem 3. Maji legatur Ecclesiae praefuisse sub Adriano, qui Trajano in Imperio successit. Vide Hist. Eccl.

S. *Alexander* Patriarcha Alexandr., qui primus et Arium damnavit, et eum ab Ecclesia ob pertinaciam suam segregavit.

S. *Alexander* Episc. et Martyr, qui Bibliothecam in Hierosolymitana Ecclesia extructam, et libris instructam reliquit. Ita Hist. Eccl.

Alexander Monachus, vir eruditus, qui, teste S. Hieron. in *Epist.* ad eum, et Mimerium, de *Canina facundia* ad Christi *disertitudinem* transmigravit.

Alfenus (Varus) Jurisconsultus magni nominis, Servii Sulpicii in Jure discipulus. Gel. *lib. 6. NN. c. 5.* eum citans, notat ejus errorem in verbis antiquis latinis interpretandis: recte ne, an secus? Critici dijudicent. Illud memoratu in *Alfeno* dignum, quod cum Cremonae sutor esset, sutrina relicta, Romam se contulit, ut Juri Civili navaret operam: quod tam feliciter ei contigit, ut eximia morum probitate, doctrina, et ingenio suo nixus per varios gradus ad Consulatum, adspirante constanter populari aura, ascenderit; quo munere tanto cum omnium plausu perfunctus fuit, ut mortuus publicis expensis fuerit elatus. Edidit *libb. Collectaneorum*, et *Digestorum*, qui integri non exstant. In *Pandectis* leguntur fragmenta horum Operum, quibus nihil tersius, comptius, atque elegantius secundum Jurisconsultos.

Alfius, sive *Alphius* Rhetor memoratus a M. Sen., ut Declamator in *Controv.* Vix crediderim hunc fuisse foeneratorem illum Alfium, cujus meminit Hor. in *lib. Epodon* eum irridens, et ejus avaritiam, atque inconstantiam notans.

Algebra sublimis ignota veteribus Romanis videtur fuisse.

Alimentus (L. Cincius) Histor., cujus mentio fit a T. Livio initio *l. 7. Hist.*, *lib. 21.*, *et 30.*, ubi eum maximum Auctorem vocat, et antiquorum monumentorum diligentem Collectorem. Illic agit Livius de Clavo magna cum solemnitate a Dictatore fixo ad pestem avertendam. Iu plerisque exemplaribus *Mimantus* corrupte appellatur. Scripsit *lat. Hist.* de Gorgia Leontino. Macrob. citat. ejus de *Fastis librum l. 1. Saturn.* Ejusdem Opus de *re milit.* citatur a Gel. *lib. 16. c. 4. NN.*, et a Vegetio in Opere suo sub eodem tit. Festus citat ejus *lib.* de *verbis priscis*. Scripsit etiam *libb. Mystagogicon*, *de Comitiis*, ac *de Consulum potestate*, qui libri desid. Vide Macrob. loco citato.

Alipius, sive *Alypius* Tagast. in Africa Episc. S. Aug. discipulus, amicus, et comes in Italia. Ad eum, et ad S. Aug. est *Epist.* S. Hieron., in qua dicitur, per eos Caelestianam, seu Pelagianam haeresim fuisse jugulatam. Interfuit variis Africae Conciliis, et fuit alter ex Episc. electis ad conferendum, et disputandum Carthagine cum Donatistis, Praeside Trib. et Notario Marcellino jussu Honorii Imper. Obiit port Honorium. *Alipii* Scripta desid.

Alpinus Poeta Trag. notatus ab Hor. ob suum stylum turgidum *Sat. 10. lib. 1.*, ubi haec:

Turgidus Alpinus jugulat dum Memnona, dumque
Diffringit Rhoeni luteum caput. cet.

Alpini turgida Carm. ad nos non pervenerunt.

AM

Amafanius Phil. Epicur. Rom., qui plura Opera phil. in lucem edidit, quae, quamquam parum eleganti latinitate scripta, Romae cum plausu legebantur. Vide Cic. initio *Acad. QQ*. De Romanis Epicureis ait Cic., omnino Graecam linguam neglexisse, ac sermonis latini elegantiam. De *Amafanio* indicat, principem fuisse inter Rom. Sectae Epicureae, quae Romanis voluptuosis, et luxui deditis maxime probabatur.

S. *Ambrosius* Ambrosii civis Rom. Galliae Praefecti filius, a pueritia optimis disciplinis eruditus, Aemiliae regimini a Valentiniano I. Christ. Imperatore admotus fuit. Adhuc cathecumenus post Auxentium Arianum Praesulem in Episcopum Mediolan. Eccl. mirabiliter electus fuit, cum populum dissidentem, ac tumultuantem pro novi Praesulis electione Caesaris auctoritate ad Concordiam revocabat. Valentinianus valde probavit, quod Ministrum suum in Episcopum Mediolanenses elegissent. Christi Baptismate lotus, ac sacris ordinibus initiatus, curam gregis sui Arianismo infecti suscepit, eumque sanae doctrinae pabulo reficere jugi Verbi Dei praedicatione, doctissimis Scriptis, et vitae exemplo impense studuit. Christianis Imperatoribus valde acceptus ob suam prudentiam, doctrinam, et sanctitatem, Arianismum ex Mediolanensi Dioecesi sua expulit, et plures leges Impe-

ratorias contra Ethnicam superstitionem adhuc vigentem, ac contra haereticam insaniam impetravit. Huic eximio latinae Eccl. Doctori debet Ecclesia S. Augustinum antea Manichaeum, et multos alios haereticos, et Ethnicos ad Christianam, et Catholicam fidem conversos. Ejus Scripta sunt notissima, quorum multa arbitror ad nos non pervenisse. Inter ea, quae leguntur, sunt plures Hymni, quibus Ecclesia in diurno officio utitur. Sunt etiam nonnullae funebres Orationes praeter Sacrae Paginae doctissimam, et utilissimam expositionem. Vide *Gratianus, Symmachus; Theodosius* in suis litteris. Obiit sanctissime an. Christi circiter 397. post an. 22. Episcopatus. Vide Hist. Eccl.

Amelius natione Ethruscus Phil. Platon. Plotini auditor, Origenis Ethnici Phil., et Porphyrii Romae condiscipulus Aureliani Imperat. temporibus. Scripsisse traditur libros *100. Observationum* ex Plotini doctrina, et disputationibus: item *lib. de differentia doctrinae Plotini*, et *Numenii*. Demum *libb. 30. contra apochriphum lib. Zostriani*. Ita Bruckerus in Hist. Phil. Plura ejus *OO*. desid. vel mutila ad nos pervenerunt.

Ammon Geometra, qui post dimensionem Urbis sub Honorio testatus est, ejus circuitum 22. milliaria comprehendisse. Ita Olympiodorus Histor.

Ammonius Christianus Phil. qui Alexandriae publicus Philosophiae Professor auditores habuit Plotinum Lycopolitanum, et Originem Adamantium. Fuit secta Platonicus. De eo vide Coelium Rhodig. *l. 1. lectt. antiq. c. 5.* Forsitan hic fuit *Ammonius*, quem Plutarchi magistrum fuisse tradit Eunapius in *Praefatione ad Vitas Phil.* et de quo saepe meminisse ait Plutarchus in libris suis. Edidit *Concordiam Evangelistarum*, cujus antiqua Versio lat. desid. A S. Isidoro in *Origin.* citatur Ammonius Alexand. Praesul, qui *Canones Evangeliorum* scripsit.

Amoenus Poeta, qui, teste Ricciolio, fl. in fine 4. Eccl. seculi.

Corollarium IX.

Amphitheatrum Romanum erat locus publicus Romae complectens veluti bina Theatra. Nam, quemadmodum Theatrum erat figurae semicircularis, ita *Amphitheatrum* erat figurae integri circuli: ac, ut in Theatro fiebant spectacula Poetica, Comica, et Tragica ad populi oblectationem, ac etiam nonnunquam in eo nova opera Poetica recitabantur; ita in *Amphiteatro* fiebant ludi gladiatorii, venationes, cum feris belluis pugnae, ac conflictus nautici, seu Naumachiae aquis in *Amphitheatri* aream deductis. Spargebatur arena per *Amphitheatri* plateam, ut pugnantes possent pedes firmare, ac non ita pronus casus esset. Praeter *Amphitheatrum* Vespasiani (quod adeo excelsum erat, teste Plinio in *H. N.* ut visus hominis vix culmen attingeret, et ex cujus lapidibus, qui integri restabant ex Gothorum, qui illud combusserunt, strage, Romae moenia sub Roderico rege refecta fuerint, ut Cassiodorus narrat) erant etiam in provinciarum civitati-

tibus erecta *Amphitheatra*, quae statuis, columnis, et vario alio ornatu decorabantur. Vide. *Theatra* in *T.* Romae plura erant *Amphitheatra*, et Theatra, multorum millium spectatorum capacia. *Amphitheatrum* Vespas. in medio Urbis situm, a Vespas. extructum, a Tito filio dedicatum, et a Domitiano ornatum, 87. hominum millia capiebat intra ambitum suum. Vide Rom. Histor. et Mart. in *libro de Spectaculis*.

Ampius (*T*) Historicus, cujus *Hist.* fragm. affertur inter fragmenta veterum Historicorum. Forsitan hic est *Amprius*, (unius litterae in nomine detractione) de quo postea.

Amprius (*T*) tanquam Scriptor citatur a Suet. in *C. J. Caes. Vita c.* 77. ubi narrat quae de C. J. Caesaris dictis nimis impotentibus *Amprius* scripta reliquit. *Amprii* scripta desid.

AN

Anagnostae, sive lectores erant servi, vel liberti eruditi, dicti *ab Studiis* Romanorum. Eorum munus erat legere aliquid cum Heri, vel coenabant, vel deambulabant, vel lectione, aut scriptione fatigati erant, et nonnunquam etiam cum noctu, vel a somno excitabantur, vel somnum capere non poterant: quod indicat quam impense Romani, etiam illustres, litteris darent operam.

Corollarium X.

Analogia. Hac in latino sermone uti saepe opus est, cujus haec vis, teste Quintil. *Instit. Orat. l.* 1. ut id, quod dubium est, ad aliquid simile, de quo non quaeritur, referat, ut incerta certis probet: Itaque non ratione nititur, sed exemplo, nec lex est loquendi, sed observatio, ut ipsam *Analogiam* nulla res alia fecerit, quam consuetudo. Haec Quintil, *Analogiam* vocat Vitruvius Proportionem. Cic. autem ait, *Analogiam*, quae Graeca vox est, latine comparationem proportionemve dici posse. Alibi similitudinem vocat.

Anatolius vir doctus, et in Jure peritus, qui laudatur ab Eunapio in *Vitis Phil. et Sophistarum*. Non liquet, an is fuerit *Anatolius* Christianus doctiss., qui sub Probo floruit, de quo Eusebius, et S. Hier. loquuntur. *Anatolius* fuit Praef. pr. Illyrici, et ad eum sunt leges directae a Cristt. Imperatt. in *Cod. Theod.*

Andro Musicus, et Geometra, M. Aurelii Imp. magister,

Andromachus Pater, Neronis Medicus, filio ejusdem nominis, et professionis clarior. Fuit Poeta, et a Galeno affertur ejus de *Theriaca* Poema Neroni dicatum. Scripsit etiam de Medicamen. compositis ad externos affectus curandos, cujus Operis meminit Galenus, qui testatur de *Andromacho*, fuisse eloquentem, et valde eruditum.

Andromachus filius Romae Medicus, qui soluta Orat. de *Theriaca* scripsit, ut puto, eadem quae Pater Carmine. Hoc scriptum in Galeni Operibus exstat. Forsitan alia edidit, quae latent, vel perierunt.

Andronicus (L. Livius) Livii Salinatoris libertus, et Poeta latinus antiquus, qui ornare coepit latinum sermonem varia lucubran-

do circiter an. V. C. 513. Scripsit *Comoed.* et *Tragoedias*, quarum ipse, et Actor, et Auctor erat. Edidit etiam *Annales* versibus, ac Evhemerum, et Homerum primus in latinum convertit. Supersunt tantum nonnulla *Andronici* fragmenta, quae indicant ejus rusticam latinitatem. Citatur a Gel. *lib. 3. c. 16. NN.* et ab aliis antiquis. Gel. *l. 7. c. 7.* affert versum unum, et alterius dimidium *Andronici* ex Homeri Odyssea ab ipso versa. Cic. in *Bruto* testatur, eum inepte scripsisse, et Fabulas, seu Comoedias parum lectu dignas dedisse. Titulos Comoed., et Tragoed. *Livii Andron.* vide apud Collectores fragmentorum, quae ex veteribus Poetis supersunt. Vide *Aetates* in Corollario antea posito. Non confundendus *Livius Andron.* cum alio *Andronico* Grammatico, qui Romae post eum docuit.

Andronicus Poeta sub Juliano Imper. De eo Ammianus Marcellinus ait, fuisse variis disciplinis instructum, et Carminum splendore notum. Verum splendida haec Carm. in obscuro jacent, vel interciderunt.

Andronicus (Pompilius) Gramm., qui Romae sine plausu docuit, et, cum profectus Cumas multa lucubrasset, egestate pressus *Annales* a se scriptos 16. millibus nummum vendidit, quos Orbilius redemit, et sub Auctoris nomine vulgavit, ne alius ex laboribus non suis laudem sibi doctrinae conciliaret. Vide Suet. *de Ill. Gramm.* Obiit pauperrimus.

Angelici haeretici temporibus Severi Imperat., et Victoris. I. Rom. Pont. *Angelici* vocabantur, eo quod Angelos indebito honore, et superstitioso cultu prosequerentur. Eorum Scripta pro sua secta perierunt.

Corollarium XI.

Angeli ab Ethnicis Romanis, et Graecis *Genii*, et *Daemones* appellabantur. Suntque nonnulli Critici inter Christianos adeo superstitiosi purae, ut ajunt, latinitatis sectatores, qui pro Angelo *Genium* scribere malunt, merito a Mureto notati. De *Angelis* bonis, et malis, seu Daemonibus, seu Geniis, ut ipsis placet, beneficis, et maleficis, superioribus, et inferioribus plura Phil. Platonici, qui etiam, ut Peripatetici, et multi ex Christ. *Angelos* Intelligentias appellant. Videtur, ex antiquissima traditione, *Angelos*, sive Genios tutores, et custodes hominum, belluarum, elementorum, astrorum, et plantarum Ethnicis notos fuisse. De *Genio Socratis* vide Apulejum, qui de Genio, seu Daemonio Socratis scripsit. Vide etiam Diog. Laertium in *Socratis vita*, qui narrat ejus dictum de Spiritu, quem habebat, quique ei futura praedicebat.

Annaeus, Plures Viros doctissimos *Annaea* gens, ex Corduba Patricia Colonia in Hispania, Romae dedit, ut M. *Annaeum* Senecam, et 3. ejus filios; item *Annaeum* Lucanum, *Annaeum* Florum, et Tragoedum Senecam, si diversus fuerit a L. *Anaeo* Seneca Philos.; de quibus in suis locis, Addi posset *Annaeus Cornutus* Phil. in Africa natus.

Corollarium XII.

Annales Romani ab initio Urbis conditae scribebantur, et custodiebantur ab Ethnicae superstitionis Pontificibus: quod ita factum fuit usque ad Mucium Pontif. quo tempore Roma fuit a Gallis capta, et praedata, ac *Annales*, et libri alii combusti: quod accidit an ab. V. C. 360. ut Livius testatur *lib. 6. Hist.* initio. Cicero *l. 2. de Orat.* tradit, hos *Annales* ab Urbis initio scribi coeptos diligenter a Pontiff. Max. et *lib. 1. de legg.* hos *Annales* laudat, ut summe jucundos: *quibus*, inquit, *nihil potest esse jucundius*. Interpretes Ciceronis non pauci putant, hunc Cic. locum esse corruptum: nam vix credere possunt de illis *Annalibus*, qui rusticissima latinitate scripti erant, quique, ut intelligerentur, Delio natatore indigebant, Cic. dixisse (nisi forte ironice) nihil illis jucundius esse posse: idcirco arbitrantur, illic non *jucundius*, sed *jejunius* Cic. scripsisse. Verum alii Critici primam lectionem, quam in omnibus antiquis exemplaribus inveniri ajunt, mordicus tuentur dicentes, Ciceroni, et Viris doctis Historiae amatoribus nihil jucundius esse veritate, simplicitate, et antiquitate, quae dotes in *Annalibus* illis eminebant. Quod si genuina sit haec lectio, forsitan Cic. de posterioribus *Annal.* vel posterius scriptis nitidiore latinitate locutus est. Constat namque ex Livio, *Annales* fuisse postea continuatos. Verum posteriores, si Livio fidem habeamus, male continuati fuere, quod attinet ad factorum veritatem, vel deperditi, qui accuratius erant scripti: et iccirco saepe haeret Livius in Consulum serie, et non semel errat dum *Ann.* sequitur. Idem Livius initio *l. 6.* queritur, quod *Annales* seu scripturas authenticas consulere non possit, et quod sibi necesse sit recurrere ad *Ann.* seu scripturas privatas, in quib. multa dubia occurrunt, cum invicem pugnantia in Consulum, et annorum numeratione in illis legantur. Dionysius Halicarn. accuratius, quam Livius, post eum Rom. Historias scripsit, praesertim antiquas, et ait, se consuluisse sapientiores Romanos, et antiquos Historicos Catonem, Fabium Pictorem, Val. Antiatem, Licinium Macrum, Aelios, Laelios, Calphurnios, nec ut authenticos citat *Annal.* Pontif. *Libros Antiquit. Rom.* scripsit Dionys. Romae, ubi 22. an. commoratus fuit. Haec fere omnia ex Joan. Vergara, Canonico Tolet. doctiss. Vide *Acta: Fasti: Libri: Pontifices: Scriba* in suis litteris. Quo differant *Annales*, et Historia, vide apud Gel. *lib. 5. cap. 18. NN.*

Annalis Jurisconsultus, et vir Praetorius a Triumviris proscriptus, qui apud clientem latitans, a filio proditus fuit, quo occiso, ejus bona proditori filio adjudicata fuerunt a Triumviris.

Annejus (M.), Ciceronis Legatus in Asia, laudatur a Cic., ut sibi necessarius in bello, quod parabat, ob scientiam rei militaris. Vide *Epist.* Cic. ad Thermum Propraet. *lib. 13. Epist. fam.*

Annianus Poeta, Gellii amicus, qui Fescenninos versus dicitur edidisse. De eo Gel. *l. 20. c. 7.*, ubi affert ejus dicta de felium oculis,

et ostreis, quae, luna crescente, crescunt, et decrescente minuuntur: quod contra evenire caepis ait: quae, luna decrescente, congerminant, et crescente minuuntur. Idem Gel. *l.* 9. *c.* 10. de eo narrat, laudasse verecundos, et pudicos Virg. versus de Vulcano, et Venere, et *lib.* 7. *cap.* 7. commendat ejus ingenii amoenitatem, peritiam in veteribus litteris, et in sermone suavitatem: illicque plura de praepositione *Ad*, cum est particula intentionem significans in vocabulis *Admodum*, *Adfatim*, *Adfabre* cet. *Anniani OO* desid.

Annianus Celedensis Diaconus scripsit libb. aliquot pro Pelagiana haeresi, de quibus S. Hieron. in *Epist. ad Alipium*, et S. August. Libri illi perierunt.

Annius Cymber scriptor, cujus meminit Augustus Caesar reprehendens obscurum M. Ant. stylum. Vide Suet. in *Aug. c.* 86.

Annius (*L*) alter ex Praetoribus, et Proceribus populi Latini, qui in Romanos rebellaverat. *Annii* Oratio ad suos memoratur a Livio *libri* 8. initio. Legatus fuit ad Rom. Senatum cum alio Praetore, ut denunciaret Romanis, Latinos, qui cum Campanis ab eis defecerant, pacem cum Romanis non inituros, nisi alter ex annuis Rom. Consulibus ex populo Latino eligeretur.

Anomi, *Anomaei*, seu *Anomiani* haeretici 4. Eccl. Seculo orti, Aetium, et Eunomium secuti, qui docebant, nihil aliud ad salutem requiri, nisi Deum cognoscere. Ipsi autem blaterabant, se non modo Deum cognoscere, sed comprehendere. Ita S. Epiphanius *Haeresi* 76.

Anquilinus Comoediographus Poeta: cujus *Comoediae* nullae supersunt, vel latent.

Anser Poeta amicus M. Ant. Triumviri, cujus res gestas versibus consignavit, ob quod donatus fuit a M. Ant. agro Falerno. Ejus mentionem facit Propertius *l.* 2. *Eleg. ult.* Servius in *Eclog.* 9. *Virg.* obscure *Anserem* taxat, ut etiam Cicero *Philip.* 13. Ovidius *l.* 2. *Trist.* eum Cinna procaciorem appellat. *Anseris* Carm. desid.

S. *Antherus*, natione Graecus, Rom. Pont. et M. passus sub Maximino 3. Eccl. Seculo. Curavit, ut Acta, et Passiones Martyrum a Rom. Notariis ad id designatis scriberentur. Scripsit etiam ad Episcopos Toletanos, et Baeticos, *Epist.* de non transferendis Episcopis ex una sede in aliam, et de aliis ad disciplinam spectantibus.

Anthianus, sive *Antianus*, sive *Anthius* (Furius) ex Oppido Antio ita appellatus, fuit Jurisconsultus incertae aetatis, qui scripsit *libb.* 5. *ad Edictum*, ex cujus Scriptis sunt in *Pandectis l.* 62. *de pactis*, *l.* 40. *de dolo malo*, et *l.* 80. *de rei vindicatione*.

Antias (Furius) antiquus Rom. Poeta, et Hist., sive *Annalium* Scriptor, citatur a Gellio variis in locis, et Macrobio, qui in *Saturn.* testatur, Virg. ex ejus *Annalibus* hexametro versu scriptis plura mutuatum. Vide alia de hoc verbo *Furius*.

Antidico-Mariani haeret. dicebantur, qui B. Mariae Dei Genitrici detrahentes, eam, vel semper Virginem fuisse negabant, ut Elvidius,

et Jovinianus, vel eam Dei Matrem non esse tradebant, ut Nestoriani, qui omnes sunt ab Ecclesia anathemate percussi.

Antigonus professione Statuarius, de arte sua, et de Pictura scripsit. Ita Plin. *l. 34. H. N.* Ejus Scripta desid.

Antimachus, Poeta tumidus, cujus poesi pop. Rom. delectabatur. De eo Catullus in *Epigr.* de *Smyrna Cinnae*. Videtur de rebus Trojanorum Carmina edidisse, et Poemati suo heroico fecisse initium versu illo ab Hor. memorato, et eidem parum probato:

Fortunam Priami cantabo, et nobile bellum.

Opera *Antimachi* ad nos non pervenerunt.

Antiochus Tiberio Claudio Caesari a bibliotheca latina Apollinis. Ita ex antiqua Inscriptione.

Antiochus, Phil. Academ. auditus Romae a Cic., qui de eo meminit. Plut. in *Lucullo* eum vocat eruditiss., eloquentiss., et ingeniosissimum. Scripsit *lib.* ad Lucilium Balbum, quo ostendebat, Stoicos solis verbis a Peripatet. discrepare. Hic *lib.* desid.

Antipater (L. Caelius) Histor. Sisenna antiquior. Scripsit de *Bello Punico*, et commendatur a Cic. in *Oratore*, ubi ait, eum primum fuisse exornatorem Historiae, cum ante eum Historici essent tantum narratores. De eo etiam fit mentio a Gel. *lib. 20. c. 24., et lib. 15. c. 14.* a Val. M., qui *lib. 1. c. 7.* eum vocat certum Rom. Historiae auctorem. De eodem Cic. *l. 1. de legibus* = Paullò inflavit vehementius, habuitque vires agrestes ille quidem, atque horridas sine nitore, et palaestra: sed tamen admonere reliquos potuit, ut accuratius scriberent = Vivebat Gracchorum aetate. Adrianus Imp. eum Sallustio praeferebat. Fuit eloquens, Jurisperitus, et L. Crassi, ac aliorum magister. Ejus *OO.* desid.

Antipater Atticus, patria Tyrius, Panaetio posterior. Scripsit binos libb. de *Divinat.* De eo Cic. *l. 1. de Divin.*, ubi notat quid in Panaetii *libris de Off.* notarit. Obiit Athenis.

Antipater (Sidonius) Poeta extemporalis laudatus a Cic. *l. 3. de Orat.* sub persona Crassi.

Antipater (Gallus), ineptus Histor. citatus a Trebellio Pollione. Ejus Hist. non extant, vel latent.

Corollarium XIII.

Antiquarii illi dicebantur Augusti aevo, qui antiqua vocabula latina jam exsoleta, vel loquentes, vel scribentes usurpabant, quos Aug. reprehendebat, quia videbantur his verbis admirationem magis de se captare velle, quam legentium instructionem. Ob affectatam verborum antiquitatem in stylo reprehenditur a multis Sallustius. Favorinus cuidam verba antiqua usurpanti inter loquendum, et laudanti mores antiquorum, dixit: *Vive moribus antiquis; at loquere verbis praesentibus, ut intelligi possis, vel si intelligi non vis, tace.* Vide Gel. *lib. 1. c. 10. NN.* Augustus etiam M. Ant., et Tiberium affectatae antiquitatis notavit. Nihilominus uno, aut altero verbo an-

tiquo uti solebant Augusti aetate, etiam qui eleganter scribebant in signum non spretae venerandae antiquitatis.

Antistius, vir Praetorius, et Poeta, scripsit probrosa carm. in Neronem Imper., eaque in convivio apud Ostorium Scapulam recitavit. Accusatum in Senatu, contra Marulli sent. de eo necando, defendit Paetus Trasea, qui in insulam deportandum publicatis bonis censuit, quod Senatusconsulto factum fuit. Ita Tac. *lib. 14. Ann.*

Antoninus (T. Aelius), *Pius* dictus, optimus Rom. Imp., qui ab studio sapientiae laudem meruit. M. Aurelium Phil. adoptavit, et ei filiam in uxorem dedit. Fuit pacis amans, et *alter Numa* appellatus. Illud in eo singulare; quod Christianos insectatus non fuit, et semper vera de se audire cupiebat, adulatores aversatus. Mittebat viros probos, et fidos per Urbem, qui populi de se dicta colligerent: et saepe ex eorum relationibus actiones suas in melius commutabat. Ad provincias omnes, Rom. imperio subjectas, misit Rhetores et Phil. docentesque honoribus affecit, et ad diligenter docendum, assignatis annuis salariis, et concessis immunitatibus, excitavit. Ita Historici ejus vitae. Imperavit feliciter an. 22., et menses aliquot, et febri supremum diem obiit in villa sua, an. Christi 161. aetatis 70. Eutropius obiisse ait an. aet. 78., et imperasse an. 24. Habemus *Antonini Itenerarium* non integrum, quod nonnulli ei tribuunt, licet sint, qui ignoto alteri *Antonino* illud Opus adscribant. Franciscus Baco a Verulamio Angliae Cancel. in libb. *de Augm. scientiarum* ait, fuisse subtilem, et scholasticum, ac inde *Cymini sectorem* appellatum. Celebratur ejus dictum = Malo civem unum servare, quam 1000. hostes perdere. =

Antoninus vide *Aurelius*.

Antonius (M), M. Antonii Triumviri avus, Orator, ante Ciceronis aevum eloquentiae laude clarus. Cic. in *Oratore* de eo ait: *Huic primas Oratorum patrum nostrorum tribuebat aetas*. Accusatus de incestu, cum Quaestor in Asiam iturus esse, pro se oravit, et fuit absolutus. Val. Max. *l. 3. c. 7.* hujus *Orat.* meminit, quae *Oratio*, ac aliae ab ipso habitae desid., ut etiam liber de *Arte Rhet.*, quem scriptum ab eo ait Quintil. *lib. 3. Instit. Orat.* De ejus eloquentiae vi, qua milites, ad eum obtruncandum missi, obstupefacti gladios districtos in vaginam incruentos retulerunt, vide Val. Max. *l. 8. c. 9.* Nihilominus occisus fuit a Trib. P. Annio, qui, expers ejus vocis, crudele imperium peregit tempore belli civilis inter Marium, et Syllam.

Antonius (M), Triumvir, milit. virtute insignis, et Oratoriae artis non imperitus. Fuit Cos. cum C. J. Caes. rerum potito, cui fuit ultra modum in reipub. perniciem addictus. Suam in Caesarem singularem propensionem non dissimulat in *Epist.* ad Cic., quae legitur in libris *Epistt.* Cic. ad Atticum *lib. 10.* In ea ait, se post Caesarem Ciceronem diligere, eumque hortatur, ne partes Pompeji sequatur Italiam relinquens. In ea Epistola lectissimam foeminam Tulliolam Cice-

ronis filiam appellat. Post Caesaris necem Rom. Imperii dominationem affectavit, et Reipub. hostis a Senatu habitus est, excitante contra eum Senatorum animos Cicerone *Philippicis suis*. Post nonnulla praelia inter Octavianum adolescentem, C. J. Caes. haeredem, (cui legiones veteranorum Caesaris addictae erant, et pro Repub. stabant) et M. Ant. ac Lepidum, qui suos exercitus habebant, rebus inter eos compositis, Triumviratus coaluit specie constituendae Reip., et revera ad eam opprimendam: nam plures annos arbitratu suo Rempub. administrarunt cum nece optimorum multorum Civium. Verum, mortuo Lepido, rursus inter Octavianum, et Antonium inimicitiae exarserunt ex dominandi in utroque cupiditate. Tandem M. Ant. Cleopatrae Aegypti reginae amoribus irretitus, et ab Octaviano praelio Actiaco victus sibi mortem conscivit an. V. C. 723., quo omnia in potestatem Octaviani reciderunt. Vide, Plut. in *M. Ant. Vita*, et Cic. in *Philipp.*: in quib. tamen plura exaggeravit Cicero contra *Ant.* ut ei odium, et invidiam Senatorum, et populi conflaret. Citatur *M. Ant.* a Suet. ut Scriptor rerum Octaviani postea Aug. Caes. V. Suet. in *Augusto c. 63*. Alibi citat Suetonius *Epistt. M. Ant.* et, inter alia, fragm. impudentissimae *Epist.* ad Aug. affert. Habuit etiam plures *Oratt.*, quibus eloquentiam minime vulgarem ostendit, ut intelligere est ex *Orat.*, quam, occiso Caesare, ad populum habuit, prolata veste Caesaris, pugionibus perforata, et sanguine ejus cruentata. Ea namque ita plebem ad vindicandam Caesaris necem permovit, ut arreptis accensis facibus ad Conjuratorum aedes comburendas perrexerit, et parum abfuit, quin Capitolium, quo se receperant Conjurati, flammis corrumperet. Oravit etiam contra Cic. priusquam ad Mutinam expugnandam iret: quam *Orationem* expendit, et refutat Cicero *Philippica 2*. Librum edidisse dicitur de *sua ebrietate*. Haec autem omnia perierunt. Supersunt solum nonnullae ejus *Epistolae* inter Ciceronianas, et una ad Senatum scripta, cum in castris erat, et bellum Reipub. inferebat, quam affert Cic. in *Philippicis*. In ea usus fuit superlativo *piissimus*, quod, licet non probatum Ciceroni, postea usu obtinuit, et latia civitate donatum fuit. Brutus in *Epist.* quadam ad Cic. lib. *11. famil* in Castris scripta ait, a se interceptos *M. Ant.* quosdam libellos, qui desid.

Antonius (Jul.) Poeta, teste Horatio, non vulgaris, Antonii Triumviri filius, qui, mortuo patre, veniam ab Aug. rerum potito impetravit, et Praetor Romae sub Aug. fuit an. V. C. 741., quod indicat, eum, et Oratorem, et Jurisperitum fuisse. Cum in Aug. postea conjurasset, ejus jussu morti addictus fuit. Ad eum est Horatii *Ode 1. lib. 4.*, qui eum *Julum*, non *Julium*, vocat, Metri, ut arbitror necessitate. Ab Horatii antiquis Commentatoribus citatur *Antonius* quidam, qui Heroico Carmine 12. libris *Diomedeas* scripsit, et alia *Orat.* soluta. Forsitan erat Julius *Antonius*.

Antonius quidam, Romae Rethoricae Magister, et postea magni no-

minis Orator in fine 4. Sec. Eccl. a Symmacho laudatur in Epist.

S. Antonius Abbas, *Magnus* dictus, Monachorum in Aegypto Pater, Constantino M. et filiis valde charus ob suam sanctitatem, et doctrinam, qua Arianos est insectatus. Exstant in *Bibliot. PP.* nonnullae ejus *Epistt.* asceticae ad Monachos, in latinum versae ex Aegyptiaca lingua. Aliae multae, ut arbitror, desid. quae Constantini aevo legebantur. Vide Hist. Eccl. Litterarum commercium habuit cum Constantino Magno. Obiit centenarius. Memorantur multa ejus monita Ascetica utilissima.

AP

Apelles, Tragoedus celebris, flagellis caedi a C. Caligula jussus, eo quod suspensus nonnihil manserit interrogatus ab eo coram Jovis simulacro, quisnam esset melior, Jupiter an C. Caligula?

Apelles, Marcionis discipulus, novos errores invexit. Inter alios docebat, Christum ex B. Virgine corpus non assumsisse, et sine corpore ad Coelos ascendisse. Vivebat circa finem 2. Eccl. Sec. Ejus scripta perierunt.

Apelejus (*L.*) Gramm., ab Eficio Calvino Rom. equite ditiss. quadringenis annuis conductus, multos Romae docuit. Ita Suet. de *Ill. Gramm.*

Aper. In *Dial. de Orator.* *Aper* partes Oratoriae contra Poeticam agit. Laudatur a Quint. ceu praestantiss. Orator verborum artel. Verum notat in eo, quod sit in compositione longus, in metaphoris immoditus, et nimius in cura verborum. Ejus *Oratt.* desid.

Aphrodisius (Scribonius) Orbilii discipulus, Seriboniae, primae Augusti uxoris Servus, qui ab ea manumissus ob suam doctrinam, Romae docuit eodem tempore, quo Verrius Flaccus, cujus libros de *Ortographia* rescripsit.

Apicius (Coelius), Eques Rom. ditiss., qui patrimonium fere totum comessationibus consumpsit. Opus edidit de re *Coquinaria* dignum gula, et ingenio suo. Opus istud integrum non habemus; parum tamen ex illo deest: caput nempe 4. Verum, ut nihil dissimulem, sunt qui dicant, Opus de re Coquinaria, quod habemus sub *Apicii* nomine, ejus non esse, nisi fortasse Compendium aliquod ab aliquo parum latino ex majori *Apicii* Opere concinnatum. Nonnulla enim, citata ex *Apicio*, in dicto Opere non leguntur. Nam *lib. 6. c. 7.* de Phoenicotero loquens Auctor nihil de ejus lingua tradit, quam exquisiti saporis esse, secundum *Apicium*, ait Plin. *lib. 10. c. 48.* His accedit, quod latinitas *Apicii* seculo suo parum conveniens cernitur. A Mart. fit mentio *Apicianae* gulae in *Epigr. lib. 2.*, et altero *lib. 3.* Vixit hic insignis lurco L. An. Senecae aetate. De eo narrat in *Consol. ad Helviam*, vel *Albinam* Matrem, eum, devorato patrimonio ditissimo, tunc primum rationes inspexisse. Computans autem sibi super futurum, solvendo creditoribus debita, Sestertium centies, ac velut in ultima fame victurus, si Sestertio centies vixisset (100. nempe, et 50. Scutorum millibus), veneno sumpto vitam

sponte finivit. Ita Sen. addens = quanta luxuria erat, cui Sestertium centies paupertas fuit = Dicitur in gulam consumpsisse 15. centena millia scutorum. Vide Nieupoort de *Ritibus antiquis Rom.* Tres hujus nominis diversae aetatis, gula insignes, ab Histor. recensentur: in quibus tamen non legitur de re coquinaria scripsisse alium praeter unum Coelium.

Apollinaris, Hieropolitanae Eccl. Sacerdos, scripsit contra Origenem. Ita S. Hieron. in *Epist. ad Magnum*.

Apollinaris (Aurel.) Hist. scripsit res Cari R. Imp., Numeriani, et Carini patris. Ita Vopiscus in *Vita Numeriani*. Non liquet, utrum versibus, an soluta oratione scripserit. Sed videtur carminibus eas scripsisse. De eo enim dicitur, fuisse Jamborum scriptorem. Ejus *OO* desid.

Apollinaris Rhetor doctiss. Laodicenae Urbis Praesul, postea haereticus in fine 4. Eccl. Sec. Docuit primum, Christum corpus ex B. Virg. sine anima sumpsisse. Postea, accepisse quidem animam cum corpore, sed sine mente, cujus loco erat Verbum divinum. Damnatus fuit hic error a S. Damaso Papa in Conc. Rom. an. Christi 373. *Apollinaris OO* per.

Apollinaris tanquam Scriptor Medicus citatus, et consultus a Marcello Medico. Vide *Marcellus* in *M*.

Apollinaris (Sulpic.), quem Gellius in adolescentia sectabatur, et suum vocat, videtur Grammaticus, et Historicus insignis fuisse. Vide Gel. *lib. 13. c. 18.*, ubi legitur *Apollinaris* hujus de Familia Porcia *Dissert.* habita in Tiberii bibliotheca. Eum interrogavit Gel. de genitivis *Nostri*, *Vestri*, an dicendum *Habeo curam Vestri*, vel potius *Habeo curam Vestrum?* Cui interrogationi satisfecit *Apollin.* multis allatis latinorum Scriptorum exemplis pro utroque genitivo. Vide Gel. *l. 20. c. 5. NN.* Fuit Poeta, Jurisconsultus, et magister Pertinacis R. Imp. Supersunt nonnulla ejus Carmina, quae affert Donatus in *Vita Virg.* Dicere solebat, homo vanus, se unum Sallustium intelligere. Non liquet, an is sit *Apollinaris*, ad quem Mart. plura *Epigr.* scripsit, et quem virum doctiss., et optimum Criticum fuisse indicat. Vide Mart. *l. 5. Epigr.* ubi testatur, sibi multum *Apollin.* favisse, et in fine *lib. 4. Virum doctum*, et nihil eo exactius, eruditiusque esse ait. Gel. *l. 11. c. 15. NN.* a se consultum tradit circa vim nominum in *undus*, ut *laetabundus, ludibundus, sitibundus* cet. Hujus sunt *Argumenta Comoediarum* Terentii, versibus expressa.

Apollodorus, Siccensis Medicus in Africa, plura de *Medicina* edidit, ex quib. non pauca sumpsit Plin., quae promit *libb. 20. 23., et 24. Hist. N.*

Apollodorus, Rhetor, et sectae Rhetorum Auctor, Augusti Caes. Magister, cujus praecepta Valgius, et Atticus Rhetores ejus discipuli diligenter tradidere. Primus Latine: secundus Graece. Vide *Valgius* in *V*. De eo Suet. in *Augusto c. 79*. Fuit Pergamenus, et magnus Ora-

tor. Eum Turrinus Clodius Rhetor summam legem dicendi reputabat. Vide M. Sen. in *Prooemio l. 10. Controv.* editionis Gothofredi, qua utor. Accusatus Romae veneficii, ab Asinio Pollione defensus fuit, et postea Massiliae docuit. Ejus *Orat.*, et *Declamm.* desid.

Apollonius, Chalcidensis Phil. M. Aurelii Antonini Magister. Eum domi manentem invisere saepe solebat M. Aurelius jam Imperator, ut eum philosophantem audiret.

Apollonius, P. Crassi libertus, laudatur a Cicer. ut magno ingenio, et eruditione praeditus in *Epist. ad C. Caesarem* in Hispania bellum gerentem adversus Pompeji M. filios, cui eum commendat. Res C. Caesaris Graece scribere in animo habebat. Fuit auditor Diodori Phil. Stoici in aedibus Ciceronis.

Apollonius Rhetor Martiali coaevus, memoratus a Mart. in *Epigr.* de eo, quod legitur *lib. 5.*

Apollonius Rom. Senator Christianus scripsit opuscula nonnulla contra ethnicam Roman. superstitionem. Ita S. Hier. Dicitur recitasse in Senatu *Orat.*, sive *Apologiam* pro Christ. religione, et Senatus decreto obtruncatus fuisse Commodo imperante. Post obtruncatum *Apollonium*, fulmine tactum Capitolium, cum insigni bibliotheca, ac multis vicinis domibus conflagravit. Ita Euseb. in *Chron.*

Apollonius Phil. Pythagoreus Cocceji Nervae R. Imp. familiaris.

Apollonius, Mindius Phil. citatus a L. An. Sen. *QQ. NN. l. 7. c. 3.* ajebat, Chaldaeos putasse, Cometas stellas errantes esse. In quam opinionem nunc Astronomis probatam, et indubitatam habitam, inclinat Sen. loco cit. Seneca non dicit, quo in Opere id traderet *Apollonius*. Forsitan in Opere aliquo Astronomico, et Physico quod desid.

Apollonius Medicus scripsit de Medicamentis facile parabilibus Citatur a Galeno ejus lib. de his, et ab Aetio ejus collyrium ad Carbunculos memoratur *l. 7. c. 30.*

Apollonius, Christ. Scriptor diversus a Senatore, de quo supra, scripsit contra Montanum, Priscillam, et Maximillam.

Apollonius Thyaneus Phil. magicis praestigiis Romae sub Domitiano notissimus, et ab Ethnicis, ut patrator miraculorum celebratus. Romae in Carcerem trusus, et exilii poena damnatus, praestigiis suis Domitiano sibi conciliato, in Urbe mansit, eidemque factus familiaris Artibus suis Domitianum excitavit (quo eum perderet) ad insectandos Christianos, et morte afficiendos consanguineos Christi sectatores, imperio ab ipso post se destinatos. Hi fuerunt Flav. Clemens ejus patruelis, vir Consularis, et filii, Rom. Pop. ob morum probitatem acceptissimi, quorum praesidio Imperatoris, omnibus ob suam crudelitatem, et alia flagitia invisi, salus nitebatur. Vide *Domitianus* in *D*. Si non mentitur Philostratus in *Apollonii Vita*, non male sentiebat hic Phil. de Deo. Ajebat enim, recte philosophantes, adveniente aurora, debere cum Deo versari: procedente die, de

Deo loqui : reliquum tempus humanis rebus, et sermonibus dare. *Apollonii* hujus scripta nulla supersunt. Vide Hist. Eccl. Vide etiam multa de eo in lat. Tragoedia *Flavia* Cl. Stephonii, saepe cum plausu data, in qua fraudes, et praestigiae *Apollonii* graphice poetico stylo describuntur. Aurelianum Imper. auctoritate sua ab eversione Thianae Civitatis removit, eum in tentorio salutans, et cum eo latine loquens. Ita Vopiscus in *Aureliano*.

Corollarium XIV.

Apologiae multae pro Christianis, et Christiana Religione a Christianis litteratis primis Eccl. Seculis scriptae fuerunt, et oblatae Ethnicis Rom. Imperat, ex quibus nonnullae supersunt, et aliae, vel latent, vel perierunt. De his *Apologiis* meminit S. Hier. in lib. *de Eccl. Scriptoribus*, sive *de Viris Illustribus*.

Apophthegmata, sive acuta illustrium Romanorum antiquorum dicta collegit Plutarchus, ut etiam Graecorum, et Regum, ac Principum Barbarorum legi digna.

Corollarium XV.

Apotheosis, sive *Deificatio*, ut ita dicam, Romanorum Imperat. Ethnicorum, qua *Divi* postea appellabantur, magna solemnitate cum variis ceremoniis in funere Imperatorum fiebat. Hos ritus, et ceremonias describit Herodianus *lib. 4.* post narratam mortem Severi Imper. Eos ritus narrat Italo serm. Menochius in *Storeis* suis *Cent. 6. c. 93.* citato Herodiano. De funeris ceremoniis, tum in cremando cadavere, tum in sepeliendo, vide Nieupoort infine Operis de *Ritibus Romanorum*.

Appianus, Alexandrinus Historicus, edidit sub Hadriano Imperatore 22. libros Historicos, ex quibus 9. tantum supersunt. Videtur eos Graeco sermone edidisse, qui tamen, ut arbitror, illico in latinum versi fuerunt. Vide dicta in Praefatione num 12., et verbo *Aelianus*: quae quidem verisimilia magis videntur, cum scripta historica erant. Ut enim Cicero recte animadvertit, Historiarum lectione delectantur etiam opifices, et foeminae, quae Romae proculdubio, ut etiam opifices, expertes Graeci sermonis erant, si unam, aut alteram excipias. Quid? quod etiam Romae non pauci ex viris litteratis Graeci sermonis ignari fuerunt. Ait enim Cic., ut alibi dictum est, multos Romae, maxime ex Phil. Epicureis, Graecas litteras omnino non amasse, et de Catone Censorio, viro doctissimo, constat, eum valde senem Graecas litteras didicisse, earum antea prorsus ignarum. Neque Graeca lingua adeo facilis est etiam iis, qui latine sciunt, ut non multo studio opus sit ad eam addiscendam. Erant sane Romae multi Graeci; at hi cum Romanis loquentes non Graece, sed Latine loquebantur. Ferrariae multis ab hinc annis sunt non pauci Hispani, et paucissimi sunt ex Ferrariensibus, qui Hispanum sermonem intelligant, et pauciores, qui Hispano sermone loquantur. His addere possem, Vulgus indoctum Romanorum, ne Latinum quidem sermonem ele-

gantiorem probe intellexisse: quemadmodum nunc Vulgus provinciarum Italiae cultum Italum sermonem, quem Etruscum vocant, vix intelligit. Vide Q. Moderatum Censorinum in *Paradoxis de Vita, et Morte Lat. Linguae, Dissert. 2.*, et ad eam *Adnotationes*.

Appion, Gramm. Romae celebris, quem ob suam jactantiam Tiberius Caesar *Cymbalum Mundi* appellabat. Viri philautiam repressere Philo, et Flav. Josephus Hebraei, qui contra eum scripserunt. Plin. *H.N. lib. 35. et 36.* ait, *Appionem* scripsisse de *Metallica disciplina*, et de *Aegypti Pyramidibus*, et nullus dubito, quin de nonnullis ad Grammaticam spectantibus scripserit. Vivebat adhuc sub Caligula. Vide Sen. *Epist. 89.* Ejus Opera perierunt, vel latent. Si Opera de *Metallica Disciplina* Alchimiam continebant, jussu Diocletiani combusta fuerunt cum aliis de eodem argumento, si verum nos docet Cael. Rhod. *Lect. antiq. lib. 7. c. 7.* Ex quo intelligitur, veteres Rom. hanc artem non neglexisse.

Appius Caecus ex gente Claudia, priscus Rom. Orator, et Poeta, nepos, aut pronepos Appii Cl. Decemviri. De *Appio Caeco* fit mentio in *Dial. de Oratoribus*, et de eodem testatur Tullius, in Senatu dissuasisse pacem cum Pyrrho, Epirotarum rege, et aquas Romam deduxisse. Vide Cic. in *Bruto*. Idem, cum esset Censor an. ab V. C. 441, Appiam viam, ab eo sic dictam, quadrato lapide stravit, a porta Capena ad usque Capuam, aut Brundusium. Sallustius antiquitatis amator in *Epistt.* ad C. J. Caesarem de *Repub. ordinanda* citat illud *Appii* in Carminibus: *Faber unusquisque fortunae suae:* et puto hujus *Appii* Carmina citasse. Nam Carmina *Apii Caeci* valde probata Panaetio fuisse testatur Cic. *l. 4. Tusc. QQ.* Haec Carm. desid., ut etiam ejus *Orat:*. Forsitan hic Appius citatur a S. Hier. in Epistola ad Mimerium, ubi Oratoriam forensem Caninam facundiam ex Appio vocat. Pomponius tradit, *Appium* in aliquot vocabulis scripsisse litteram *R* pro *S*, et primum dixisse *Furius*, *Valerius* pro *Fusius*, *Valesius*, quod intelligendum arbitror de *Appio Cl. Caeco*. Is fuit *Crassus* etiam dictus. Vide *Crassus* in *C*, ubi de eo alia.

Apronius, Christ. Scriptor, ad quem est S. Hieron. *Epist.*, in qua indicatur, eum contra haereticos scripsisse. Sed contra quos, neque quaenam fuerint ejus Scripta? non dicit. *Apronii* Scripta desid.

Apprunculus, Gallus Orator, cujus meminit Amianus Marcel.

Apulejus (L) natione Afer Medaurensis, Phil. Platonicus, Jurisconsultus, Poeta, et Orator Graece, et Latine doctus, scripsit plura versa, et prorsa Oratione, quorum non pauca interciderunt, ut *Epigrammata*: *libb. de Conviva*, *de Piscibus*, *de Herbis*, *de Genitura Animalium*. Fuit Magiae postulatus, et *Apologiam* pro se vulgavit cultiore latinitate ea, qua Fabulam de *Asino aureo* scripsit, in qua, ut Criticis nonnullis visum est, stylum et sermonem, asino dignum usurpavit: quod nimis exaggerari alii existimant. Romae, et Athenis commoratus, insigniores Oratores suae aetatis coluit. Vivebat in fine

2. Eccl. Saeculi, licet alii posteriorem eum faciant. De eo meminit Lactantius *l. 5. Instit. Divin.*, et Septimius Severus Imperator in *Epist.* quadam ad Senatum. Sunt qui extollant: sunt qui multum deprimant ejus latinitatem. M. Ant. Muretus non omnino male de ea sentit. Nonnulla ejus Epigrammata parum pudica exstant in *Anthologia latina* Collectionis Pisaurensis, in qua Flores non pauci pessime olentes sunt.

Apulejus (Faustinus), praecedentis filius. Ei adscribit pater *librum de Mundo*, qui inter *L. Apulei* Opera legitur, et de eo testatur (forsitan affectu patris) litteratum non vulgarem fuisse.

Apulejus (Caecil. Minutianus), vir doctus, scripsit nonnulla, quorum fragmenta supersunt, in quibus de Ovidio, et Virgilio meminit. De Virg. ait, a virgis, vel a vergiliis, constellatione coelesti, nomen traxisse. Unde postea magna illa inter otiosos Criticos contentio: utrum Maro *Vergilius*, an potius *Virgilius* appellatus sit?

AQ

Aquila, Mecoenatis libertus, qui complures *Notas* invenit loco vocum ad res significandas. Ita S. Isidorus in *libris Orig.* Vide *Natae* in *N*.

Aquila, qui scripsit de *Ethrusca disciplina*, citatur a Plinio *lib. 2.*, *et 11. H. N.* Ejus Scripta desid.

Aquila (Jul.), Jurisconsultus, reliquit *lib. Responsorum*, cujus fragmenta in *Pandectis* leguntur. Hugo Grotius putat, ante Severum Imperat. vixisse.

Aquila, antiquus Rom. Rhetor, inter recensitos, et collectos a Francisco Pithaeo. Hic male a nonnemine confunditur cum Aquila liberto Mecoenatis, quo multo posterior fuit: et si Runkenio credimus, post Antoninos floruit ante Constantinum M. Scripsit de *Figuris sententiarum, et de elocutione librum*, cujus initium desideratur. *Aquilae Orthographiam* laudat Cassiod. *de Orthog.* scribens.

Aquilinus, Phil. Platonicus Romae Plotini auditor una cum Origene Ethnico (quem nonnulli cum *Adamantio* Christiano confundunt) cum Amelio, et Porphyrio condiscipulis. Ita Eunapius in *Porphyrii vita*.

Aquilius (C), Jurisconsultus, et Judex apud Romanos magnae auctoritatis. Vide Val. M. *l. 8. c. 2.* Plin. narrat, eum in Viminali domum habuisse multo pulchriorem domibus L. Crassi, et Q. Catuli in Palatino sitis.

Aquilius, familiaris, et collega Ciceronis, scripsit de *Dolo malo Formulas juris*. Ita Cic. *lib. 3. de Off.*, qui eum definiendi peritum vocat. Forsitan idem est cum *C. Aquilio Gallo*, de quo verbo *Gallus* in *G*.

Aquilius (P), Orator, et Trib. pl., qui accusavit Villium Triumvirum nocturnum, eo quod nocturnas vigilias parum diligenter curasset; quo ostenso, et probato, negligentiae in munere suo fuit damnatus. *Aquilii Or.* desid.

Aquinus, malus Poeta, si Catullo, ejus fortassis aemulo, fides habenda. Subiratus Catullus amico suo Licinio Calvo, quod ad se misisset librum, in quo plura Carmina insulsa erant, minatur Calvo, se ei vicem redditurum his versibus, inter alios hac occasione ad Licin. Calvum missos.

Nam si luxerit, ad librariorum
Curram scrinia: Caesios, Aquinos
Suffenum, omnia colligam venena:
Ac te his suppliciis remunerabor.

AR

Arabici, haeretici, impugnati, et correcti ab Origene Adamantio, docebant 2. Saeculi Eccl. initio, Animas cum Corporibus mori, atque dissolvi, et in fine Mundi resurrecturas. De his haerett. S. Aug. agit lib. de *Haeresibus c. 83*. Ejus Auctor fuit Berillus Bostrensis Episc.

Arbiter (T. Petron.), patria Massilien. Eques Rom. et Scriptor egregius, si ab impudicis abstinuisset. Laudatur a Criticis ejus latinitas aureo seculo digna, licet tempore Neronis scripserit. Verum nonnulli tradunt, ante Neronem etiam floruisse fama doctrinae. Praeter *Satyricon*, quod superest, Menippaeo more scriptum, sed multis lacunis intercissum, edidit *Specimen belli civilis* inter Caes. et Pompejum Epico Carmine, cujus initium est etiam amara *Satyra* in Romanorum luxum, et avaritiam. In *Praefatione*, quae soluto sermone ab Auctore fuit edita, dicitur, hoc *Poema* esse furentis animi vaticinationem, et liberi spiritus impetum, ac manum ultimam non recepisse. Ex quo liquet, Carmen istud affectum ab Auctore relictum. Tacitus *Ann. l. 16.* affirmat, eum fuisse Bithyniae Pro-Cos., et mox Cos. factum a Nerone, cujus impudicitiae, et libidinum *Petronius* arbiter erat, et promotor, ac eo nomine Neroni valde carus: verum ab aemulo Tigellino, ejusdem furfuris aulico, majestatis, seu conjurationis in Neronem postulatum, hujus jussu demum fuisse occisum. Ita Tacitus. Ejus mors consignatur an. Christi 68: V. C. 818. Supersunt non pauca Fragmenta Poet. Operum *Petronii*, quae *Satyrico* adjuncta sunt in editione, quam vidi. Ex ejus Scriptis intelligitur, eum secta Epicureum fuisse. Operum *Petronii* pars maxima inventa fuit in Biblioth. Jurisconsulti Traguriensis, Nicolai Cippici in Dalmatia, a Petro Petito Traguriensi, qui ea Opera edens fictum nomen *Marini Statilii* usurpavit. Citatur *Petronius* a S. Hier. in *Epist.* ad Demetriadem, ubi illud affert ex Petronio = Non bene olet, qui bene semper olet = quod itidem usurpat Martialis in quodam *Epigr.* Citatur etiam *Petronius* a Macrobio, a Servio, et aliis, illudque ejus Distichon valde celebratur:

Quisquis habet nummos, secura naviget aura,
Fortunamque suo temperet arbitrio.

quod potuit ex Horatio mutatis verbis usurpare. Ait namque Horatius,

Et genus, et formam regina pecunia donat

et alibi . . . . *Uno minor Jove dives*
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum.

NOTA.

Sunt, qui putent, *Arbitri* agnomen ei inditum, eo quod arbiter fuerit deliciarum Neronis, qui, teste Tacito, nihil amoenum, nihil molle ad voluptatem putabat, quod *Petronius* non probaret. Sunt etiam qui dicant, *Arbitri Satyricon* esse sub fictis nominibus graphicam descriptionem morum Neronis, Aulicorum, ac Romanorum sub Nerone omni luxuriae inservientium. Quae Romanorum vitia describit etiam S. Paullus coaevus Scriptor in *Epist. ad Rom.*: quam nonnemo dicit, vix sine *Petronii Arbitri Satyrici* lectione recte exponi posse: quod perperam dictum existimo. S Paullus divino afflatus Spiritu gravibus, et pudicis verbis in vitia Romanorum invehitur, ac eorum impudicitiam, et libidines brevi sermone arguit, et damnat: ab operibus tenebrarum ad Opera luce digna traducere illos cupiens, quin impudicas vitiorum imagines menti legentium vivis coloribus repraesentet: quod postremum (ut testantur, illi quibus otium, et voluntas fuit bonas horas perdere in *Satyrico Petronii* legendo) *Petronius* fecit, usque ad nauseam libidinosa Romanorum facta fuso sermone, et impudico describens, licet in ea Satyrice invehatur. Nempe non tanti erat esse tam disertum.

Arcadius, Rom. Imper. Theodosii M. Filius, et Honorii frater. In Inscriptione Claudiano Poetae a Rom. Senatu posita *doctissimus* appellatur. In *Cod. Theod.* leguntur plures *leges* ab ipso latae. Hoc parum sapiens fuit, quod uxoris impotentiae nimium tribuens, S. Joan. Chrysost. Constantinop. Praesulem doctissimum, et sanctissimum, semel, et iterum, ea instigante, relegarit. Obiit an. Christi 408. aetatis 31. relicto filio Theodosio Juniore, postea Imperatore.

Archagathus, praeclarus Romae Medicus, et primus, qui cum plausu a Romanis, parum in Medicinae professores propensis acceptus fuit, adeout, et jus Quiritium ei dederint, et domicilium, in quo habitaret. Florebat in arte Chirurgica, et *Vulnerarius* appellabatur. Verum, cum postea viderent Romani, nonnunquam secundum artis praecepta membra putrida resecare, ut aegrotantibus mederetur, non assueti his curationibus, *Carnificem* eum appellarunt, et sunt qui dicant, a Rom. fuisse lapidatum, pristinumque odium in Medicos resumsisse: quod tantum erat, ut dicat Plinius *H. N. l. 29.* initio, per 600. annos (forsitan est error in numeris), et eo amplius, Medicis Romanos caruisse. Non quod Medicinam odio haberent, sed eos aversarentur (Graecos plurimum) qui Medicinam questu exercerent. Plin. haec narrans multa mala in Medicos scribit, ac multos suae aetatis nominat. Ast potuisset etiam contra Professores aliarum artium multa dicere; cum nulla sit Ars, in qua non sint aliqui mali commatis Professores. Medici tandem, etiam ante Plinii tempora, magno in pretio Romae sunt habiti: quod non ignorabat Plin., et

tacere illic non debebat. V. *Musa in M.*

Archelaus, Philos., et Histor. quem vocat Sen. *l. 6. c. 12. NN. QQ.* diligentem Antiquitatum investigatorem. Scripsit de *Terraemotibus, et de Ventorum vi*. *Archelai* summi Astrologi, praedictionibus non utentis, (qui fortasse alius non erat ab eo, quem Seneca laudat, quique aetate Panaetii, et Cassandri flor.) meminit Cic. de *Divin. l. 2.*

Archigenes, celebris Romae Medicus sub Domitiano, Nerva, et Trajano, discipulus Agatheni. Obiit an. natus 76. In hunc Galenus invehitur, ejus nonnulla parum probans. Nihilominus eum laudat *lib. 2. de Composit. Pharmacorum secundum locos*: Juvenalis de eo meminit *Sat. 6.* Plura scripsit, quorum fragm. collegit Tetratius.

Architecti. Plures Rom. de Architectura ante, et post Vitruvium scripsisse, saltem vertendo in Lat. Graecos, et aliarum nationum Scriptores, nullus dubito; at paucissima illius aevi Opera latina de nobili hac arte supersunt, quae ordines Doricum, Atticum, Corinthiacum, et Communem exponant. Ex Sacris litteris, et ex Aegyptiorum monumentis plura Graeci, et Romani de Architectura haurire potuerunt. Vide Plin. *lib. 36. H. N.*, ubi de *Architectis*, et Sculptoribus. Vide etiam *Artifices*; *Fufidius* in suis locis.

Archontici, haeret. sub S. Pio, R. Pont., et Antonino Pio, R. Imp., qui docebant, Mundum non a Deo, sed ab Archangelis fabricatum. Hujus dogmatis primus Auctor habetur Simon Magus, quem sunt sectati cum Menandro, et Saturnino, Cerinthiani, et Carpocratiani.

Argentaria (Polla), Lucani Uxor, et Poetria, a qua adjutus Lucanus dicitur in emendandis primis *Pharsaliae* libris. De ea Sidon. Apollin. *Epist. 10. lib. 2.*) *Reminiscere quod saepe Corinna versum cum suo Nasone complevit: Argentaria cum Lucano*. De ea etiam meminit Statius in *Praef. ad lib. 2. Sylv.* ubi in *Pollae* gratiam Genethliacum Lucani, natali die ejus jam defuncti recurrente, canit. *Argentariae* etiam, seu *Pollae* mentionem Mart. facit *Epigram. ad Lucani diem natalem*. Nulla *Argentariae* Carm. ad nos perven. nisi si Lucani aliqua *Argentariae* sint.

Argentarius, Rhetor, ex cujus forsitan genere *Argentaria*, de qua antea, fuit. De eo non semel M. Sen. in *Controv.* ejus *Sentt.* referens. Fuit Caestii discip. et simius: parum tamen Caestio gratus, quia ejus *Sentt.* saepe immutabat. Jurabat per Manes Caestii adhuc viventis. Erat Graecus, semper tamen latine declamabat. Ita M. Sen.

Corollarium XVI.

Argentea aetas latinae linguae numerari solet ab Augusti obitu ad Adriani tempora: scilicet ab anno Christi 14. ad an. Christi 117. Nonnulli eam prorogant usque ad Antoninum Pium, ad annum Christi nempe 138. Qui post ea tempora latine scripserunt ad aetates aeneam, et ferream, et tandem ad luteam, et barbaram pertinere, seu ad senescentem, senilem, et decrepitam aetatem Critici

arbitrantur. Non negant tamen, in aenea etate, et etiam in ferrea fuisse nonnullos, inter quos Lactantius Firmianus, qui possent aliis argentae aetatis non paucis praeferri. Vide *Aetates* supra.

Aristides, Atheniensis, teste S. Hieron., vir eloquentissimus, edidit Apologiam pro Christiana Religione, et eam profitentibus, quam obtulit, non sine fructu, Adriano Imperatori. Haec *Apologia* desid.

Aristo, Jurisconsultus laudatus a Plinio Caecil. in *Epistt.* ut fons publici privatique Juris, ac insuper omnigenae doctrinae, et eruditionis. Ejus *OO.* non exstant, vel latent.

Aristocles, Megarensis Sophista sub Trajano, et Adriano, teste Suida, de *Arte Oratoria* scripsit, ut etiam *Epistolas*, et *Declamationes* ad Imperatores, quae omnia desid.

Aristocras (Petronius Magnes), Philosophus, Cornuti, Persii magistri, familiaris, et amicus. Ejus doctrinam valde commendabat Persius, qui saepe eum in Cornuti aedibus disserentem audiebat. Vide Suet. in *Persii Vita*.

Aristotelici Philosophi non pauci ex Romanis antiquis fuerunt. *Peripatetici* dicebantur; quia ambulando disputabant. Cic. *lib.* 3. *de Off. c.* 2. ait, eosdem olim cum Academicis fuisse: quod fortasse dicit, quia eorum Auctor Aristoteles Platonis auditor fuit.

Aristus Chirurgus, qui de arte sua scripsit, citatur ab Scribonio largo, Medico insigni Rom.

Arithmetica ars magna cura, ut testatur Hor. in *Satyris*, a Romanis pueris addiscebatur.

Arius, natione Afer Lybicus, Eccl. Alexandrinae Presbyter, infensissimus Christi filii Dei divinitatis hostis, et Arianismi una cum Eusebio Nicomediensi Praesule Auctor. Docebat, solum Patrem in Trinitate esse verum Deum. Ejus sectatores innumera Opera latina, et linguis aliis ediderunt ad suum errorem per Orientem, et Occidenti disseminandum. Verum haec Opera interciderunt exceptis fragmentis aliquot, quae leguntur in Actis Conciliorum et Scriptis Patrum, qui Arianos impugnarunt. Nihilominus in magna Conciliorum Collectione, aut in Bibliotheca PP. impugnata legitur integra *Arii* Epistola ad Eusebium, ni fallor, Nicomed. valde vehemens, in qua suum errorem inculcat. *Arii* Scripta fuerunt Constantini M. jussu igni tradita post Nicaenum Concilium 1. an. Christ. 325, a 300., et eo amplius, Patribus celebratum, in quo *Arii* doctrina fuit damnata sub S. Silvestro Rom. Pont. Vide *Athanasius* suo loco. Obiit in sua impietate *Arius* an. Christi 336. plus minueve. Sunt, qui dicant, in exilio: alii tradunt, ab exilio reducem in publicis latrinis Constantinopoli impuram animam exhalasse: quod postremum de *Ario* altero, primi discipulo, nonnulli affirmant. Consule Historicos Eccles., qui late Arianismi Historiam narrant. Meretur inter eos legi Ludovicus Mainbourg, qui eleganti Gallico sermone Arianismi Historiam, et turbas in Ecclesia ab Arianis excitatas perscripsit. Exstinctum

Arianismum excitare conati sunt in Polonia Sociniani superioribus seculis, nostro proximis, Hieron. Osorius, Algarb. Episc. in Lusitania, culta, et mascula eloquentia *Arii* errorem exagitavit *lib. 3. de Vera Sapientia*, quod innumeri alii more Scholastico postea praestiterunt. Constantinus M. Arianos *Porphyrianos* appellabat, quia ante *Arium* Porphyrius Christi divinitatem scriptis suis oppugnavit. Ab aliis *Eusebiani* dicti fuerunt a sectae Coryphaeo Eusebio.

Arnobius, Afer, vir doctus, Lactantii Firmiani in Rhetorice magister, plura edidit contra Ethnicos, quae exstant. Ejus Opus de *Rhetorica Instit.* desid. Floruit in fine 3. Sec. Eccl. Non capio, quamobrem Vossius eum *Christianum Varronem* appellarit. Si sic appellasset Tertull., S. Hieron., S. August, vel Boetium, non multum equidem repugnarem. Scribebat contra Ethnicos imperante Diocletiano, cum saevam Carnificinam in Christianos exercebat.

Arrianus, Jurisconsultus egregius, *libb.* edidit de *Interdictis*, et *de re milit.* Ad hunc scriptae creduntur Plinii Caec. *Epistt.* ad *Arrianum*, in quibus doctrinam ejusdem commendans, ad eum mittit librum a se lucubratum, quem cupit ab *Arriano* emendari. V. Plin. Caec. *lib. 1. Ep. 2. Arriani OO.* desid.

Arrianus, Histor. sub Hadriano. Scripsit *Historias* Graece, quarum antiqua Latina versio proculdubio facta, ut a Romanis legi possent, desid. *Philalethes* dicebatur, quia veridicus in suis narrationibus: quae dos in plerisque Graecis Historicis desideratur, si Juvenali credimus.

Arrianus, Nicomed. Phil., Epicteti discip. scripsit *libb.* aliquot continentes doctrinam, qnam ab Epicteto Romae docente acceperat ad Stoica dogmata pertinentem, et *Manuale*, Epicteti Sentt. varias tradens. Inter has *Sentt.* plures sunt Christiano Phil. non indignae. V. *Epictetus* in *E*.

Arruntius, Hist. sub. Aug. Edidit *Historiam de Bello Punico*. affectato Sallustiano stylo. L. An. Sen. eum carpit *Epist. 114.* ad Lucil. Ejus *Hist.* desid., cujus tamen nonnulla fragm. affert Seneca in dicta *Epist.* ad ostendendam ejus affectatam, et putidam Sallustii imitationem.

Arruntius (L), Orator, et Senator egregiis artibus ornatus, quem Augustus de Successoribus suis in Imperio loquens, dignum dixit esse principe loco: ob quod dictum Tiberio suspectus fuit. V. Tacitum *lib. 1. Ann.*, qui *lib. 6.* tradit de *Arruntio* iterum disserens, se interemisse frustra dehortantibus amicis, ad quos Orationem habuit ante mortem plura eis praedicens. Hujus *Orat.* Sentt. affert Tac. dicto *l. 6. Orationes*, et *OO.* alia *Arruntii*, siqua edidit, desid.

Arruntius (T), Orator, expetitus patronus a CN. Pisone, veneficii in Germanicum, veneno sublatum, accusato. Vide Tac. *Ann. l. 3.*

Arsenius, Vir doctus, Rom. Eccl. Diaconus, morum probitate insignis, S. Damaso Papae, et Theod. M. charus. Theodosius S. Da-

masi commendatione, eum institutioni filiorum praefecit, qui, patris jussu, coram *Arsenio* magistro sedente, et docente stabant. *Arsenius*, postea, aula relicta, ad Eremum se contulit, ubi monasticam vitam professus sanctissime obiit. Vide Hist. Eccl. In *Bibliot. PP.* exstat *Arsenii Exhortatio* ad Monachos.

Artemidorus Pergaeus, C. Verris medicus, *Cornelius* dictus. V. Cic. in *Verrinis*.

Corollarium XVII.

Artes ludicrae; vide *Circitores* in *C*. Artes ingenuae, et Disciplinae post Typographiae, Acus nauticae, novi Orbis, Horologii rotati, Telescopii, Microscopii, Pulveris pyrii, Tormentorum bellicorum, machinae electricae, et aliarum machinarum Romanis, et Graecis antiquis ignotarum inventionem, multis partibus auctae sunt postremis hisce Seculis, incrementa earum promovente Scriptis suis Francisco Bacone a Verulamio insigni Anglo, cui plus fortasse debent incrementi humanae Scientiae, quam ulli ex antiquis Ethnicis, Graecis, et Romanis. Obstupescerent isti, si vita eis redderetur, ad inventa, et doctrinam Christianorum, quos illi obtusos, stolidos, rusticos, barbaros, idiotas, fatuos (*a*), ignaros, asinarios, maleficos, praestigiatores, Atheos, aliisque probris insectabantur, ut eos tanquam generis humani pestes exterminarent. Nihilominus Machina Volatilis recens inventa, quae tot admiratores habet, videtur antiquis nota fuisse, eaque apud illos visa: quod colligi potest ex fabula Icari, et ex Columba lignea volante Architae Tarentini. Virgilius in fine *lib. 6. Aeneidos* indicat, Romanos superandos ab aliis in Statuaria, Sculptura, Oratoria, Astronomia. *Excudent alii*, cet.

Arthemon, Rhetor, cujus declamantis *Sent.* affert Sen. in *Controversiarum libris*.

Corollarium XVIII.

Artifices. Antiqui Rom. in Pictura, Sculptura, Architectura, Statuaria Graecos, et Aegyptios neutiquam exaequarunt, si vera sunt, quae de Zeuxi, Apelle, Praxitele, Mirone, Scopa, et Graecis aliis narrantur. Si item quae de Aegyptiis tradit Trismegistus exaggerata non sint: Deorum scilicet finxisse simulacra, quae et articulatas ederent voces, et progrederentur sponte sua. Inter Mathematicos practicos, ut vocant, et machinarum singularis artificii effectores vix unus invenitur, qui Architae Tarentino, et Archimedi possit opponi. Qui magnifica aedificia Romae construxere fere omnes, aut Graeci, aut Aegyptii fuerunt, licet nonnulli Romani Architecti etiam a Graecis acciti Athenas fuerint ad aedificia aliqua perficienda. Vide C. Plin. *Hist. N. l. 36.* Nihilominus Martialis in quodam Epigram. indicat

(a) *Vide Cl. Mamachium Dominicanum, Sacri Palatii Magistrum* lib. 1. Antiq. Christ. c. 2.

obtusa ingenia Architecturae addici oportere. Vide *Epig. ad Lusum l. 5.*

Corollarium XIX.

Aruspices, sive, ut alii scribere malunt, *Haruspices* (quorum nugatoria disciplina ab Ethruscis ad Rom. transivit) ex victima ante mactationem, ac deinde ex praecordiis, ex flamma, fumo, et ex aliis forte inter sacrificandum contingentibus futura, sive prospera, sive adversa praenunciabant. Tres tantum initio Romae fuerunt a Romulo instituti; procedente autem tempore ad 15. numerabantur, ex quibus Collegium *Aruspicum* coaluit. Nunquam *Aruspices* tanto in honore fuerunt, quanto Augures, quorum Collegium Sacerdotale ex Viris doctissimis, et primariis Urbis constabat. *Aruspicum*, et Augurum libri, cadente ethnica superstitione sub Christianis Imperatoribus, combusti publica auctoritate fuerunt. Constantinus M. primus fuit, qui legem tulit contra *Aruspices*, et Augures Romanos, quam, (metu proculdubio popularis seditionis occasione plurum extraordinariorum eventuum, per ea tempora a Rom. observatorum) abrogavit, cum Roma adhuc valde Idolis esset addicta. Cic. *l. 1. de Divin.* multa disputat de *Auguriis*, *et Auspiciis*, quae, licet ipse Augur esset, non magni facere satis indicat, adducitque in libri fine versus aliquot contra Augures, *Aruspices*, somniorum interpretes, et alios divinos, et conjectores: quos versus vide verbo *Augures*.

Corollarium XX.

AS

As, seu aeris libra, fuit nummus Romanus aereus antiquissimus, cujus partes primus signasse dicitur Tarquinius Superbus postremus Romanorum rex. De *Assis* partibus, sive de 12. unciis, in quas *As* partiebatur, ut etiam quodcunque totum solidum, exempli gratia Haereditas, vide Justiniani *Institutiones* in tit. de *Haered. instituendis*. Vide etiam Nieupoort de *Ritibus Roman.* Budaeus insignem *Tract.* de *Asse* edidit, ex quo posteriores Scriptores omnia fere sumpserunt. De eo etiam multa, ut de aliis Romanorum monetis, videri possunt apud Annalistam Aragoniae Zuritam in Tractatu singulari de *Monetarum valore*.

Ascholius (forsitan *Acholius*) Thessalon. Praesul, qui Theodos. M. periculose aegrotantem baptizavit. Eum jam a morbo liberatum confirmavit, et verbis, et scriptis ad Catholicam Religionem contra Arianorum perfidiam, fraudesque tuendam. Hisce monitis pius, et Catholicus Imperator Arianis templa ademit, et ritu catholico dedicari voluit, legesque tulit contra haereticos, et in primis contra Ariani dogmatis sectatores: illud insuper statuens, ut non aliam in Imperio Rom. profiteri liceret ritu publico praeter Catholicam Religionem.

Asclapo, Patrensis Medicus, commendatur a Cicerone in *Epist.* ad Sulpicium ob suam doctrinam, et fidelitatem, quas expertus fuerat in valetudine suorum. Vide *lib. 13. Epist. fam.*

Asclepiades, Caecus Philosophus, ex quo cum quaereretur, quid boni ei caecitas attulisset? respondebat, ut puero uno sim comitatior. Ita Cic. *Tusc. QQ. lib. 5.*

Asclepiades, illustris Romae Oratoriae, et Medicinae Professor, qui nova methodo usus, suavia remedia aegrotantibus praescribebat. Singularium ab eo factarum curationum fama in Mithridate, Ponti rege Medicinae artis studioso, desiderium accendit apud se *Asclepiadem* habendi, eumque magnis praemiis ad se invitavit. Dicere de se solebat, se non aegre amissurum optimi Medici opinionem, quae de ipso erat, si Romani aliquando eum aegrotantem viderent. Nec aegrotavit unquam, donec valde senex lapsu scalarum interiit ante an. V. C. 663. Non confundendus cum *Asclepiade*, celebri Romae Gramm. Pompel. M. aetate. De Medico loquitur cum laude Corn. Celsus: Galeno autem fuit parum probatus. Apulejus in *Floridis* eum vocat uno Hippocrate inferiorem. Scripsit *de Vino* aegrotis dando: quod Opus a Plinio citatur *lib. 23. H. N.* Ssripsit etiam lib. unum *de Musto*, et magnis laudibus celebravit Herbam, quae a Botanicis *Anthemis* appellatur. De ejus Schola agit Plin. *H. N. l. 14., 20., et 30.* Scribonius Largus maximum Medicinae auctorem eum vocat, eoque, et medico, et amico utebatur Crassus. Vide Cic. *l. 1. de Oratore*, ubi *Asclepiadis* eloquentia laudatur.

Aspasius, Ravennas, Demetriani fil. Romae docuit sub Alex. Severo. Scripsit varias Orationes contra Aristonem, et maledicos.

Asper Gram. edidit *Commentarios* in Virgil. et Sallustium. Ita S. Hieron. in priore Apologia contra Ruffinum. Floruit ante Adrianum, et *Velius Longus* etiam appellabatur. Scripsit de *Orthographia*.

S. *Asterius*, Amaseae Praesul sub Honorio, cujus exstant politissimae *Homiliae* circa an. Christi 400. lucubratae. Alia Scripta latent, vel intercid.

AT

Athanasius, Orator, cujus facundiam excellentem laudat Diomedes Gram. ei libros suos dedicans.

Athanasius, Alexandrinus primum Diaconus, et postea Antistes, ob suam doctrinam, et sanctitatem Arianis formidabilis, et Catholicae Ecclesiae magnum decus. Arianorum insidias, et rabiem fugiens, in Gallias, vel sua sponte, vel Constantini, ab Arianis in Athanasium calumniis excitati, jussu secessit, et hac occasione Romam perrexit, ut illic de rebus Orientalis Ecclesiae cum R. Pontif. ageret. Plura scripsit contra Arianos (qui saepe eum ad necem quaesiverunt) pro Nicaena fide, quae scripta proculdubio illico, vel ab ipso, vel ab alio in latinum versa fuerunt, ut antidoti loco essent in Occidente contra fraudes, et errores Arianorum, qui dogma suum, praesertim sub Constantio, et Valente Imper., qui eis favebant, spargere per universum Orbem satagebant. S. Hieron. ad Laetam scribens de filiolae Paullae institutione ei curandum dicit, ut grandiuscula *Cypriani opuscula semper in manu teneat, Athanasii Epistolas, et Hilarii libros*

inoffenso decurrat pede. Ex quo liquet, Epistolas *S. Athanasii* latine scriptas tunc temporis legi potuisse. Vide Hist. Eccl. Vide etiam *Arius*. S. Athanasii Symbolum, quo Ecclesia utitur, videtur vel primum latine lucubratum a S. Athanasio pro Occidentis Ecclesia, vel antiquissima versio esse: perperamque a nonnullis Criticis S. Athanasio abjudicatur. Illud *Satanasii Symbolum* novi Ariani appellant, quia nempe eorum, et aliorum haereticorum haereses jugulat. Plura exstant *S. Athanasii* opera, quorum saltem antiquae Versiones latinae interciderunt. Obiit, sedatis tempestatibus contra illum exortis, plenus meritis Alexandriae an. Christi 372. Ita Pagius: Pontificatus an. 46. Socrates obiisse tradit Coss. Gratiano secundum, et Probo, qui Consulatus respondet an. 371. Nonnulli Critici negant, S. Athanasii esse notum Symbolum, quia Nestorii, et Eutichetis haereses post Honorium exortae in illo damnantur. Verum hoc pacto Symbolum Apostolicum negari posset, Apostolorum esse.

Corollarium XXI.

Athei putabantur ab Ethnicis quotquot, vel dictis, vel scriptis, vel peregrino cultui addicti Ethnicam superstitionem, Deosque a Poetis confictos irridebant, licet Deum unum rerum Auctorem agnoscerent, et colerent: quocirca Christianos, ut Atheos insectabantur. Mente Atheos paucos fuisse inter Rom. antiquos arbitror: licet Cicero suspicetur, Epicureos solo legum metu, et invidiosi Atheismi nominis devitandi caussa Deos agnovisse, et coluisse. Existimo etiam, viros doctos Rom., praesertim Philosophos, unum verum Deum agnovisse, turbamque Deorum, ut figmenta Poetica apud se contempsisse, licet, ne populari persuasioni contradicere, (quod valde periculosum erat) viderentur, eorum superstitionem publice amplecterentur, seseque recepto inter eos jamdiu cultui accomodarent. Cicero in *libris de Natura Deorum*, et de *Divinatione* satis indicat, quo loco superstitiosum tot Deorum cultum haberet, more Academico de Diis disputans. Seneca etiam in suis *Tractatibus*, et *Epistolis* saepe de Deo loquitur, ut Christianus; adeo ut videri possit, eum in sacris libris peregrinum non fuisse. Romulus Romanis praecepit Deorum cultum rejectis Poeticis figmentis de Deorum nefariis facinoribus, et Plato non probabat Homeri de Diis fabulosas narrationes, quae mores corrumpebant.

Athenagoras, Christ. Phil., et Presbyter, scripsit Apologiam pro Christiana Religione, et Legati munere functus fuit pro Christianis Orientis ad Romanos Imperatores 2. Eccl. Seculo. Vide Hist. Eccles.

Athenais, Leontii Phil. filia doctissima, et formosissima, postea Eudocia, vel *Eudoxia* dicta. Vide *Eudoxia* in *E*.

Corollarium XXII.

Athenae. Cicero sub persona Crassi *lib. 3. de Oratore* ait. Athenis jam diu doctrinam Atheniensium interiisse; domicilium tantum in

illa Urbe remanere studiorum, quibus vacant Cives: peregrini fruuntur, capti quodammodo Urbis nomine, et auctoritate. Sinesius etiam in suis *Epistt.*, hanc exterorum curiositatem lepide cavillatur. De Athenien. studio, et expensis in Spectaculis, vide *Histriones* in *H*, et Plutarchum in Tract. de *Athenien. gloria*. Idem Plut. in *Demosthenis vita* narrat, eum dicere solitum = O! Minerva, Urbis Athenarum dea tutelaris; ut quid, tribus belluis pessimis delectaris, noctua, dracone, et populo = Athenis viguit Ostracismi lex, postea abrogata, qua Viri eminentes patria exire cogebantur. Hac lege (Athenis magis, quam exulibus noxia, et ignominiosa, qua eximiis virtutibus exilium, et viris nequam triumphus de optimis Civibus decernebatur) extorres patria vixerunt (praeter Aristidem, Justum cognominatum, qui post 10. an. exilii fuit revocatus) Themistocles in Perside, Iphicrates in Thracia, Conon in Cypro, Timotheus in Lesbo, Chabrias in Aegypto. Exilio isto, quod viris optimis gloriosum erat, cum testimonium esset eorum insignis probitatis, fiebat, ut saepe Cives improbi, et ignobiles Magistratibus Reip. praeficerentur: quo nihil magis exitiosum Reip. esse potest. Id viderunt tandem Athenien., et legem illam antiquarunt. Hanc ob rem mirum multis videtur, alterum ex hujus Seculi illuminati Philosophis hanc legem in Christianorum regnis desiderare. Athenas Romani antiqui contendebant, ut illic ingenuis disciplinis, Oratoria praesertim, et Philosophia erudirentur. At nonnulli mollitiem, luxum, fallendi artes, seu Graecam fidem, et vitia alia magis, quam doctrinas utiles domum ex Graecia adsportabant. Vide *Cato Censorius* in *C*. Athenis Ciceronis aevo declamabatur Graece, et Latine: quod etiam indicat Lampridius de suo aevo. Vide *Epist.* Marci, Ciceronis filii ad Tironem. Idem, ut arbitror fiebat etiam, (praesertim post Tiberium, cui, ut sequentibus Imperat. cordi erat latinam linguam per totum Imperium propagare) non solum in Romanorum Coloniis minoris notae, sed etiam in praecipuis Asiae, et totius Orientis Urbibus, ut Nicomediae, ubi latinam Rhet. Lactantius docuit, Alexandriae, Tarsi, Berythi, et Constantinopoli, ubi Romani Jurisconsulti Jus Civile docebant, et latini Magistri alias disciplinas.

Athenaeus, Grammat. Naucratites, qui sub M. Antonino, teste Suida, edidit libros *Dipnosophistarum* inscriptos. De eo ait Salmasius, fuisse Graecorum Plinium ob multam eruditionem, qua ejus Opera referta sunt.

Athenaeus, Phil. Peripat. sub Aug. clarus, natione Cilix.

Athenodorus, S. Gregorii Thaumat. frater, Origenis discip. Vide *Gregorius* in *G*.

Athenodorus, Aug. familiaris, et valde gratiosus, qui eum monuit, ne quid iratus diceret, aut faceret, fierive decerneret donec secum tacitus omnes percurrisset litteras Alphabeti: quo monito Aug. ad iram pronus, et vindictam, mitis factus est. Nescio an is sit *Athe-*

nodorus, Sandonis filius, citatus a Cic. in *Epist. ad Appium Pulchrum*.

Atilius, Poeta citatus a Varrone una cum Trabea, et Caecilio, teste Charisio *lib. 2.* in fine.

Atilius (L), Jurisconsultus, tanta apud Rom. fama prudentiae, et civilis doctrinae, ut primus a Populo fuerit latino epitheto *Sapiens* appellatus, cum antea Sapientes *Sophi* dicerentur.

Atta (T. Quintius), Poeta Com. ab Hor. memoratus. Ejus *Comoediae* ab antiquis Gramm. citantur, et laudantur: quarum tamen unus tantum, aut alter versus superest. Obiit an. ab V. C. 676. Romae suas Fabulas dabat temporibus Pomponii Bononiensis, et Plotii Rhetoris.

Attalus Medicus, de quo Plin. *lib. 33. c. 8. H. N.*

Attalus, Vir eruditus, qui tam magnifice de se sentiebat, ut egregius Poeta, Orator, Declamator, Caussidicus, Mimographus, Gramm. Cantor, Musicus, Astrologus, Histor. videri vellet. Eum irridet, et graphice describit Mart. hoc *Epig. l. 2.*

Declamas belle; Caussas agis, Attale, belle:
Historias bellas: Carmina bella facis.
Componis belle Mimos: Epigrammata belle:
Bellus Grammaticus; bellus es Astrologus.
Et belle cantas, et saltas, Attale, belle:
Bellus es arte lyrae; bellus es arte pilae.
Nil bene cum facias, facis attamen omnia belle.
Vis dicam quid sis? magnus es ardelio.

Attalus, Phil. Stoicus Romae clarus, quem adolescens audivit L. Sen., qui ejus *Sentt.* refert in *Epist.* ad Lucilium. Fuit eloquentiae laude notus, et solum vertit a Sejano circumscriptus sub Tiberio. De eo L. Sen. *Ep. 109.*, et M. Sen. *Suas. 2.*, ubi magnae virum eloquentiae eum appellat. *Atttali OO.* nulla supersunt, vel latent.

Attejus, Praetextatus, Libertinus, Athenis natus, et Gniphonis auditor, *Philologus* dictus. De eo ajebat Attejus Capito, fuisse inter Rhetores Gramm., et inter Gramm. Rhetorem. Coluit in primis Sallust., cujus magister in ejus adolescentia fuerat, et Asin. Pollionem, quos Historias scribentes dicitur adjuvisse: alteri traditis dicendi praeceptis: alteri *Breviarium rerum Romanarum*, a se confectum, et nondum editum cum eo communicando. Auditores habuit Appium Claudium, et Appium Pulchrum fratres. Pollio ajebat, mortuo jam Sallustio, *Attejum* collegisse vocabula antiqua, et exsoleta a Sallustio usurpata in Hist. suis. Haec ex Suet. Edidit *Attejus Hilem*, Opus, quod in 800. libb. digesserat, omni doctrinarum genere refertos. Ego existimo, hos libros fuisse commentarios, in quos conjecit ea, quae ex libris a se lectis excerpebat. Hi *Commentarii* desid. ut etiam Epistolae, quas scripsit ad Lucium Hermannum.

Atticus (Jul.), tanquam celeberr. Scriptor sui temporis citatur a Columella *de re rust. c. 1.*, et floruisse indicat una cum Corn. Celso,

quem etiam citat *c. 17. lib. 3.* Citatur etiam a Plin. in *Hist. N.*, et de *Vitibus* binos libb. scripsisse traditur. Forsitan diversus non fuit ab *Attico*, qui sequitur.

Atticus, Ovidii amicus Poeta, qui nonnulla Ovidii Poemata videtur emendasse, ut colligitur ex *Epist.* Ovidii ad eum, quae habetur *lib. 2. de Ponto.*

Atticus (Ant.), Rhetor, de quo M. Sen. in *Suas.*

Atticus (T. Pompon.), intimus M. Tul. Cic. amicus, et propinquus affinitate: soror quippe, aut filia *Attici* nupserat Ciceronis fratri. Erat Vir Graece, et Latine doctiss. a patre suo Equite Rom. diti, et in primis litterarum studioso omnibus doctrinis, quibus pueri informari solent, diligenter eruditus. Ita Corn. Nepos in ejus *Vita*. Ei primas in Graeco, et Lat. sermone Cicero deferebat, ejus ceras miniatulas timens, ut testatur Cicero in *Epist. ad Atticum*. Fuit ab omni ambitu in Republica alienus. Et cum tempore belli civilis inter Caes., et Pompejum alii in factionibus, et armis essent; ille litterarum studiis domi navabat operam, nec Pompejanis addictus, nec Caesarianis, sed omnibus diversarum partium charus, quia in utrosque beneficus, cum ejus opera, vel pecunia indigebant. Plura edidit soluto, et alligato pedibus sermone. Cic. in *Epistt.* ad eum meminit *Epigrammatum* ab *Attico* in Amalthaeo villa positorum. Scripsisse etiam fertur de *Imaginibus illustr. Virorum*, quibus subscripsit brevia Carm. eorum laudes continentia, et haec fortasse sunt *Epigramm.* de quib. Cic. Eodem teste in *Oratore* edidit *Annales, 700.* annorum res continentes, quos citat Corn. Nepos in *Attici vita*, quosque citat etiam Cic. de *Cl. Orat.* ab Attico in nonnullis dissentiens, et veniam ab eo, quo cum loquitur, urbane orans. Lucubravit praeterea *Catonis vitam*, et *lib. de Magistratibus, et Famil. Rom.* Haec, et alia commemorata a Corn. Nepote in ejus Vita desid., et supersunt solum fragm. aliquot. Tiro Tul. Ciceronis libertus collegit, et digessit in *16. libb. Epistt. Cic. ad Atticum*, ex quibus, ut etiam ex *Epistt.* familiaribus, Historia Rom. illorum temporum innotescit. Vide *Epist. 12. lib. 9. ad Att.* Plurima beneficia Atheniensibus contulit cum Athenis versaretur, quibus magnum Civium illorum amorem sibi conciliavit. Obiit voluntaria inedia an. V. C. 722: ante Christum 32., aetatis 77., frustra dissuadentibus ejus consilium amicis, qui hominem in omnes beneficum, et nemini non charum diu vivere optabant. Verum dolores acerbiss., quibus afflictabatur, et quibus frustra mederi studuit, morte pejores ipsi visi sunt, nec tantis doloribus digna salus. Multa ad eum sunt Cic. Opera, ut de *Amic.* de *Senect.* cet.

Attilicinus, Jurisconsultus citatur in *tit.* de *Haered. instit. Justinianarum Institut.* Docuit, servos posse haeredes institui etiam manentes in servitute; quae Opinio probatur Justiniano. Hic Jurisconsultus Paullo Jurisconsulto fuit antiquior, et inter Vet. Jurisconsultos laudatur in eo titulo.

Attilius, Gramm. Novocomensib. sua bona reliquit moriens (Ita ex antiqua Inscript. a Novocom. ei posita): quod forsitan Plinii Caecilii exemplo fecit, ut illic Magistris recens stabilitis Minerval augeretur, quo alacrius docerent. Vide *Plinius* in *P*.

Attius, Histor. loquaciss., Orator prolixus, et usque ad impudentiam, et nauseam importunus. De eo Cic. *l. 1. de legib.* Ejus *Hist.*, et *Oratt.* desid. Forsitan hic est.

Attius, sive *Actius*, cujus meminit Quint. *lib. 8. c. 3.*, et *lib. 1.*, ubi ait, usque ad *Attium*, et ultra porrectas Syllabas geminatis vocalibus scribi solitas. Meminit etiam Terentianus Maurus, qui ait, *Attium* geminis vocalibus natura longas syllabas scribere noluisse, cum aliunde brevitas, et longitudo syllabarum agnosci posset. Ex quibus apparet, immutatam sensim Orthographiam inter antiquos Rom.; loco namque duplicatae vocalis postea apex supra vocalem positus, vel omissus fuit, quo brevitatem, ac longitudinem syllabarum ostendebant. Huic tribuitur *Medea* Tragoedia deperdita, nisi si alterius *Attii* sit.

Attracinus, Orator, qui accusavit de vi M. Caelium defensum a Cic. De eo fit mentio a Cic. in *Orat. pro M. Caelio*. Vide *Plotius* in *P*. *Attracini* Actio sive *Orat.* desid. Obiit sub Aug., ut adnotatur in *Chron. Euseb.* Nonnulli eum *Atratinum* vocant.

AU

Audaeus, heret., Vir alias vitae inculpabilis, docuit ex perperam intellectis Sacrae Scripturae locis, Deum corporeum esse. Ejus Sectatores *Antropomorphitae* dicti sunt, qui dogma suum, cadente 4. Eccl. Seculo, propagabant scriptis variis, quae perierunt.

Aufidius (Q.), Mensarius Romae tabernae argentariae ad scutum Cymbricum, foro, et Roma cessit oppressus vi magna aeris alieni. Verum retractus ex itinere caussam dicere coactus est apud P. Fontejum Balbum, Praet. Urb.: ac cum liquidum factum esset, eum nulla fecisse detrimenta; jussus est in solidum totum aes dissolvere. Ita in *Diario, Urbis*, cujus fragm. affert Sponius.

Aufidius (Bassus), Phil. valde senex, qui mortem tranquille exspectabat, et de ea sapienter loquebatur affirmans, eam timendam non esse ob var. caussas, quas affert L. Sen. *Epist. 30. ad Lucil.*

Aufidius (CN), Vir praetorius luminibus captus, laudatus tanquam valde eruditus a Cic. *lib. 5. de Fin.* Idem *l. 5. Tusc. QQ.* ait, *Hist.* scripsisse, et in litteris vixisse.

Corollarium XXIII.

Augures, quorum munus erat ex volatu, pastu, cantu, colore, et tripudio avium futura praedicere, ac de coelo servare, seu ex tonitru, et fulguribus, fulminibusque fausta, vel infausta praenunciare, magno in honore apud Rom. erant. Primum, quia eorum Sacerdotium scientiam non vulgarem exigere credebatur, ut populo Auguralis disciplina, quae vanissima erat, in pretio esset, cum eam a viris doctis excultam viderent: quamobrem Viri primarii, et doctiss.

ad hoc Sacerdotium eligebantur. Cicero *Augurum* juris scientiam valde extollit dicens = Qui sermo, quae praecepta, quanta notitia antiquitatis scientia Juris Augurum? Multae etiam, ut in homine Romano, litterae = 2. quia dum viverent privari Sacerdotio non poterant, ne sacra evulgarentur, quae revera prudentibus ludibrio erant: 3. quia Romani adeo superstitiosi erant, ut nihil alicujus momenti aggredi auderent, sive publicum, sive privatum negotium esset, inconsultis *Auguribus*. Ad eos spectabat templorum consecratio, post dedicationem ab eo, qui illud voverat, Consule, vel Imperatore cum consensu Senatus factam, Pontifice verbis praeeunte solemnibus, dum dedicans postem templi manu tenebat. Hi *Auspices* etiam appellabantur, et Auguria *Auspicia*; licet postea hae Lat. Voces ad alia significanda fuerint ampliatae. Romulus primum 3. tantum Augures instituit. Processu temporis unus additus, et an. V.C. 454. ex plebe 5. adjecti sunt 4. Patriciis. Tandem Sylla Augurum numerum ad 15. auxit, quorum primus Patricius, Auguralis Collegii Magister dicebatur. Vide *Aruspices*. De *Auguribus*, et Aruspicibus haec Naevius:

Nam istis, qui linguam avium intelligunt,
Plusque ex alieno jecore, sapiunt, quam ex suo,
Magis audiendum, quam auscultandum censeo.

Vide Cic. in fine *l. 1. de Divin.* Celebres Augures Romae fuerunt Accius Navius, Marcius, et Vectius, de quibus in suis litteris.

Augurinus (Sentius Falco), Poeta valde laudatus a Plin. Caec. *lib. 4. Ep. 27.* Ejus Poemata desid. Imitatus est in Epigr. Catullum, et Calvum Licinium. Erat patria Romanus, morum probitate notus. Celebris Marchio Maffeius eum Veronensem arbitratur,

S. *Augustinus* (Aurel.), Eccl. Doctor insignis, ingenio et doctrina nulli ex Graecis, et Latinis secundus, Tagaste in Africa natus, et educatus. Rhetoricam primum Carthagine docuit: deinde Romam profectus est: et tandem ad Rhet. docendam Mediolanum accitus fuit, cum adhuc Manichaeus esset. Vide dicta Verbo *Ambrosius*, ac ejus vitam, a Possidio scriptam, et ab Hist. Eccl. Innumera Opera doctiss., quae exstant, edidit, quibus Eccl. et Orbem universum illustravit. Nonnulla tamen ab eo scripta interciderunt, ut *lib. de Grammatica*, quem Mediolani scriptum amisit, vel Mediolani reliquit in Africam redux. De illo agit in *libb. Retract.* Desider. etiam *Soliloquia*: nam quae sub S. *August.* nomine leguntur, ejus non sunt. Opus de *Animae immortal.*, quod scripserat, dignum publica luce non censuit, ut ipse fatetur. Affectum etiam habemus ejus *lib. de Haeresibus* ad Quodvultdeus: quod Opus vel morte praeventus, vel aliis distentus absolvere forsitan nequivit. Hipponensis Episc. sanctissime obiit nonnullis post Honorii excessum annis, licet, sub Honorio praesertim, floruerit doctrina, et sanctitate clarus. Vixit an. 76., in Episcopatu 36., post conversionem 43.

Augustus Caes. Vide *Octavius*, sive *Octavianus* in O.

Avianus (Flav.), *Avienus* vulgo dictus, Hispanus genere, floruit sub M. Theod., cui, ut putant nonnulli, suas *Fabulas* adhuc privato dicavit: licet alii censeant dicatas fuisse Macrobio, qui rei vestiariae Theod. Imp. et filiorum Praef. *Theodosius* etiam appellabatur. De eo meminit hic in *Saturn.* suis, et Servius in *Comment. ad 10. lib. Aeneid. Virg.*, ubi ait de eo, Livium, et Virgilium jambis expressisse. Verum fortasse non de *Aviano* hoc, qui a multis *Avienus* dicitur, id testatus est Servius, sed de Ruffo *Avieno* Festo, Arataeorum interprete, ejusdem aevi, qui de *Geographia* versibus hexametris, et alio carminum genere libros aliquot de *Ora maritima* scripsit ad Probum. In Macr. *Saturnalibus* alter ex Interlocutoribus est quidam *Avienus*, sive *Avianus* secundum varias lectiones, qui creditur Flav. *Avianus* noster fuisse. *Aviano*, sive *Avieno* multa tribuuntur Opera, quorum non pauca leguntur, et forsitan alterius ejusdem nominis sunt.

Avitus, Poeta, cujus verum nomen erat *Stertinius*, teste Val. Martiali. Ad eum est Mart. *Epigr. lib. 9.*, quod sic incipit.

Note, licet non vis, sublimi pectore Vates.

Ex quo intelligitur, nonnullos Romae Poetas, et Scriptores non nomen suum, sed aliud ab ipsis confictum Operibus suis praefixisse; ut ignoti essent. Hic *Avitus*, sive Stertinius, Val. Mart. imaginem in bibliotheca sua collocaverat: quo ostendebat, quanti faceret ingenium, et Scripta Martialis. *Aviti*, sive *Stertinii OO.* nulla supersunt. Forsitan Plin. Caec. *l. 8. Epist. 23.* de hoc *Avito*, qui coaevus Plinio fuit, loquitur, *Aviti* cujusdam mentionem faciens.

Avitus (Q. Octav.) edidit volumina, quibus ostendebat, quosnam versus, et unde Virg. acceperit ab aliis Poetis, quod etiam praestitit Macrob. in *Saturn.* Volumina illa desid.

Avitus (Alphius). De eo Terentianus Maurus meminit. Sunt qui putent, Alphium Flavum, de quo in *F*, *Avitum* etiam fuisse nuncupatum. Alphius *Avitus* scripsit binos libb. *Virorum excellentium*, quos citat Terent. Maurus, et liber horum secundus citatur variis in locis a Prisciano. Hi *libri* desid.

Avitus (Lollianus), cujus *Epist.* ad Apulejum scripta ab hoc laudatur in *Apologia* pro se edita.

Avitus, Bracarensis Presbyter in Hispania, quem Tarracone natum tradit Mariana de *Rebus Hisp. l. 4.* E Graeco Luciani in Lat. vertit narrationem de inventione reliquiarum S. Stephani, et *Epist.* praemisit ad Palconium Bracaren. Episc., ad quem an. 416. per Orosium reliquias misit. Alia *Aviti OO.* desid.

Aurelianus (Caelius), Afer, Siccensis Medicus Methodicus illustris sub Septimio Severo, cujus plura Opera perierunt.

Aurelianus, Imper. Rom. Christianis, et viris doctis favit. Vide *Samosathaeus* in *S.* Occisus an. 6. Imperii fuit.

Aurelius, Poeta Neroni charus, cui Nero annuam pecuniae summam constituit, ut luxuriam ejus foveret. Prodegerat enim patri-

monium satis amplum luxuriose vivens. Versibus suis Neroni, cui in moribus valde similis erat, adulabatur, quo Neronis gratiam sibi conciliavit. Hi versus perierunt, vel latent.

Aurelius (M), *Antoninus* nomine, quia ab Antonino Pio adoptatus, et *Philosophus* dictus ob magnum Stoicae Philosophiae studium, cui a puero per totum vitae suae cursum deditus fuit. Ejus ingenio, et doctrina captus Antoninus Pius, filiam suam Faustinam ei in matrimonium dedit, et cum uxore pro dote Imperium. Fuit vir prudentiss., et virtutibus moralibus insigniter ornatus: cui in convivio Deorum nihil objectum, nisi quod nimia sua prudentia, et patientia impudicos uxoris mores tulisset. Fuit etiam belli, et pacis artibus clarus. Scripsit 12. *libb.* de rebus suis, in quibus multa ad Ethicam Phil. spectantia tradidit. Plures *Orat.* quas in Castris, et in Senatu habuit desid. Imperavit an. 19., et obiit fere Sexagenarius. Hoc famam suam obscuravit, quod Christianos divexaverit, quorum armis, et ad Christum precibus Marcomannicum bellum in Germania feliciter confecit. Verum postea mitior in Christianos factus, satis clementer de illis Ephesi in Conventu publico locutus est, et ad Praesides scripsit, citans Antonini Pii edictum de non vexandis Christ., si nihil contra Rom. Imperium tentarent. Vide Euseb. *Hist. Eccl. l. 4. Epistt.*, quae sub ejus nomine leguntur, a Guevara, editae, confictae reputantur. Plura tamen documenta idonea ad mores formandos in eis inveniuntur. Obiit an. Christi 180. Dicere solebat: *Eos, qui Reipub. praesunt, cogitare debere, rem populi se gerere: non suam*: quod dictum alii Adriano tribuunt.

Auruncanus, Poeta Satyr. memoratus a Juven. *Sat. 6.* Ejus *Satyrae* desid.

Ausonius (Jul.), Valentiniani Imp. Medicus, pater Ausonii, de quo mox. Scripsit *libb.* aliquot de *Medicinalibus* laudatos a Vindiciano, et Marcello, qui *libri* non comparent. Ejus honorificentissimam mentionem facit filius in Carminibus suis. Apud Aquitanos magna sapientiae fama claruit.

Ausonius (Decimus Magnus), praeced. filius, Poeta, et Rhetor Burdegalensis, Gratiani Caesaris, et S. Paullini, Nolae postea Episc., magister. Plura *Ausonii* Poemata leguntur vario metro lucubrata, sed multa desid., ut *Tetrasticha* ab Heliogabalo Imp. ad Gratianum. Ex *Idylliis* 20. maxima pars septimi, et lascivior ad Bissulam amicam periit. Nec ad nos pervenerunt ejus *Fasti*, quos ad filium direxit. A Gratiano Cos. designatus, Orationem Eucharisticam ad eum habuit pro suo Consulatu, qua ostendit, se parum in Oratorio stylo exercuisse, et magis versa, quam prorsa *Oratione* valuisse. De eo dici potest, ex illis alterum fuisse, qui, propitia fortuna, ex professorio munere ad Consulatum evecti sunt, ut alii, adversante fortuna, ex regali sede ad Scholam sunt deducti: quod Dionysio Siculo tyranno accidit, qui Corinthi pueros post regnum mercede docuit, ut

sedaret famem, ludum litterarium aperiens. Sunt variae *Epist.* carmine scriptae *Ausonii* ad S. Paullinum, et hujus ad *Ausonium*, quem puto discipuli suasu militiae tandem Christi nomen dedisse, quo proculdubio gratior, et acceptior optimo Christ. principi Gratiano evasit. In vivis erat adhuc an. 392., quo an. *Epist.* ad S. Paullinum scripsit. Institutus Graece, et Latine fuit ab ejus patruo Aemilio M. Arboreo, et a Tiberio Minervo. In *Ausonii* Carminibus leguntur plura nomina Professorum Burdegal: Grammaticorum nempe, Rhetorum, et Poetarum, qui in illis Scholis floruerunt, ut etiam unius, ac alterius ex Scholis Tolosanis, et Narbonensibus.

Corollarium XXIV.

Littera *A* in omnibus Alphabetis, saltem linguarum magis notarum, prima est, quia sonum hujus litterae primum in infantia ore exprimimus. Hanc litteram sine immutatione in figura acceperunt Romani a Graecis: hi ab Hebraeis cum aliqua immutatione. Per *A* notabant Romani antiqui in scripturis, praesertim in tabulis marmoreis, et numismatibus, *Abrogo*, *Absolvo*, *Augustus*, *Augusta*, *Aulus*, *Aurum*, *Annus*, et alia. Vide *Coroll.* de littera *C*.

BA

Babilus, Astrologus, a Nerone consultus de Stella crinita, sive Cometa, qui singulis noctibus apparebat, in caussa fuit exitii multorum illustrium Roman. Ita Suet. in *Nerone*.

Bacchiarius, Monachus Hispanus, S. Augustini aevo scripsit ad Januarium *de recipiendis lapsis*. Scripsit etiam contra Priscillianistarum errores. Haec Opera illustrata fuerunt a Canonico Florio. Alia, siqua edidit, desid.

Balbillus, seu *Babillus*, seu *Babilius* (C). De eo Plin. in *Praef. ad lib.* 19. *H. N.*, et L. Sen. *l.* 4. *Nat. QQ.* Scripsit Itinerarium suum, et res Aegypti, cui praefuit sub Nerone. A Seneca laudatur, ut vir optimus, et in omni litterarum genere rarissimus. Ejus Scripta desid.

Balbinus (Decimus Celsus), Orator, et Poeta, postea Rom. Imper. a Senatu electus, et iccirco Militibus parum acceptus, a quibus tandem militari coitione occisus fuit. Ejus *OO.* desid. Imperavit integrum an. cum Max. Pupieno et Gordiano puero. Hunc (cui milites favebant ob memoriam patris, vel avi in Africa occisi) cum amoliri ab imperio *Balbinus*, et Pupienus satagerent, a militibus fuerunt interfecti an. Christi 238. Ita Petav. in *Ration. temp.* ex Capitolino, Herodiano, Eutropio, et Zosimo.

Balbus (Q. Lucil.), Philosophus, Stoicae doctrinae inter Rom. princeps. Hujus in Jure Civili alumnus fuit Serv. Sulpicius, qui plures *Balbi sent.* scriptis suis inseruit. Laudatur a Cic. in *Bruto*, ut doctus, et ut consideratae tarditatis vir. Ait etiam Cic. *de Nat,*

Deorum *l.* 1., eum comparatum fuisse in Stoica disciplina cum excellentibus Graecis. Ejus *OO.* desid.

Balbus (Ampius). Cic. ad eum post Civile bellum inter Caes., et Pomp. Roma exulem scribit, eundem consolans, et ad spem erigens, veniae a Caesare impetrandae. Fuit vir doctus, et qui Historiam scribebat, qua virorum fortium facta memoriae mandabat. Ita Cic. in *Epist. ad eum lib. 6. Fam.* A Caesarianis, ad invidiam ei conflandam, Tuba belli Civilis appellabatur.

Balbus (Corn.), Hispanus Romae celebris, amicus Ciceronis, Pompei M., et Caesaris. Inter Cic. *Epistt. Famil.* sunt plures Cic. ad *Balbum*, et hujus ad Cic. Scripsit plura, quae desid., ut *Ephemerides* (a) Caesaris, et *Exegeticon*. De eo ut *Ephemer.* Scriptore Sidonius Apollin. *lib. 9. Ep. 14.* Citatur etiam a Macrob. *lib. 3. Saturn.* Vel hic, vel qui sequitur, hujus nepos, theatrum magnificum Romae construxit. Vide alia de eo in *Apologet. Dissert.* Xaverii Lampillas.

Balbus (Corn.), praecedentis nepos. Is primus exterorum Romae triumphavit, ac Pont. Max. fuit: quod Sacerdotium, inter Romanos praecipuum, nonnisi viris doctissimis in Jure, et in sacris ritibus Ethnicae superstitionis versatissimis conferebatur. Sub Patrui disciplina educatus, ejus Civilis, et militaris disciplinae aemulus fuit.

Balbus (Laelius), Orator trucis ingenii, et eloquentiae sub Tiberio. Promptus quippe erat ad insontes accusandos, teste Tacito *l. 6. Ann.* Accusavit, et perdidit Scaurum. Ipse vero cum accusatore alio insigni Servilio, Oratore eidem valde simili, in Insulam fuit deportatus, et ambo aqua, et igne interdicti ob acceptam pecuniam a Vario quodam, Ligure, ne accusaretur.

Balista Romae olim docuit: postea lattociniis infamis evasit, ob quae lapidibus in sepulchrum ejus conjectis coopertus fuit. In eum Virg. adhuc adolescens hoc Epitaphium scripsit:

Monte sub hoc lapidum jacet Balista *sepultus.*
Nocte, dieque tuum carpe viator iter.

Balista alter laudatur in binis *Epist.*, (quas affert Trebellius Pollio) a *Valeriano* Imper., qui in altera ei gratias agit, quod ab eo praecepta ad Remp. recte gubernandam accepisset: quod indicat Valeriani humanitatem, et gratum animum adversus Magistrum suum.

Barbarus, Rhetor. Ejus Sentt. affert Sen. in *Suasoriis*.

Corollarium I.

Barbarismus est vitium in dictione tantum, ut *Soloecismus* vitium in oratione. Cum advenae, et peregrini homines Athenis Graece loqui conarentur, in absonas voces eos prorupisse, tradit Strabo, unde in usum venit, ut qui inepte loquerentur *Barbari* dicerentur:

(a) *Sunt qui putent*, Ephemerides Caes. *esse Balbi Corn. Theophanis, de quo fit mentio a Capitolino.*

quod etiam inter Romanos obtinuit. Hinc *Barbarismus*, in quem incidere etiam eos puto, qui *Soloecismum* admittunt. Vide *Soloecismus* in *S.* Ante aetatem Augusti in usu non erat vox *Barbarismus*. Vitium sermonis, quod *Barbarismus* dicitur, in quem incidunt, qui barbare loquuntur, appellabant Romani antiqui *Rusticitatem*, seu Rusticum sermonem, eoque vitio loquentes rustice loqui dicebantur. Ita Gel. *lib. 13. cap. 6. NN.* citans Nigidium in *Comment. Grammat.* De *Barbarismo*, quo vitio puritas Latinae linguae corrumpitur, agunt Cornificius *lib. 4. Rhetor.* ad Herennium. Quintil. *lib. 1. Inst. Orat.*, et Mart. l. 6. Epig. in *Cinnamum*, ubi haec habet ludens in variato *Cinnami* nomine.

Cinnam, Cinname, te jubes vocari.
Non est hic, rogo, Cinna barbarismus?
Tu si Furius *ante dictus esses,*
Fur *ista ratione dicereris.*

Ovidius, in Ponto latine loquens, barbaris Getis barbarus erat, quia ab illis ejus sermo non intelligebatur. Ita Ovid. ipse scribens = *Barbarus hic ego sum, qui non intelligor ulli*. Ad Ovidii dictum hoc forsitan respexit S. Paullus in *Epist. 1. ad Corinthios cap. 14.: Si ego nescivero virtutem vocis, ero, et cui loquor barbarus, et qui loquitur mihi Barbarus*. Arbitror enim, S. Apostolum, Rom. Civem, non Graecos solum Poetas, quos citat in sermonibus ad Graecos, sed, et latinos, quos non citat, legisse. Haec ostendunt, dictionem *Barbarus* varie usurpari, et Barbariem in sermone linguis omnibus ab eas non intelligentibus adscribi.

DISCEPTATIO DE SECULIS,
quae a Criticis BARBARA *appellantur.*

Barbara Secula a Criticis non infimi subsellii appellantur, quae post Honorium sunt excursa usque ad instauratas litteras: eo quod Latina lingua sensim post Barbarorum in Occidentis provincias Rom. Imperii irruptiones a sua puritate, et recto usu deflexerit, admista pluribus vocibus, et phrasibus Barbarorum: quo factum est, ut corrupte homines etiam docti scriberent, et loquerentur, ac Romana litteratura vix excoleretur. Sunt tamen, qui opinentur, per summam injuriam ob vitiatum sermonem Latinum ea Secula *Barbara* appellari, licet in eum multa vocabula peregrina irrepserint, quin examinare velint, utrum multitudo horum vocabulorum exaggeretur: hisque rationibus ad ita opinandum adducuntur 1. quia temporibus Appii Claudii Decemviri, in quibus leges 12. Tabularum digestae, ac perscriptae fuerunt, et posterioribus Livii Andronici, Naevii, Pacuvii, Accii antiquioris, Ennii, Plauti, Lucilii, Lucretii, ac etiam Ciceronis aevo, plura barbara vocabula in Latinum sermonem irrepserant, quin *Barbara* ea Secula appellentur: ut mittant, Dionysium Halicarn. affirmare *lib. 1. Antiq. Rom.* Latinam linguam ex Graeca, Aeolica in primis, et ex barbaris linguis, Aboriginum scilicet, Ethru-

scorum, Sabinorum, Oscorum, cet. coaluisse: eam autem plane barbaram non esse. 2. quia Latina lingua, qua utebantur Itali, Galli, Hispani, Afri in Seculis, quae *Barbara* appellantur, non erat magis dissimilis Latinae, qua Augusti aetate, et paullo posteriore Romani scribebant, quam esset lingua, qua loquebantur, et scribebant antiqui Romani, de quibus Cic. ait, male latine locutos, et Mart. vomuisse Latinitatem: quin propterea ea Secula *Barbara* vocentur, quin immo a nonnullis Criticis inter aureae aetatis Scriptores recenseantur., qui temporibus illis floruerunt. 3. conferantur scripta edita 5., 6., 7., 8., et posterioribus Seculis ante instauratas litteras cum Saliarium carminibus, cum legibus 12. Tabularum, cum variis antiquis Inscriptionibus, Historiis, Annalibus, veterno inquinatis, quorum fragmenta supersunt: et notum fiet, illa minus distare, quam haec a latinitate Seculi Ciceroniani. Ad intelligenda multa scripta Latina antiqua, quae ante Syllae aetatem fuerunt edita, doctis opus erat interpretibus, teste Quintiliano de suo aevo loquente: Scripta autem S. Leonis Papae, S. Gregorii M., S. Petri Chrysologi, S. Prosperi, Boetii, Cassiodori, S. Isidori Hispalensis, Bedae, Eghinardi, Paulli Diaconi, et aliorum infinitorum, qui Seculis, quae vocantur *Barbara* floruerunt, nullo adhibito interprete, intelligeret Quintilianus, si reviviscer et, et Christianus fieret. Vix enim ullum inveniret vocabulum in multis ex his, quod suo tempore in usu non esset, vel quod analogia defendi non posset, nisi cum de rebus Ecclesiasticis Christianorum, quae ignotae erant Ethnicis, loquuntur, quibus rebus, non minus, quam novis rebus aliis, nova vocabula secundum Tullium imponi debebant: nullas constructiones inveniret, quae tolerabiles non sint. In his non inveniret elegantias aevi Ciceroniani. Verum neque sordes notare posset priscorum Scriptorum Romanorum. Non legeret in illis, neque in Scholasticis aevi posterioris; in S. Anselmo nempe S. Bernardo, Petro Lombardo, Alberto M. S. Thoma, Joan. Salisburiensi, voces istas: *Amptruat*, *Redamptruat*, *Dapatilia comisse: Jani Cusones*, *Duonos Ceruses*, *Deivos Janos venet.*, quae in Carminibus Saliaribus leguntur. Nec *rem navebous marid. Consol. primus gessit*, ut in columna rostrata Duillii: nec *Sei hemonem fulmin occisit: Em* pro *Eum: Endo* pro *In: Oloe* pro *Ille*, *Ollie* pro *Illic*, et similia, ut in 12. Tabulis, et in variis veteribus Inscriptionibus, et Libris: nec *Dachrymas*: *Noegeum*: *Antlo*: *Gnarigavit: mea puera*: *Sorctus: Mulier quisquis es: Fitum est* cet. ut in Livio Andronico; nec ut in Pontificalibus libris: *lupus foeta: hic ovis: agnus foemina: Porricio: Impetrio: Tripudium Solistimum: Simpulus:* nec ut in Naevio: *Vivebo: Docebo* pro *Vivam: Dicam: Sardare: Rutuba:* nec, ut in CN Gellii *Annalibus: Paucabus Puerabus*, *Oreabus*, *Pudicabus*: *Portabus*: *Ossum*: nec, ut in Pacuvio, *Certisso* pro *certum reddo: Maero.*, *as*, *are* pro *Contristo*, *as: Adiutor*, *aris* pro *Adjuvo*, *as: Accepso* pro *Accepero*: nec, ut in Actio: *Celebresco*: *Celeranter*: *Magnitas*: *Expergo*:

Perperitudo : *Manuatus* : *Luctus Lucti*, alia : nec, ut in Ennio : *Audibitis* : *Pinos, rectosque Cupressus* : *Homonem* : *sas* pro *suas* : *Celerissimus* : *Fossare* : *Laetificum gau: verant* pro *verum dicunt* : *Altisonum cael*: *Topper* : *Vulta* pro *vultus* : *Sanguen* : *Taratantara*, et alia : nec, ut in Sisenna, *Muliebre*, et *Virile sexus* : *Sputatilica* : nec, ut in Catone Censorio, quem Plutarchus Rom. Demosthenem appellavit, *Siremps* : *Tertio pedato* : *plerus Aboriginum* : *Gelum Crassum* : *Quaescunque Romae regnavissent* : *Terminum fanum fuit* : *Fitur* : *Sepelitus* : *Pulchralibus* : *Beneficissimus* : *Pueris in ludos tellos pascellos fura* : *Donicum* pro *Donec* : *coepiam loqui* : *Volim* pro *velim* : *Tiburchinabundus* : *Lurchabundus* cet. : nec, ut in Quadrigario : *Recordavit eum patriae* : *Habentia ae* : *Prior bellum* : *Prior foedus* : *Potestur* : *Diurnare* : *Sermonari* : *Fruisci sua omnia* : *Copior aris* : *Inermus* : *De subito* : *Interitis* pro *occisis* : *Congermenasco* cet. : nec, ut in Plauto : *Absente nobis* : *Expedibo* : *Mentibor* : *Dormibo* : *Aperite aliquis* : *Detestor Deos* pro *Testor Deos* : *Beto* pro *Eo* : *Expetere preces a Deo* pro *Deum precari* : *Creduas* pro *credas* : *Abmitto* pro *omitto* : *Benedice*, et *Benedicus* : *Deliquum* pro *Minus* : *Declinavi me extra viam* : *Potesse* pro *Posse* : *Excuratus* : *Cispello* : *Incomito* : *Decollo* pro *Decipio* : *Vicissatim* : *Delenificus* : *Quid tibi hanc curatio est rem* : innumera alia hujusmodi, quorum nonnulla etiam in Terentio leguntur. Vide *Terentius* in *T*. Similia usurpat Lucretius, in quo sunt *Durateus equus* pro *ligneus equus* de Equo Trojano : *Arterium ii* pro *Arteria ae* : *Parvissimus* : *Tricorporatus* : *Creperus* pro *Dubius* : *Propritim* pro *Proprie* : *Tuimur* pro *Tuemur* : *Possido* pro *Possideo* : *Tonitralia* : *Adulo as* : *Bucera secla* : *Travio* pro *Transeo* : *Tuditare* pro *malleo percutere* : *Conisco* : *Clinamen* : *Remasse* : *Fluvidulum* pro *Fluidum* : *Alid* pro *Aliud* : *Blanditus us* pro *Blanditiae*, alia aeque aurea. Neque a sordibus abstinuit Lucilius, in quo *Talipedans* : *Cinefactus* : *Virosa mulier* : *Pestilitas* : *Demagis* pro *Valde magis* : *Milli* ablat. a *Mille*, alia : ut nihil dicam de innumeris durissimis, obscurissimis, exsoletis, et horridis repertis in Varrone, et Sallustio Augustei aevi Scriptoribus laudatissimis, de quibus Q. Moder. Censor. in *Paradoxis de Vita, et Morte Latinae Linguae* (a). 3. Tunc temporis in

---

(a) *Siquis Auctorem reprehendere velit, eo quod vitia aliquot ex innumeris, quibus scatet veterum Ethnicorum, qui cum fama doctrinae Romae floruerunt, Latinitas, operose collegerit, et exposuerit; reprehendat primum Criticos operose colligentes veterum Christianorum, et Patrum, qui latine scripserunt, vitia, ut eorum pravam Latinitatem notent, et eos ferreos, luteos, barbaros Scriptores, et Latinae linguae corruptores appellent, quantumvis horum vitia in verbis, et syntaxi multo leviora, et rariora sint, quam admissa ab Ethnicis Latinis, quo-*

Barbaris, quae vocant, Seculis, vernacula erat Latina lingua, ac per eam commercium habebant saltem per litteras Itali cum Gallis; hi cum Hispanis, et Afris. Item Concionatores Latino sermone utentes intelligebantur ab Italis, Gallis, et Hispanis, apud quos usque ad 14. Ecclesiae Seculum non alio sermone (saltem in Italia) verbum Dei enunciabatur. Nunc, facta linguarum divisione, hoc commercium utilissimum difficile redditum est, cessante Latinae linguae usu. Haec autem, licet admista esset multis barbaris vocabulis, minus distabat a latinitate argenteae saltem aetatis, quam distent nunc linguae Vernaculae, quae *Romanenses* appellantur, et filiae linguae Rom. habentur. Hae vero de origine sua adeo gloriantur, ut ea praestantior habeatur, quae magis ad Latinam, seu Romanam accedit, quaeque parenti optimae similior est: et icciro Itali contendunt, suam linguam Vernaculam ceteris praestare. Sit ita. (licet Hispani aliqui (a) reclament) At nemo unus dicet, has novas linguas Vernaculas similiores, et proximiores esse linguae Latinae, quae in usu erat apud Rom. bonae aetatis, ea Latina lingua, quae in *Seculis Barbaris* ab Scriptoribus usurpabatur. Praestabat igitur haec lingua linguis omnibus Vernaculis postea exortis. 4. Licet corrupta esset Latinitas *Barbarorum Seculorum* propter admistas plures peregrinas voces, ac, si velis, barbaras, maxime in privatis Scripturis per ignaros Tabelliones, et rusticos Scribas factis; nemo tamen ullus diffitebitur, Vernaculas linguas nunc vigentes, ex Latina ortas, multo plura peregrina

---

rum non pauci inter aureae aetatis Scriptores numerantur, dissimulata tenebricosa, sordida, rustica, et prava Latinitate, qua usi sunt. Requirat etiam a Criticis hujus illuminati Seculi in judicando de priscis Christianis Latinis Scriptoribus majorem aequitatem, et prudentiam. Exaggerando quippe barbariem veterum Christianorum, et Patrum fit, ut adolescentes (viri etiam) a lectione Sacrarum Litterarum, et ab evolvendis SS. Patribus avertantur, hosque contemnant, unde postea pravae opiniones circa christiana dogmata facilius adoptantur a destitutis Sacrarum Scripturarum, et SS. Patrum lumine, sine quo nullum Seculum potest, nisi falso, illuminatum *appellari: multo minus illud, in quo tot libri pleni pestilentiae, et veneni leguntur contra Christianam religionem, in quibus, exceptis histrionicis dicteriis, nihil novi adducitur, quod a Porphyrio, a Juliano Apostata, et Ethnicis aliis dictum non sit, et objectum in dogmata Christianorum, quodque ab antiquis Christianis Scriptoribus refutatum non fuerit invictis rationibus.*

(a) *Vide Marianam* lib. 1. Cap. 5. Hist. Hisp. *Alter ex Stephanis Parisiensibus, viris eruditis, et typographis, scripsit librum de* praestantia linguae Gallicae, *quam Italae praeferendam contendit, quia Graecae magis similis, quam Itala.*

vocabula admista habere, quàm Latinam *Seculorum Barbarorum* : adeo-ut majori ex parte ex barbaris vocabulis sint conflatae : ac proinde fateri debemus, has magis corruptas esse, quàm fuerit Latina lingua in Seculis, quae *Barbara* dicuntur. Haec cum indubitata sint : quaerebat Q. Mod. Censorinus, qui Paradoxis de Latina lingua delectatur, quo jure Secula illa propter usum Latinae linguae barbaris aliquot vocabulis deturpatae, *Barbara Secula* appellamus, et non potius *Barbara* nostra haec Secula dicimus, in quibus lingua Romanensi utimur, multo pluribus peregrinis, ac barbaris vocabulis inquinata, ut et Syntaxi a Latina magis remota, magisque eidem contraria, quàm fuerit Syntaxis Latinae linguae, qua Scriptores *Seculorum Barbarorum* usi sunt? Si dicatur: linguas hodiernas Vernaculas suos canones, et regulas habere, ad quarum amussim scribentes, qui lucubrationes suas Vernaculas edunt elegantium Scriptorum laudem promerentur, ac iccirco nefas esse, eos *Barbaros* dicere, et Vernaculas linguas a Romana ortas *Barbaras* appellare: hac ratione, ajebat, vulgarem Graecam, quae nunc in Graecia viget, *Barbaram* dicere non licebit, nec eos, qui ea utuntur *Barbaros* dicere, modo secundum Canones Artis suae (nam suam Grammaticam lingua vulgaris habet, quam in Hispania legerat) lucubrationes suas, et sermones, quantumvis multis Turcicis, et barbaris aliis vocibus inquinatos, edant. Profecto si cultiores Graeci reviviscerent, et ad suos redirent, vix eos loquentes caperent, et tanquam Barbaros eos contemnerent, eorum sermonem audientes. Utrum autem idem contingeret, si antiqui Romani, et majores nostri, qui aliquot retro Seculis ante instauratas litteras vixerunt, e sepulcris excitarentur, et sermonem Gallicum, Hispanum, Italum, qui de origine sua ex Romano sermone gloriantur, audirent? Illis dijudicandum relinquitur, qui barbariem Seculorum ab excessu Honorii ad instauratas litteras excursorum exaggerant, quique nullo in pretio habent illorum Seculorum Scriptores, alias doctissimos, quin etiam, quia minus pura latinitate utebantur, *Barbaros* eos appellant, eorum Opera tantum non abolita cupientes. Haec olim mecum Q. Moderatus Censorinus, qui quovis pignore contendebat, Tullium, ac J. Caesarem, si in has luminis auras revocarentur, et legerent accuratiora Scripta *Seculorum Barbarorum*, et elegantiora opera Hispane, Gallice, Italice scripta; Secula ista proculdubio, quod ad sermonem attinet, magis *Barbara* esse, quam praecedentia affirmaturos. Bedam quippe, Eginhardum, Paullum Diaconum, alios Scriptores illius aetatis intelligerent; nos autem vernaculis nostris linguis eleganter loquentes Getas, aut Trogloditas arbitrarentur, idest *Barbarissimos* (a) (si novo hoc superlativo uti fas

---

(a) *Plautus a* Poenus *fecit* Poenior, Poenissimus : *cur non item*

est) reputarent: quin etiam corrupto Seculorum nostrorum judicio, et gustui irascerentur, ajebat, cum cernerent, pulcherrimam Latinae linguae faciem tam foede commutatam, ut jam vix ea in Vernaculis nostris Romanensibus ejus lineamenta agnoscantur, licet hae legitimas Latinae linguae filias se esse glorientur, ac de similitudine cum parente sua inter se contendant. His addebat, Ludovicum Nogarolam, Italum doctissimum (cujus Vitam in *Scriptoribus Veronensibus* Marchio Maffejus edidit) ad Bernardinum Donatum scribentem eum orasse, ne Italico sermone, quem barbarum vocat, scriberet, sed Latino, vel Graeco: *Illud*, inquiebat, *omnibus precibus abs te oro, mi Bernardine, ne barbaro isto sermone posthac, sed Graece, aut Latine perscribas. Non enim soleo hanc linguam, quam Ethruscam vocant, inter doctos homines probare*. Quid de Gallico, et Hispano Sermone dixisset eruditus iste Italus, quem non pudebat Italum Sermonem elegantiorem, quique minus a Latino differre, quam Gallicus, et Hispanus creditur, *Barbarum* appellare? Haec cum exposuisset Censorinus, et ego objecissem, dicta sua non sine risu a Criticis hodiernis excipienda: reposuit, nodosa dubia, et argumenta risu non solvi, sed firmis rationibus, quas exspectat ab iis, qui, cum praefatorum Seculorum barbariem ob vitia nonnulla in Verbis, et Syntaxi Latinae linguae tueri pergant; *Barbara* tamen appellare Secula post instauratas litteras decursa, in quibus, (praesertim in nostro) omnia fere etiam abstrusiora disciplinarum, Vernaculis linguis scribuntur, neutiquam audebunt. Illud vero aequo animo ferre non poterat, quod nonnulli (*a*) Alembertiano afflati spiritu eo processerint, ut Latinae linguae Vernaculas ex ea natas praeferant, et non modo a possessione verae laudis, totque Seculorum, et provinciarum dominatu eam dejici, sed exterminari, vel ad Utopiam deportari, publicatis bonis, contendant, ut filiae dominentur. Verum propitio Apolline, et Musarum Senatu, ad quem Latina lingua sibi metuens, a corrupto horum judicio, et hostili conatu provocavit, bonis patronis, et legum tibicinibus fulta (si vera sunt, quae ex Parnasso nunciantur) caussa cadere jam non timet, et ab omni prorsus metu est liberata. Eam namque in pretio, et honore futuram, dum pretium manebit litteris, Apollo

---

a Barbarus *fieri poterit* Barbarior, Barbarissimus? *S. Hieron. Plauti exemplo, fecit a* Latinus, Latinior, Latinissimus. *Quintiliano non probatur Celsus, qui Oratori non concedit nova vocabula fingere.*

(a) *Contra Alembertium pro Latina lingua scripsit eleganter, et nervose multas Epistolas Hieron. Ferrius in Ferrar. publico Gymnasio litterarum humaniorum nunc Professor: post quem doctis etiam, et cultis Epistolis Clementinus Vannetius, et Alexander Zorzius de eodem argumento disseruerunt.*

edixit, et per omnes sui Imperii provincias jussit Edictum suum fatidicum promulgari: quo insuper cavere dicitur, nequis posthac audeat quicquam contra Jura Latinae linguae attentare, aut eam ulli ex Romanensibus Vernaculis ex ea natis posthabere. Sed jocos mittamus, (qui improbo labori unde unde expiscandi parum notos Rom. veteres litteratos est condonandus), et maneat, Secula, quae *Barbara* dicuntur, non immerito *Barbara* cum nostris collata appellari. Non quidem propter corruptam novis, et barbaris vocabulis, novamque Syntaxim Latinam linguam, sed ob multorum mores parum cultos, ac pene ferinos ex barbaris propagatos: ob ignorantiam magis communem ingenuarum disciplinarum, quae Barbarorum incursionibus, diuturna dominatione, et bellorum fragore in provinciis olim Romani Imperii vix excolebantur, unde amuleta superstitiosa, et variae aliae persuasiones ortae erant: ob legum Romanarum magis rationi congruentium, vel neglectum, vel oblivionem, et tandem ob Jus barbaricum ubique vigens. Notum quippe est, usque ad Honorium III. Romanum Pont. more barbarico judicia exercita fuisse, in quibus delictorum probationes, et purgationes per ignem, per duellum, per aquam ferventem, per ferrum candens factas ex Historiis scimus. Quae ratio reos damnandi, et absolvendi, quantum a recta ratione, atque Justitia sit aliena, quantamque barbariem sapiat, nemo non videt. Minus erudita (a) sane ea Secula fuisse inficiabitur nemo, qui Historiam illius aetatis attigerit, et Secula, quae ante medium aevum excurrerunt, et posteriora inspiciat. Verum *Barbara* appellanda ob minus purgatam, et cultam Latinam linguam, et ob barbararum nonnullarum vocum admistionem; si rem sine praejudiciis exa-

---

(a) *In Seculis illis siquis marte proprio supra exilem doctiorum eruditionem extraordinarios progressus, sive in Physicis, sive in Mathemathicis, sive in artibus aliis, et disciplinis ingenuis fecisset, vel* Mundi Miraculum *appellabatur, vel magicis instructus artibus credebatur: qui autem contra inveteratos vulgi superstitiosos usus declamabat, haereticus audiebat. Utrum autem de Ildefonso Tostato, Abulensi Praesule, qui an. aetatis suae 93. ad plures transivit ante instauratas litteras, perperam dictum fuerit:* Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne? *ab iis requirendum, qui innumera illius Opera versarunt, et cum Crisi aliqua legerunt. Obiit Tostatus, cum in vivis adhuc erat Petrarcha, et nondum Typographia inventa. In eo laudatur doctrina singularis, quam Viri prudentes merito praeferunt styli elegantiae. Tostatus, et alii Viri docti, qui multa, et de multis scripserunt, magis studebant res dare, quam verba. Illud curabant, ut ad captum legentium essent lucubrationes, quas edebant. Vide L. An. Senecam ad Lucilium* Epist. 116.

minare non pigitum fuerit, statuere non possumus, nisi idem de nostris Seculis judicemus, ut nihil dicam de Seculis Ciceronianum praecedentibus, quorum magna pars secundum insignes Criticos ad auream aetatem latinitatis spectat, quaeque *Barbara* appellare nemo audet ob rubiginosam, parum excultam, et pravam, sordidamque illius aevi Romanorum etiam doctiorum latinitatem. Cujusmodi autem tunc temporis fuerit ineruditorum, seu vulgi Latinus Sermo ex eruditorum illius aetatis sermone potest aestimari. Qualiscunque tamen ille fuerit, nunquam adducar, ut credam (quod nonnemo, alias Vir sapientissimus, opinatus dicitur), sermonem nempe, proprium prisci Romanorum Vulgi, Italum, qui nunc viget, fuisse: quod joco magis, quam serio fortasse Vir doctissimus propugnavit.

Bardesanes, Syrus natione, optimus primum Catholicus, qui, teste S. Hieronyme, Valentini errores scriptis suis refutavit, et postea eos amplexus est, iis Fatalistarum deliria addens. Vivebat cum fama doctrinae sub M. Aurelio Antonino, qui Virum tam eruditum ad Idolorum cultum trahere conatus est officiosis ad eum scriptis litteris. Opera *Bardesanis* perierunt.

Basilides, acuti, sed pravi Vir ingenii, Menandri sectator, et Saturnini socius, ineunte 2. Eccl. Seculo, docebat, Simonem Cyrenaeum loco Christi crucifixum fuisse, et Christum specie tenus, non vere passum. Negabat Carnis resurrectionem, et nuptias virginitati in merito exaequabat. Commentus est insuper ridiculum Systema de Mundi opificio Sacris litteris contrarium. Fuit patria Alexandrinus, et filium habuit Isidorum nomine, quem haeredem suorum errorum reliquit. Hic moralia quaedam praecepta scripta edidit, quae omnium impuritatum cloaca vocat Clem. Alexandrinus in *Strom*. Obiit *Basilides* initio Imperii Adriani. *Isidorus* ejus filius confundendus non est cum Isidoro, Phil. Cynico, de quo postea in littera *I*.

S. *Basilius* M., Ponticus, Praesul Caesarien. doctissimus, S. Gregorii Nyseni frater, et S. Greg. Nazianzeni Athenis Condiscip., et Sodalis. Floruit sub Juliano Apostata, Joviniano, Valentiniano, et Valente Ariano, qui frustra tentavit decretum de ejus exilio scribere, divinitus a consilio suo perficiendo impeditus. De eo multa Eccl. Historici. Ejus *OO*. sunt notiss. ex quibus *Hexaemeron* videtur imperfectum, seu nondum absolutum reliquisse, quod ejus frater S. Greg. Nysenus absolvit, vel complevit de Hominis opificio scribens. Obiit an. Christi 379. nono Episc. anno.

Bassus (*Salaejus*), Orator, et Poeta Lyricus, cujus ingenio, et eruditione captus Vespasianus, Imp. minime prodigus, ei 50. auri Sestertia largitus est. Ita in *Dial. de Orat.*, ubi ejus in pangendis Carminibus excellentia commendatur, ut etiam a Quintil. *lib. 10*. Imperatoris dono ejus egestas, qua premebatur, ut dicitur in *Dial. de Orat.*, fuit non parum sublevata.

Bassus (C), Gramm. Scripsit lib. de *Orig. Vocabul.*, quem citat Gel.

l. 2. NN. c. 4., et *l. 3. c. 19.* Citatur etiam a Lactantio *l. 1. Div. Instit.*, et ab aliis. Sunt qui contendant, eum non *Cajum*, sed *Gabium* fuisse nuncupatum, et *G.* praenominis a librariis commutatam in *C.* Citatur G. Bassus a Macr. in *Saturn. l. 1. c. 9.*, *et l. 3. c. 6.* Scripsit *de Diis*. Fulgent. Planciades Gram. citat eum in *Satyris*. Ex quo intelligere est, eum Poetam Satyricum fuisse. Ejus *OO.* desid. Aliqui eum *Gravium* vocant: quae varietas ex eo oritur, quod Rom. praenomina sola prima littera consignare solebant, et saepe loco *G. C.*, et contra usurpabant: cum ante Carbilium *C.* pro *G.* scriberetur.

Bassus (Aufidius), Rhetor, et Histor., qui Quintiliani aevo flor., et scripsit *Belli Germanici Hist.* Laudatur, et notatur a Quintil. *l. 10. Instit. Orat.*

Bassus (Aufidius), praecedente antiquior, qui valde Senex erat, cum de eo Sen. loquebatur in *Epist.* ad Lucilium. Erat Philosophus. Vide *Aufidius* in *A.* L. Seneca eum vocat *Bassum Aufidium*, et de eo ait, fuisse Virum optimum, quassum, aetati obluctantem, infirmi corporis, et exsucci, ac senectutis pondere degravatum.

Bassus (Aufidius), Rhetor, de quo M. Sen. in *Suasor.*, ubi de *Morte Cicer.* Forsitan hic erat *Bassus*, de quo Seneca filius in *Epist.* qui in Juventute tempore M. Senecae declamabat, quique postea Philosophiae studiis se totum addixit, et fama Phil. tempore L. Senecae jam Senex clarus erat, ac Romae notus.

NOTA.

Ex his *Aufidiis* forsitan unus, *Aufidius Bassus* appellabatur, et alter *Bassus Aufidius*, ac L. Seneca de hoc; M. autem Seneca de primo mentionem fecit. Fieri etiam potuit, ut Rhetor, et Philosophus idem esset, ac ab uno Seneca sub *Aufidii*; ab alio sub *Bassi* nomine veluti praecipuo, ac magis vulgato citaretur: quo factum, ut de diversitate dubitetur; cum unus, et idem *Bassus* fuerit, de quo Senecae loquuntur. Adnotavi jam initio, saepe Auctores eosdem a diversis citari, nunc sub nomine, nunc sub praenomine, et nonnunquam sub solo cognomine, vel agnomine, unde nascitur confusio.

Bassus (Ventidius). Is e Mulione Praetor, Trib. pl. Pont. Max., et Cos. evasit, raro exemplo conjunctae cum virtute felicitatis. Idem, post multas feliciter obitas militares expeditiones, primus Romae de Parthis triumphavit. Hic triumphus, et munia amplissima, quibus est perfunctus, ostendunt, eum singulari prudentia, magna eloquentia, insigni doctrina, et militari virtute, aliisque dotibus claruisse, quibus obruere Mulionis nomen, et ministerium non potuit. In eum enim scripta, et disseminata per Urbem fuerunt Satyrica haec carmina, cum Consul fuit designatus,

Concurrite omnes Auspices, Aruspices:
Portentum inusitatum conflatum est recens:
Nam mulos, qui fricabat, Consul factus est.

Verum is, qui mulos in humili fortuna olim fricabat, egregius miles, et dux factus, tribus praeliis Parthos profligavit, gubernante Asiam M. Ant.: Parthos, inquam, a quibus tot Cladibus Romani affecti fuerant non sine magna Rom. nominis ignominia. Vide *Crassus* in *C*. Vir iste egregius moriens publico funere fuit elatus: qui honos paucis Romae impertiebatur.

Bassus (Jun., sive Jul.) laudatur a M. Sen. tanquam Declamator in *Prooemio l. 10. Contr.*, ubi etiam ejus vitia nonnulla notat.

Bassus alter, Poeta, Martialis aequalis, ad quem est Mart. *Epigr. l. 5.*, quo indicatur, eum Scriptorem fuisse Tragoediarum.

Bassus (Caesius) Poeta Lyricus, cujus mentionem fecit Persius, qui ad eum *Satyram 6.* scripsit, cum ille in Sabino agro hiemaret. Laudatur a Quintil. *l. 10.*, ubi eum post Horat. legi dignum in Lyricis censet. Addit tamen = sed eum longe praecedunt ingenia viventium = cum de eo jam defuncto verba faceret. Memoratur etiam a Prisciano, qui *lib. 2. Lyricorum Bassi* citat. Citatur demum a Diom. Gramm. *Bassi* Carmen. Combustus periit in villa sua, flammas, atque bitumen evomente Vesuvio, cui proxima villa ejusdem erat. Vixit sub Nerone, et Galba, cum Persio amicitia conjunctus.

NOTA.

Alter ex praefatis, qui *Bassi* nomen praeferebant, vel ab his diversus, scripsit in Germanici *Phoenomena Comment.*, et citatur a Cael. Rhodig. *lib. 18. lect. antiq. Cap. 34.*, ubi de Dea Assyriorum disserit.

Bathillus, Poeta plagiarius, qui sibi attribuit versus quosdam Virgilii, sine Auctoris nomine, Augusti aedium valvis affixos. Qui versus adeo placuerunt Augusto, ut *Bathillum*, qui se Auctorem illorum faciebat, large muneratus fuerit. Versus erant hi, editi, cum Ludos Aug. populo daret pluvio tempore.

Nocte pluit tota: redeunt Spectacula mane:
Divisum Imperium cum Jove Caesar habet.

Virgilius factus certior de *Bathilli* plagio, deque Augusti in plagiarium beneficentia, affixit eosdem versus Augusti foribus, addito alio,

Hos ego versiculos feci: tulit alter honores,

adjungens initium alterius, et expectans a *Bathillo*, vel alio Poeta compleri. Initium versus erat: *Sic vos non vobis*: quem nemo absolvere scivit. Post dies aliquot Virgilius Versum illum ingeniosa varietate absolvit versibus illis notissimis (quos item Augusto notos esse voluit, qui complementum exspectabat) suo nomine subscripto:

Sic vos non vobis nidificatis aves:
Sic vos non vobis vellera fertis oves:
Sic vos non vobis mellificatis apes:
Sic vos non vobis fertis aratra boves:

quibus versibus notus fuit Augusto verus Auctor Distichi praefati, non sine ignominia *Bathilli*.

Bathillus, patria Alexandrinus, Mecoenatis libertus, de quo L. Sen.

NN. QQ. c. ultimo tanquam de Pantomimo loquitur dicens, a plurimis Pantomimos Philosophis praeferri. *Pantomimorum* Artem, primus Romam invexit ad populi oblectamentum Augustus Caesar, usus opera Pyladis, Cilicis genere, et *Bathilli* Alexandrini. Ita Suidas, Macrob. *l. 2. Saturn.*, et alii. Vide *Histrio* in *H.*

Bavius (M), Poeta Romae notus Augusti aetate, Virgilio, vel infensus, vel parum probatus. Vide *Maevius*. Obiit in Cappadocia. Ita Euseb. Caesarien.

Baulus (Q. Pompon.). Vide *Funambuli* in *F.*

BE

Bemarchus, Caesarien. Sophista, scripsit 10. libb. res gestas Constantini M. continentes.

Benevolus, Vir doctus, nobilis, et optimus Cathol. laudatus a S. Gaudentio, Brixiano Praesule S. Ambrosii aetate. Erat Imperatoris Valentiniani Memoriae, et Scriniorum magister, qui maluit privatus Brixiae vivere, quam quidquam Catholicae Ecclesiae contrarium dictare, ut jubebat Ariana Imperatoris Valentiniani II. mater, impotens foemina, et Arianae factioni valde addicta. Ad eum, cum Cathecumenus adhuc esset, misit quaedam Opera sua S. Gaudentius.

BI

Bibaculus (Furius) antiquus Poeta, qui fl. an. 125. ante Christi ortum. Afferuntur a Gel. *l. 18. c. 9. NN.* aliquot versus *Bibaculi*. Tac. *l. 4. Ann.* in alloquio Cremutii Cordi ad Senatum pro scriptis suis, de *Bibaculi* Satyricis Carminibus meminit, ut etiam Macrob. *l. 6. Saturn. c. 1.*, qui ostendit, Virg. complura ex *Bibaculo* mutuasse, aliqua contraxisse, et alia imitasse. Illic Macrob. affert versus non paucos ex *Bibaculi Annal. Bibaculi* integra Opera non supersunt.

Corollarium II.

Biblia Sacra Hebraica, et Graeca in Latinum, initio Eccl., a primis Christi Discipulis, Apostolorum jussu, conversa fuisse indubitatum est. Ante S. Augustini tempora, primis Eccl. Seculis, tot erant versiones factae, ut S. Doctor dicat, eos, qui ex Hebraeo in Graecum Sacras Scripturas verterunt, numerari posse: qui autem in Latinum, non posse. Ex quo liquido apparet, innumeras Versiones Lat. Sacrorum Bibliorum intercidisse: adeo, ut, ne Italam quidem, quam Vulgatam antiquam Latinam appellabant, qua utebatur Rom. Ecclesia, quaeque communior erat, integram habeamus. Vide *Versiones* in *V.* Vide etiam Q. Moder. Cens. in *Parad. Dissert. 3.* Magnus Constantinus magnis sumtibus quaeri, describique curavit Libros Sacros, et Ecclesiasticos, quos persecutionum tempore Ecclesiae amiserant: multosque ex codicibus denuo conscriptis auro, et argento ornari jussit ad usum Ecclesiarum. Vide Euseb. in *Vita Constantini*.

Corollarium III.

Bibliothecae publicae Romae, Ethnicorum Rom. Imperat. temporibus, unadetriginta numerabantur. Praecipuae erant Palatina, et Ulpia. Pri-

ma non semel fuit instaurata, una cum consumto flammis Capitolio, semel, et iterum antea combusta. Vide *Domitianus* in *D*. Ovidius *l. 3. Trist.* de *Palat.* Augusti *Biblioth.* loquitur. Ex his *Biblioth.* nonnullae sola Graeca exemplaria continebant, et *Graecae Bibliot.* appellabantur, ut constat ex antiq. Inscriptionibus. *Bibliothecae* privatae, satis copiosae, erant innumerae, de quibus in decursu hujus *Syllabi* suis locis fit mentio. Suas etiam *Bibliott.* habebant Ecclesiae, praesertim post Constantinum. Ab antiquis Scriptoribus memorantur *Bibliothecae* Ecclesiarum Alexandr. Hierosolym., et Hipponensis in Africa: nec defuisse puto insignes Ecclesiae Romanae, Constantinopolitanae, Mediolanensi, Ravennatensi, et aliis Ecclesiis Urbium praecipuarum Rom. imperii: maxime cum olim Scholae publicae intra Ecclesiarum septa haberentur. I. Lipsius eruditum Syntagma edidit de antiquis *Bibliot.*, quod legi meretur. De eisdem Menochius in *Storeis suis*. Seneca de *Tranq. animi lib. 1. c. 9.* reprehendit eos, qui Romae *Bibliothecas* libris refertissimas domi habebant ad ornatum, et pompam, quin libros legerent: quod etiam nunc non raro contingit. De *Bibliotheca* Charopini cujusdam, hominis ignari, et nullius ingenii, vide insigne Satyricum Epigr. Jani Nicii Erithraei in *Eudemia*, quod *Prolusionum Philosophicarum*, a nobis Barcinone editarum, *Parte 3.* descriptum legitur. De Arpinati, et Antiati *Bibliott.*, quas in praediis illis habebat Cic., deque earum ornatu, vide *Epist. 4., et 8. lib. 4.* Cic. ad Atticum. Vide *Lucullus* in *L*. Ptolemaei regis Aegypti insignis Bibliotheca Alexandrina a C. J. Caesaris militibus Alexandriam expugnantibus, casu combusta; a Cleopatra instaurata fuit.

Bibulus, Poeta laudatus ab Hor. *l. 1. Sat. 10.*

Bibulus, Histor. libellum edidit de gestis vitrici sui M. Bruti, ex quo Plut. nonnulla descripsit in *M. Bruti Vita*. Non liquet, an is sit.

Bibulus (M), de quo Suet. in *Vita Caes. c. 9.* eum citans in *Edictis*. Hujus, et praecedentium ejusdem Nominis *OO*. desid.

BL

Blandus, sive *Blandius*, Rhetor Rom. Eques, qui primus ex Nobilibus Romae publice docuit, cum antea solum Liberti, Peregrini, et infimae plebis Romani publicas Scholas Romae haberent. Vide Sen. in *Prooem. l. 2. Controv.* Rhetoris hujus sentt. variis in locis affert Sen. in *Controv. Blandi Declamm., et Oratt.* intercid.

NOTA.

Blandus, magno judicio praeditus, non immerito putavit, indecorum non esse, docere ea, quae discere, et scire honorificum habetur, et munus publice docendi Viris ingenuis, et bene moratis magis convenire, quám ignobilibus, ac infimae sortis hominibus, plurimum male educatis: cum Discipuli mores Magistrorum referre soleant, illisque in vitae ratione plerumque similes evadant. Noverat quid Alexandro M. accidisset, qui, et moribus, et incessu, Leonidis magistri vitia deponere non potuit, quibus in tenera aetate fuerat infectus Pro-

clivis est enim, ut ait S. Hieronymus, malorum aemulatio, et iccirco forsitan Cicero ipse inter tot negotia voluit, et Ciceronis sui, et fratris filii magister esse.

Blaesus (Jun.), Legatus Pannonicarum Legionum sub Augusto. Tacitus *l. 1. Ann.* summatim refert ejus *Orat.* in Castris habitam, qua, Tiberii principatus initio, tumultuantes legiones pacavit. Ex quo intelligitur, eum Oratoriae artis expertem non fuisse, quae laus communis erat inter primarios Rom. belli duces, ut etiam inter Politicos Magistratus.

Corollarium IV.

BO

Botanica, seu Scientia, aut Facultas tradens notitiam Herbarum, et aliarum Plantarum, ac earundem ingenitae vis, vel salubris, vel noxiae, est pars nobilissima, et utilissima Medicinae. Haec Scientia exculta a Romanis fuit post Graecos, Arabes, et Aegyptios. Verum, invento, et peragrato novo Orbe, infinitis propemodum partibus aucta est. In *Hist. naturali Cataloniae*, quam Matriti reliqui, exstat Catalogus bene longus Herbarum, et Plantarum, quae in Cataloniae montibus, et humilibus locis nascuntur, singularibus virtutibus medicis pollentium. Narrabam in praefato opere, Galliarum regis Botanicum, paucis antea annis, Cataloniae montes peragrasse, Pyrenaeos in primis, ut varias herbas singulares ex illis legeret, quas in Hortum Botanicum Regium Parisiensem deferret in eo pangendas.

BR

Bradeas, Orator, accusavit Herodem Atticum apud Rom. Senatum, eo quod sororem, Rhegillam nomine, Herodis uxorem pregnantem, levem ob caussam, verberari a Liberto jussisset, ex quo mors ei accidit, licet imprudentia Liberti hoc malum ei evenisset. Vide Cael. Rhodig. *Lectt. antiq. l. 20. c. 27.*, *Bradeae* Oratio irrisa ab Herode fuit, quia fere tota versabatur circa familiae suae nobilitatem, et de caussa fere nihil in ea dicebatur.

Bruteo, Declamator, memoratus a M. Sen. in variis *Controv.* ejus *Sent.* referente. Fuit Porcii Latronis discip. A Seneca notatur uti aridus Declamator, et laudatur tanquam prudens controversiarum divisor. Ignoro, an is cum *Buteone* Rhetore confundatur errore typographico.

Brutianus (Lustricus), Poeta facundus a Mart. appellatur *lib. 4. Epigr.* ad Thaliam. Videtur Graece, et Latine doctus fuisse, ac de *Epigrammate* scripsisse. Ei secundum esse optat Mart. si ille *Latiae Minervae sale* luserit, *Cecropio satur lepore*: quibus verbis indicat Mart. eum Graecis carminibus pangendis delectari. De eo loquitur Plin. Caecil. *lib. 6. in Epist.* ad Tironem dicens, eum a familiari accusatum, in defensione virum probum, et sincerum apparuisse.

Brutidius (Niger), Rhetor, et Histor. memoratus a M. Sen. in *Controv.* Scripsit Historiam, et ex ea refert Seneca nonnulla (*Suaso-*

ria 6.) de Morte Ciceronis. Tac. *lib. 1. Ann.*, et Juven. *Sat. 10.* de eodem meminerunt. Ejus *Histt.*, et *Declamatt.* desid.

Brutius, Orator, qui Roscium Amerinum accusavit, cum defendente Cicerone. Hic forsitan erat *Brutius* ille, apud quem se exercere latine declamando decreverat Marcus, Ciceronis filius, ut is, cum Athenis esset, ad Tironem scribebat.

Brutus (L. Jun.), primus Rom. libertatis assertor, et primus Romae Cos. cum Roma reges fuerunt expulsi, postquam Tarquinii Superbi regis filius Lucretiam, Bruti neptem, violavit. *Brutus* namque ex pectore Lucretiae extracto ense (quo illa ad ostendendam innocentiam suam, ac sibi vim illatam, se occidit) ad Populum *Orationem* habuit, qua Romanis persuasit, ut reges expellerent, ac ut regale dominium in perpetuum abolerent. Ita Livius ex antiquis rerum Roman. Scriptoribus ad an. V. C. 244. *Bruti Orationis* sententias affert Livius in fine *lib. 1. Hist.* Cicero de *Cl. Orat.* ait, ea, quae gessit *Brutus*, sine eloquentia perficere non potuisse. Filios suos, expulsos Tarquinios reducere ad pristinam eorum dominationem conatos, securi percussit, cum esset Cos. Ita Livius *l. 2.* Exactis regibus, nova regiminis forma per Consules, exceptis annis aliquot, obtinuit, viguitque usque ad Romani imperii occasum. Consulum tamen auctoritas valde imminuta fuit post C. Jul. Caesarem, cum omnia in unius potestatem iterum reciderunt, amissa pristina libertate.

Brutus (Decimus), Augur, et Cos. De eo meminit Cic. in *Dial. de Amic.*; et in *Bruto*, seu *de Cl. Orat.* ait, fuisse Graecis doctum litteris, et Latinis. Is ad fugam compulit M. Ant.: et ejus Libellos intercepit. Vide *Epistt. D. Bruti* ad Cic. *lib. 11. Famil.* Vide etiam *Philip. 5.*; et alias, ubi multa de eo Cicero.

Brutus (M), Vir doctus, et Jurisconsultus, qui ante aevum Ciceronis floruit. De eo Cic. *lib. 2. de Orat.* ejus doctrinam commendans. Scripsit *3. libb.* (alii 7. dicunt) *de Jure*. Pomponius in *Vitis Jurisconsultorum* tradit, eum cum Manilio, et P. Mucio Scaevola Jus fundasse an. ab V. C. 620.

Brutus (M), a praecedenti diversus, Orator, et accusator vehemens, ac molestus. Ita Cic. in *Bruto*, ubi ait, eum ab stirpe degenerasse vitio pravae voluntatis.

Brutus (M. Jun.), Ciceronis amicus, et Romanae libertatis novus assertor, quantum in ipso fuit, sed successu parum felici. Is licet creditus C. Jul. Caesaris filius ex Servilia Catonis, cujus amoribus in adolescentia Caesar irretitus dicebatur, alter ex ejus occisoribus fuit. Erat Orator, et Philosophus, ac de eo testatur Sen. in *Consol. ad Helviam*, *Lib. de Virtute* edidisse. Scripsit insuper *Orat.* pro Rege Dejotaro, quae legebatur cum admiratione Quintil., vel Taciti aetate, ut traditur in *Dial. de Orat.* Cic. de *Cl. Oratoribus* (quod opus huic *Bruto* dicavit) eloquentiam ejus valde commendat. De eodem narratur, ante pugnam Philippicam, cum alii quiescerent in Castris, Polybii

Historiam in compendium redegisse. Edidit praeterea *lib. de Officiis* citatum a Charisio. Item librum de *Patientia* citatum a Diomede; *Laudationem Appii Claudii*: *Orationem pro Milone* exercitationis caussa, quam ab eo dictam nonnulli tradunt: *Epitomas* demum *Caelii Antipatri*, et *Fannii Historiarum*: quae omnia desid., et solum supersunt, nonnullae ejus ad Ciceronem *Epistolae*, innumeris aliis deperditis. Quintil. *lib. 10.* affirmat, magnum eum, Phil., et Orat. fuisse, sed praestantiorem Philosophum, quam Oratorem. In praelio a Caesarianis victus se interemit an V. C. 712. ante Christum 39., aetatis suae 37. Sub eo militavit Horatius, Trib. militum.

BU

Burgundio. Ad eum est Sidonii Apollinaris *Epist. lib. 9.* Scripserat C. Caesaris laudes. Quod scriptum intercidit.

Burrhus (Afranius), Praef. pr. sub Nerone, cujus juventae rector una cum L. Annaeo Seneca fuit. Erat Vir doctus, et Orator, qui tamen militari arte magis, et morum severitate, quam doctrina florebat. Interiit, sumpto veneno pro remedio faucium male affectarum, sibi a Nerone misso. Vide Tac. *l. 13., et 14. Annal.*

Buta (Acilius), Jurisconsultus, et Vir Praetorius. De eo Seneca in *Epist.* Vide dicta Verbo *Montanus* in *M.* Huic, confitenti paupertatem suam post ingens consumptum patrimonium, dixit Tiberius Caesar: *Sero experrectus es*, alludens fortasse ad ejus somnum diurnum cujus Seneca meminit in *Epistolis*.

Buteo, Rhetor, de quo Seneca in *Controv.*, sed forsitan hic est *Bruteo*, de quo antea, et inscitia, vel incogitantia librariorum, aut typographorum, *Bruteo* pro *Buteo*, vel contra scriptum, editumque invenitur.

Corollarium V.

Prisca Romana aetas plura, quae postea scripta sunt per *V* consonans, scripsit per *B*, et contra ob harum litterarum in pronunciatione affinitatem, de qua libellum se vidisse Adamantii cujusdam Martyris testatur Lipsius *Var. lect. l. 2.*, quin dicat, cujus aetatis hic Auctor fuerit. Propter hanc affinitatem, in *12. Tabulis* scriptum invenitur *Jobis* pro *Jovis*. In antiquis marmoribus inscriptum legimus *Sibe* pro *Sive*: *Cibica* pro *Civica*: *Base* pro *Vase*. Item *Veneficium* pro *Beneficium*: et in *Pandectis* Florent. *Vestias* pro *Bestias*: *Vobem* pro *Bovem*: *Aveo* pro *Abeo*, et alia hujusmodi. Quoniam vero affinitatem habet etiam *B* in pronunciatione cum *P* plura vocabula nunc per *B*, nunc per *P* scripserunt, ut *Apsens* pro *Absens*: *Obtimus*: pro *Optimus*: *Pleps* pro *Plebs*, *Subpono* pro *Suppono* cet. Illud mirum, quod, cum vix ullam affinitatem habeat *D* cum *B*; nonnulla, quae antea per *D* scripsere, postea per *B* scripta sunt, detracta vocali aliqua a priscis, et antiquatis Vocab., ut nunc *Bonus*, quod olim *Duonus*: *Bis* pro *Duis*: *Bellum* pro *Duellum*. Utrum autem sicut scribebant, ita Romani pronunciabant? non audet de-

cernere Quintilianus, qui de hoc videtur dubitare *l. 1. Orat. Instit.* Existimarim, viros doctos aliter pronunciasse: vulgi autem pronunciationem cum scriptura consensisse, ut nunc in Gallia evenit. Vide *Pronunciatio* in *P.* Existimarim etiam, multa in scripturis antiquis Rom. perperam scripta ab ignaris Librariis, et Lapicidis, ut nunc etiam contingit. Circa haec, uti circa modum pronunciandi, et loquendi, consuetudo certissima magistra est, utendumque plane sermone, ut nummo, cui publica forma est: omnia tamen haec exigunt acre judicium. Ita Quintil. *Instit. Orat. lib. 1.*

CA

C*Aecilius*, celebris Romae caussarum Patronus initio 3. Sec. Eccl. Is est alter ex interlocutoribus in Dial. *Octavius* Minutii Felicis. Suasu amicorum suorum, Octavii, et Minutii, qui Christiani erant, Christi fidem amplexus est. Sacerdos postea factus, Cypriano, Rhetori amico praecipuus auctor fuit, ut Christianam Religionem profiteretur: quod cum fecisset, a *Caecilio* Christianis praeceptis institutus, Caecilii nomen suo adjunxit, et *Caecilius Cyprianus* postea Sanctiss., et eloquentiss. Carthaginen. Praesul, et Martyr, appellatus est.

Caecilius (Q), Gramm. Epirota, Attici libertus, qui primus Virgilium *Comment.* illustravit. Ita Suet. de *Ill. Gram.*

Caecilius, Orator. De eo Cic. in *Divinatione*, seu *Actione I. in Verrem*, probans, eum accusatorem Verris, ut optabat, esse non oportere, eo quod Verris Quaestor in Sicilia fuisset, et forsitan Verris rapinarum particeps. Videtur Judaeus secta fuisse, ac etiam genere. Cicero enim dixisse ei traditur, *Quid Judaeo cum Verre?* alludens ad Hebraeorum legem de sue non edendo.

Caecilius (Sextus), Vir doctus, et legum Rom. peritus, Juliani discipulus ei addictissimus. De eo Gel. *NN. AA. lib. 20. c. 1.*, ubi narrat Favorini, et *Sexti Caecilii Dissert.* de legibus 12. Tabul., quas defendit *Caecil.* contra Favorinum, qui earum duritiem, iniquitatem, et in nonnullis levitatem, atque rusticitatem notabat. Eum multis laudibus ornat Gel. De ejus scriptis Gel. nihil; licet dicat, eum in noscendis, et interpretandis Legibus populi Rom. usu, scientia, et auctoritate illustrem fuisse. Floruit sub Antoninis, et scripsit *Quaestionum libb. 9.*, *Epistolarum 20.*, quorum fragm. in *Pandectis* Justiniani.

Caecilius, Poeta Catulli aequalis. Eum Catullus Poetam tenerum, et Sodalem appellat his versiculis ad libellum suum,

Poetae *tenero*, *meo Sodali*
Velim, Caecilio, (*a*) *Papyre*, *dicas*

(a) *Libellum Carminum Catulli* papyro *scriptum non membrana*, *seu Pergamena charta heic notes velim.*

Veronam veniat . cet.

Ejus tenera Carm. desid.

Caecilius, Rhetor, citatur a Quintil. l. 9. *Instit.*, ubi de *Figuris Verborum*, et *lib. 5.*, ubi de *Argum.* Videtur de *Arte Rhetor.* scripsisse. Verum Ejus scripta, vel non exstant, vel latent.

Caecilius Medicus. De eo Plin. *H. N. libb. 27.*, et *29.*

Caecilius, Siculus, reprehensus a Plut., eo quod Ciceronem cum Demosthene contulerit, rem supra vires aggressus. De eo Suidas, Plutarchus Ciceronis Vitam cum Demosthenis vita confert: non eloquentiam unius cum alterius eloquentia, ingenue fassus, satis se in Latino serm. peritum non esse.

Caecilius (Statius), Poeta Comicus, Ennii Contubernalis, et amicus. Floruit ante Christi aeram an. 169. secundum Ricciolium: an. ab V. C. 574. secundum S. Hier. in Eusebii *Chron.* Scripsit 30. *Comoedias*, et eo amplius. Sedigitius eum facit Comicorum principem. Suo tempore, magno in pretio eum habitum, illud indicat, quod Terentius jussus sit primam suam *Comoediam*, ante quam populo daretur, legere *Caecilio* seni, et emerito Comoediographo. Cum ad *Caecilium* ivisset Terentius paupere veste indutus, eum contempsit *Caecilius*. Audiens autem *Caecilius* graves, et opportunas Terentii Comoediae, quae ei recitabatur, sententias, ac operis artificium, eum convivam in coena jam apparata voluit. Laudatur *Caecilius* a Sententt. gravitate. Verum, male Latine locutum affirmat Cic. in *lib. de Orat.* et in *Bruto*: ac in *Epist.* quadam ad Atticum *lib. 7.* malum Latinitatis Auctorem illum appellat. V. Gel. *l. 2. NN. c. 23.* A Cic., et Gellio nonnulli versus *Caecilii* afferuntur. Gel. *l. 7. c. 7.* affert versum ex Comoedia *Triumphus*. Obiit non multo post Ennium. Ejus *Comoediae* desid.

Caecina Vide *Cecina* infra.

Caelius, Orator, Ciceronis discipulus accerrimi ingenii, laudatus a Quintil. Eum accusavit Atracinus, contra quem pro Caelio oravit Cicero, et plures ad eum scripsit Epistolas, ac multo plures ille ad Cic. Vide *Rufus* in *R.*, ubi plura de eo, qui M. Caelius Rufus appellabatur.

Caesar (C), Orator valde eloquens, acutus, et facetus teste Cic. in *libb. de Orat.* Ejus *Trag.* laudat Cic. in *Bruto*: ex quo intelligitur, eum Poetam etiam fuisse. Periit in Cinnano civili bello, quo innotescit, male a nonnullis confundi cum C. Jul. Caes. posteriore. Vide Possev. in Apparatu ad omnium Gentium Hist. Val. Max. *lib. 5. c. 3.* ait, eum Cinnae traditum a S. Sextilio, quem reum olim C. Caesar defenderat, et sua eloquentia eripuerat. Occisus fuit, una cum fratre L. Cesare, a contraria factione. Nec *Oratt.* nec *Trag.* ejus ad nos pervenerunt.

Caesar (L), Vir Consularis, M. Antonii Triumviri avunculus, a Cic. valde laudatus, *Philippica 2.*

Caesar (C. Jul.), Orator, Poeta, belli Dux celeberrimus, et elegantissimus Histor. rerum, a se in bellis gestarum: quae tam insignes fuerunt, ut Plut. dicat, neminem clarissimorum Ducum, Regum, Imperatorum ei praeferendum. Quod Plutarchi dictum magis mirandum, cum idem tantis laudibus Alexandrum M. ad Coelum evexerit, ut ei parem videatur non invenire. Quidquid dicat Plutarchus, non deest, qui affirmet, in incerto esse, utrum Mundo, et Rom. Reip. magis profuisset, eum non nasci; cum, in bello civili inter ipsum, et Pomp., teste Lipsio ex Plinio, 300. hominum millia perierint, et teste Caesare ipso, in bellis, quae contra Gallos, et postea contra Hispanos, Pompejanis partibus faventes gessit, undecies centena, et 902. hominum millia occiderit. Quod sane hominem Romae natum, et educatum, in centro scilicet, ut jactabatur, humanitatis, pudere, debebat, et fecisse, et narrare. Quotus enim quisque tam barbarus dux, ne inter Gothos, et Alanos quidem inventus est in barbaris, quae vocant, seculis, qui tantum humani sanguinis fuderit? aut qui majores strages in devictas Romani imperii provincias importarit? nemo ullus profecto. Gothi, quos barbaros antonomastice appellamus, humanissimi fuerunt, si cum Caesare, et nonnullis aliis Romanis ducibus conferantur. Recte Lucanus de C. Jul. Caes. *l. 2. Phars.*

Caesar in arma furens, nullas, nisi sanguine fuso,
Gaudet habere vias

Sed nihil mirum, cum in ore semper haberet, regnandi avidus, illud Graeci Poetae.

Si violandum est jus, regnandi caussa violandum est:
In caeteris pietatem cole. cet.

Eum tamen tanquam parum veridicum in rebus suis narrandis notabat Asin. Pollio. Praeter *Comment. de bello Gallico*, et *Civili*, qui omnium manibus teruntur, et a Cic. laudantur, alia scripsit, quae desid. ut binos de *Analogia libb.* ad Gramm. spectantes, Ciceroni dicatos.; binos *Anticatones: libb. Epist.* ad C. Oppium, et Corn. Balbum, qui, cum ille esset absens, ejus res Romae procurabant. In his utebatur Notis, quas *Cyfras* appellamus, Alphabeti litterarum commutatione, ut ab iis solum, ad quos mittebantur, secreti gnaris, intelligerentur. Ita Gel. *l. 17. c. 9.*, et Suet. in ejus *Vita: libb.* item alios *Epist.* ad Ciceronem, ad Q. Paedium, ad Senatum, ad M. Ant. ad Pisonem, ad familiares, ad diversos; quas *Epist.* tanta facilitate lucubrasse dicitur, ut simul 3. et 4. de diversis argum. dictaret. Reliquit affectum lib. postremum *Comment. de Bello Gallico*, quem supplevisse Hirtium ait Suetonius. In *Praef.* multa in Caesaris laudem profert Hirt., aitque, coactum Balbi precibus, seu vocibus, laborem illum suscepisse, ne inertiae accusaretur, stylum suum infra Caesaris elegantiam agnoscens.

Complures *Caesaris Oratt.* se legisse Cic. testatur in *Bruto*, eas com-

mendans: Inter eas, ut arbitror, censebatur *Orat.* pro Decio Samnite, ac pro Sextilio altera. Item ea, qua adolescens repetund. accusavit CN. Dolabellam, de qua Paedianus in *Divinat.*, et Val. Max. *l. 8. c. 9. Orationes* praeterea habitae in funere amitae suae Juliae, et uxoris Corneliae. Demum *Oratio* pro Bithynis, et *Rogatio* pro lege Plautia, de quibus Gel. *l. 5. c. 13.*, et *lib. 13. c. 3. NN.* Mitto plures in Castris ad milites habitas. Nam in militari eloquentia, ait Suet. in ejus *Vita c. 55.*, eum „vel aequasse, vel superasse praestantiss. Oratores. Arimini locus ostenditur, unde *Orat.* ad milites suos habuit ante transitum Rubiconis, Romam versus cum exercitu contra leges proficiscens. *Oratio*, quam contra Dolabellam an. aetatis suae 21. habuit, Quintiliani aevo cum admiratione legebatur. Praeter Historica, et Oratoria edidit *Astronomica*; fuit namque Astronomiae peritiss., et Stellarum, ac Constellationum numerum Latine perscripsit. Ita Jul. Firmicus. De Caes. *Astronom.* meminere Macrob. *l. 1. Saturn.*, et Plin. *lib. 18. a cap. 25. ad 29. H. N.* Ad Astronomica, et anni correctionem, quam Julianam vocant, alludebat Cic. dicens: *Eclipsis erit, si Caesari placebit*. De anni correctione vide Suet. in ejus Vita *c. 40.*, et Macr. *l. 1. c. 13., et 14. Saturn.*, et Plin. *l. 18. H. N.* Haec omnia interciderunt magno cum Reip. litterariae detrimento, ut etiam *Apophthegmata*, de quib. M. Tul. in *Epist.* ad Paetum *lib. 9. Famil. Ephemerides*, de quibus Servius in *lib. 11. Aeneid.*: *Libri Auspiciorum*, quorum decimussextus citatur a Macr. *l. 1. Saturn. c. 16*: *Auguralia* citata a Prisciano *lib. 6.*, quae forsitan sunt *Auspiciorum libri*. Alia composuit valde juvenis, quae Aug. vetuit publicari: nam Poesim etiam excoluisse constat, cum Herculis laudes, et *Tragoediam Oedipus* dicatur lucubrasse. A Donato, sive Suet. in *Vita Terentii* afferuntur Carmina Caesaris, quibus judicium suum de Terentii Comoediis expressit. Vide *Terentius* in *T.* Haec omnia ostendunt, eum (quod mirum est) aeque insignem in litterariis, ac in bellicis fuisse. Notae sunt militares res gestae Caes., quas Ant. Casanova cum rebus Alex. M. conferens, Caes. res Alexandrinis praefert Epigram., quod legi meretur. Finitis bellis ejus clementia in hostes olim suos, post victoriam, triumphos, et supremum rerum dominium, maxime enituit, et merito laudatur a Cic. in altera ex suis Orationibus. Nihilominus Virum adeo insignem ausus est Catullus satis libere, et inverecunde versibus suis, libidinis praesertim, notare: quod etiam praestiterunt milites in triumpho, quibus licebat in Ducem suum triumphantem dicteriis, contumeliosis carminibus, ac facetiis Saturnalitio more jlocalariter ferri. Quintilianus, et antiqui alii ejus eloquentiam parem Tullianae futuram fuisse putant, si tantum foro vacasset, et vix verba inveniunt, quibus ejus ingenium singulare, et elegantiam commendent. De ejus infelici fine ab Spurina praedicto, et ab ipso non credito, deque plebis ira in conjuratos, qui eum in Senatu, ob oppressam ab eo Romanam libertatem, occiderunt, ac de magnis hono-

ribus eidem fatis functo attributis. V. *Suet.* in *Vita C. J. Caes. c.* 84. Senecam in *QQ. NN. l.* 5. *c.* 18., et alios Rom. rerum Scriptores. Periit an. natus 56 : Dictaturae initae an. 3. V. C. 710. Dicere solebat: miserum esse Senectutis monumentum recordationem crudelitatis. Ita Ammianus Marcel. *l.* 19.

Caesar (L), Senator Rom., et Orator. De *Oratione* ab eo habita in Senatu valde leni, cum de bello indicendo M. Antonio ageretur, loquitur Cic. *Philip.* 8. Erat M. Antonii propinquus.

Caesellius (A), Jurisconsultus Romae clarus, qui nec precibus, nec minis adduci potuit, ut formulam Juris componeret circa res a Triumviris in Triumviratu datas. De Caesaris temporibus libere loquebatur, dicebatque amicis eum de periculo monentibus ob suam in loquendo libertatem, se senem esse, et sine liberis, ac proinde nihil metuere, sibique fas esse libere, quae sentiret, loqui.

Caestius, Rhetor saepe memoratus a Sen. in *Controv.*, et *Suass.* In *Prooem. l.* 3. *Controv.* narrat rem plane ridiculam, quae ei contigit declamando, praesente ipso Seneca, qui eum miris facetiis ludibrio auditorum exposuit, quin Senecae cavillis quicquam urbanum, atque facetum reponere sciret, quo se tueretur: adeo ingenio tardus erat. Aliam magis adhuc ridiculam, a *Caestio* minime praevisam, ac multo minus exspectatam narrat in postrema *Suas.* de Morte Ciceronis, quem infra se in eloquentia fuisse arbitrabatur: tam demisse de se sentiebat. Rem proferam eisdem fere verbis, quibus Seneca. Erat quidem *Caestius* Rhetor nullius ingenii, Ciceroni etiam infestus: quod illi non impune cessit. Nam cum Tullii filiius Asiam obtineret, (homo, qui nihil ex paterno ingenio habuit praeter urbanitatem) coenabat apud eum *Caestius*. Marcus, cui, et natura, et ebrietas memoriam dempserat, interrogabat, quis ille esset, qui in imo recumberet, seu quo nomine appellaretur? Et, cum saepe subjectum *Caestii* nomen excidisset; novissime Servus, ut aliqua nota memoriae ejus *Caestii* nomen infigeret, dixit hero iterum interroganti, quis in imo recumberet? hic est *Caestius*, qui negabat, patrem tuum litteras scire. Haec audiens Marcus, afferri flagra confestim jussit, et M. Tullio Ciceroni, patri suo, de *Caestii* corio satisfecit. Vide alia de *Caestii* mordacitate *lib.* 7. *Controversiarum*. Docuit Romae sub Aug., et Tib. Ejus discipuli tanti eum faciebant, ut Ciceroni, et omnibus Oratoribus eum praeferrent, Atheismi licet notatus, *Pius* appellabatur. Erat Graecus, et nunquam Graece declamabat.

Corollarium I.

Chaldaei appellabantur Genethliaci; seu qui ex certo stellarum positu, in quo unusquisque nascitur, praenunciabant vitae eventus, seu prosperos, seu adversos, ac vitae longam, vel brevem durationem. Saepe, ut mendaces ac nugivendi, Roma, et ex tota etiam Italia Senatusconsultis, et Imperantium edictis expulsi sunt. Vide Favorini Phil. in hos Romae habitam *Orat.* apud Gel. *l.* 14. *c.* 1. *NN.*

Chaldaeorum nomen eis inditum fuerat, quia putabantur astrorum Scientia, quam Chaldaei praecipue excoluerunt, ornati esse. Astronomia, et aliis disciplinis veri Chaldaei, seu in Chaldaea nati, a filiis Noe eruditi fuerunt. Hebraei in Chaldaea commorantes has artes, et disciplinas, a Chaldaea in Aegyptum transtulerunt, ac postea in Phoeniçes, qui easdem in Graeciam per Cadmum deduxerunt, et per Graecos ad Romanos. Graeci autem, ac Romani, qui haec non ignorabant, quique Hebraeorum volumina legebant, parum grato animo in Hebraeos fuerunt: cum vix primorum Magistrorum suorum, seu eorum, ex quorum libris plura sumpserant, fecerint mentionem in suis Operibus, nisi, ut eisdem detraherent: adeout de ipsis dici possit, quod de Ennio, Naevii plagiario in lib. de *Cl. Orat.* Tullius: plura sumpsisse ex Hebraeis, si fateantur: surripuisse, si fateri detrectent. Graecos autem, et Rom. tum Poetas, tum Philosophos de Hebraeorum fontibus potasse, satis indicant ejus Opera, et ostendunt Euseb. Caesar. in *Praepar. Evang.* Cyrillus Alex. in *Strom.*, et Tertullianus.

Cainitae, sive *Cainani*, sive *Cainini* haeret., qui colebant Cainum, Judam proditorem, Chore, Dathan., et Abiron, orti sunt ad medium Sec. 2. Eccl. sub Antonino Pio Imp., et S. Pio I. Rom. Pont. Eos refellit S. Epiph. *Haeresi 38.*

Cajus, Gramm. de *Orig. Vocab.* citatur a Gel. *l. 11. c. 17. NN.*

Cajus, Rom. Presbyter, qui fl. 3. Eccl. Sec. initio. Scripsit contra Montanistas, cujus Scripta nonnulla conservavit Eusebius, quae in eo legi possunt.

S. *Cajus*, Rom. Pont. Diocletiani consanguineus, et sub eo pro Christo passus martyrium, qui ordinum gradus, quibus ad Episcopatum ascenderetur, ordinavit.

Cajus (T), Jurisconsultus. Bini ejusdem nominis Jurisconsulti celebres fuerunt, ac inter Jurisperitos dubitatur, cui ex duobus tribuendus sit *Liber Institutionum*, ex quo suos maxima ex parte hausit Justinianus, vel quicunque ejus nomine *Institutiones Juris* lucubravit, illum *Cajum nostrum* appellans. Ex his alter scripsit *Comment. in leges 12. Tabul.*, quorum fragmenta in *Digestis* leguntur. Citatur etiam in *Pandectis Gajus* pro *Cajus*, qui scripsit ad *Edictum Provinciale* plures libros. Vide in *Dig. lib. 5. tit. 3. de petit. Haereditatis*.

Calatinus (Attilius), Jurisconsultus, et Judex in lite de triumpho inter Luctatium, et Valerium post devictam Poenorum classem prope Siciliam. V. Val. M. *l. 2. c. 8.* Hoc judicium satis fuse narrat Val. M. loco citato, in quo *Calatinus* litem dedit secundum Luctatium Consulem contra Valerium Praetorem, qui adlegabat, Consulem tempore pugnae claudum in lectica jacuisse, seque Imperatoriis omnibus partibus functum in pugna fuisse.

Calenus (Q. Fusius), M. Ant. Triumviri amicus, qui post necem Caesaris in Senatu oravit pro M. Ant., ne hostis Reipub. habe-

retur. Contra eum disserit Cic. vehementer, *Philip. 8.*, sed ut ait ipse illic, sine ira.

Calenus, v. *Sulpicia* in *S.*

Calidius (L. Jul.), Poeta, quo elegantiorem post Lucretii, et Catulli mortem Roma non vidit. Ita Corn. Nepos in *Vita Attici*. Propter ejus eximiam doctrinam, et singulare ingenium, ut a numero proscriptorum eximeretur post Civile bellum, Atticus curavit. Ita Corn. Nepos. Carmina *Calidii* non supersunt.

Calidius, Orator. De eo Caelius ad Cic. *l. 8. Epist. famil.* scribebat = *Calidius* in defensione sua fuit disertiss.: in accusatione satis frigidus = Non liquet, an is sit

Calidius, Orator, qui pro Ciceronis domo oravit, et memoratur a Quintil. *l. 10. Instit. Orat.* Nec liquet, utrum sit M. *Calidius*, de quo tanquam de singulari Orat. loquitur Cic. in *Bruto*, nisi quod in eo desiderat vim, atque contentionem ad movendum. Horum *Orat.* desid.

Caligula (C), Caesar, Germanici filius, Antii natus secundum Suetonium, Tiberii Successor in Rom. Imperio. Princeps initio optimus: postea monstrum saevitiae, et impudicitiae. Pro Rostris, adhuc Praetextatus, laudavit funebri *Orat.* proaviam Liviam defunctam, et postea Tiberium. Eloquentiae plurimum studuit, et attendit, teste Suet. in ejus vita c. 53; eruditioni minimum. Verum sine eruditione vix fieri potest, ut quis eloquens sit. Lenius, comptiusque scribendi genus contemnebat, et pessime de Scriptis aliorum judicabat. L. Senecae Scripta arenam sine calce appellabat, et T. Livium abolere cogitavit. Illud inter innumera crudelissima, et impudicissima facta sua in eo dignum laude, quod delatoribus aures non praebebat, nec eis fidem habebat, dicens: se nihil admisisse, ob quod de se quispiam male loqui posset, seu cui esse posset invisus. Verum ille interea ita se gerebat in Imperio, ut Vatiniano odio omnes eum prosequerentur. Tandem ferro occubuit an. natus 29. an. Christi 41. Imperavit triennio, et 10. mensibus, diebusque 8. Ita Suet. *c. 59.* qui addit *c. Ult.* notatum observatumque, Caesares omnes, quibus *Caj* praenomen inditum fuit, ferro periisse jam inde ab eo, qui Cinnanis temporibus fuit occisus. Domus, in qua occubuit, nocturnis terroribus infestata fuit donec eam ignis absumpsit. Periit cum *Cajo* uxor Caesonia, a Centurione confossa, et filia parieti allisa. De *Caligulae* prodigiosis expensis cum imperaret, vide Suet. in C. *Caligula*. Intra annum Vicies septiesmillies Sestertium absumpsit: immensas opes a Tiberio collectas.

Callimachus, Poeta Umber, quem Romanum vocat Propertius lib. 4. Eleg. 1.

Umbria Romani patria Callimachi

Hunc puto alium fuisse a *Callimacho*, qui de Sacris antiquorum, Opus *Aetia* inscriptum edidit; quod Opus desid.

Callistratus (C), **Jurisconsultus magni nominis, qui fl. a temporibus** Septimii Severi Imp. usque ad Severi Alexandri tempora.

Calpenus (A), Senator, et olim in foro Caussidicus. De eo narratur, in ludis, quos Caesar rerum potitus Romae dedit, munus gladiatorium obiisse, ac in arena depugnasse, non sine magna Senatus ignominia, et Ordinis Senatorii dedecore.

Calphurnia, Litium Romae sedula, et importuna procuratrix. Hujus improbitas, et impudentia Judicibus permolesta, caussam dedit. *Edicto*, quo cautum fuit, ne foeminae in foro caussam dicerent, nec civilibus officiis, publicis negotiis, et procurationibus se immiscerent. De hoc *Edicto* Ulpianus.

Calpurnia, secunda Plinii Caecilii uxor, foemina litterarum studio dedita, et erudita. De ea Plin. *lib.* 4., *et* 6. *Epistol.* Mariti opera penes se habebat, lectitabat, et prope memoria tenebat. Versus Mariti cithara cantabat, et ei in foro oranti, velo secreta, aderat, ut laudes et plausus Mariti audire posset: adeo Virum suum jam senem ipsa adhuc juvenis amabat.

Calpurnius, Poeta Com. De eo Plin. Caecil. *lib.* 5. *Epist.* 17. Fulgentius Gramm. citat, et affert versum *Calpurnii* ex Fabula *Phronesis*. Non liquet, an is sit

Calpurnius (T. Jul.), Poeta Siculus, qui misit ad Nemesianum Carthagin. *Eclogas* 7., eum ut Patronum, et fautorem suum colens sub *Meliboei* nomine. *Ecloga* 4. fatetur, se olim scripsisse Carmina, quibus inopiam suam testabatur. Carmina erant haec.

Frange puer calamos, et inanes desere Musas.
. . . . . quid enim tibi fistula reddet,
Quo tutere famem?

Haec olim: quod indicat, alia edidisse, quae desid. Eadem *Ecloga* 4. dicit Meliboeo, alia haec esse tempora, et fatetur, a Meliboeo se saturatum.

Calvisius (Sextus), laudatus a Cic. in *Bruto*, ut Scriptor ingeniosus, et elegans.

Calvinus, Scriptor Martiali parum probatus. Vide *Epigr.* ad Creticum *lib.* 6.

Calvus (C. Licinius), Orator Ciceronis aemulus, cum eo de eloquentiae principatu contendens. Ita Sen. *lib.* 7. *Controv.* 4., et *Declam.* 4. *lib.* 3. in editione Gothofredi. Accusavit valde juvenis non semel, magno cum Civitatis totius concursu, Vatinium, a Cicerone defensum, tanta vehementia, et eloquentia, ut Reus eum interpellans, et ad Judices conversus exclamarit: *quid? an quia accusator meus eloquens est, iccirco ego damnandus sum?* Ex quo intelligitur, eum eloquentia minime vulgari floruisse. In *Dial. de Oratoribus* traditur, eum unum, et 20. *Orationum libros* edidisse praeter *Epistolas*, quas vulgavit, quae omnia interciderunt. De eo Cic. in *Bruto* loquens notat, quod ejus *Orationes*, nimia cura elucubratae, exangues, et attenuatae

evadebant. Volebat nempe Attice dicere; at in modo errabat, et errare alios faciebat. Quid autem sit Attice dicere exponit Cic. in *Oratore*. Si diu vixisset *Calvus* (obiit namque 30. aetatis anno) haec vitia forsitan emendasset: nec ipse omnia in Cicerone probabat, quem solutum, et enervem reputabat, teste Auctore *Dial. de Oratt.*, et teste Quint. *l. 12. c. 1.* ejus compositionem apud ipsum reprehendebat. Erat brevis statura, ob quod Catullus ejus amicus eum vocat *Salapusium disertum*. Non Orator modo, sed et egregius Poeta fuit. Gellius ejus Poeticorum operum meminit *l. 9. c. 12., et lib. 19. c. 9. NN*: Meminit etiam cum laude Horatius. Scripsit *Calvus*, teste Suet. in *C. J. Caesaris Vita*, Carmina Satyr. in C. Jul. Caesarem. Is sciens, reconciliationem secum per amicos procurare *Calvum*, cum rerum potiretur; primus ei scripsit, injuriam condonans, et cum eo amice agens: quo facto suam humanitatem Caesar ostendit, et in condonandis injuriis magnanimitatem, quam merito laudat Cic. in *Orat.* pro M. Marcello. Seneca in *Controv.* ait, *Calvi* carmina jocosa esse: Ovidius autem ea vocat lasciva. Ita *lib. 2. Trist.* De ejus *Epigramm.* loquitur Plin. Caec. *lib. 5. Epist.* et Gel. *l. 11. NN. c. 9.* Pedianus meminit elegantis *Calvi* Hendecasyllabi in Curionem, seu Curium, notum aleatorem. Illud singulare in jocoso, et lascivo Poeta Ethnico, quod narrat Plin. *lib. 6. Epist.* eum nempe plumbeam laminam renibus admotam gestasse ad venerea incitamenta comprimenda. Extant nonnulla, sed pauca admodum *Calvi* Carmina. Ex dictis de *Calvo* intelligere est, eum, si diu vixisset, inter celebriores litteratos Rom. recensitum iri. Quod enim raro contingit, in parum matura aetate jam clarus Poeta, et Orator habebatur. In Poesi cum Catullo, qui eum plus oculis suis amabat, amice contendebat, ut constat ex Catulli Hendecasyllabis ad eum, et ex Horatio, qui eum cum Catullo componit. In Oratoria erat expetitus in foro, ut Patronus, etiam contra Ciceronem: et erant, teste Quintil. *l. 10. c. 1.*, qui eum omnibus Oratoribus praeferrent. Quamobrem mirari subit, quod Auctor *Dial. de Oratoribus* affirmet, eum una, aut altera tantum *Oratione* satisfecisse. Cicero meminit ejus Hipponactaei praeconii, seu ejus Carminis mordacissimi, cujusmodi in suos inimicos Hipponax Poeta Graecus utebatur. Vide Cic. in *Epist.* ad Fabium Gallum *lib. 7. Famil.* De *C lvi* ingenio, et multis litteris agit *Epist. ult. l. 15.* ad Trebatium, nisi si de alio *Calvo* loquatur.

Camerinus, Poeta, scripsit Poema, quod est exorsus ab Hectore tracto, in quo Homerus *Iliada* finivit: quod Macer etiam fecit, Poema suum *Iliada* scribens. *Camerini OO.* desid. De eo meminit Ovid. *Epistola 16. lib. 4. de Ponto.*

Camillus (M. Furius), Orator, et Dictator creatus. Ejus *Orationis* de Tribunitia potestate meminit Livius *lib. 6. Hist.*

Canidia, Venefica insignis, in Magicis artibus versatissima, ad quam sunt Horatii Odae in *lib. Epodon*. Ejus libros, et peritiam, ac ejus

Carmina magica timere se fingit Horat., qui eam cavillatur. Exponit Hor. Ode 5. veneficas artes Sagarum.

Caninius, Poeta, qui versu scribebat *Bellum contra Deos*, seu *Gigantomachiam*. Ad eum est *Epist.* Plin. Caecilii *lib. 8.*, qua eum hortatur, ut pergat scribere, et Opus absolvat.

Candidus (Jul.), Vir litteratus, cujus est dictum illud non invenustum a Plinio Caecil. citatum *l. 5. Ep. 20.*: Aliud esse Loquentiam, aliud Eloquentiam: quo videtur probasse dictum Sallustii, a nonnullis notatum, de Catilina dicentis: in eo fuisse satis *Loquentiae*: *Sapientiae parum*.

Canius (C), Eques Rom. valde dives, non inficetus, et satis litteratus, fuit delusus a Pithio quodam Syracusano, qui ei villam vendidit. Rem narrat Cic. *l. 3. de Officiis c. 8.* Est digna lectu narratio.

Canius, Gaditanus Poeta, Vir admodum facetus, qui et alios facetiis suis ad risum excitabat, et ipse semper ridebat. Ita Mart. *lib.* 3. *Epigr.* de eo dicens:

Vis scire, quid agat Canius tuus? ridet.

Hoc Epigr. indicat, eum doctissimum fuisse, et insignem Poetam Epicum, Tragicum, Elegiacum, Historicum. Vide alia de *Canio* Verbo *Rufus* in *R.*

Corollarium II.

Canones innumeri Conciliorum, tum generalium, tum provincialium, et particularum, latine exarati ante Honorii excesssum, desid.: inter quos multi canones Concilii Nicaeni I., cujus solum 20. supersunt ex antiqua latina editione. Franciscus Turrianus, Jesuita Hisp. edidit Versionem lat. Canonum Nicaeni Concilii, qui desiderabantur ex Arabico exemplari suo tempore invento inter Arabes, quibus Canonibus etiam Graeci carebant fraude Arianorum; qui quotquot poterant, exemplaria dicti Concilii flammis tradebant, vel discerpebant.

Canulejus (C), Trib. pl. an. V. C. 309. legem tulit de Connubio Patriciorum cum Plebeiis, et de Consule ex plebe deligendo, frementibus Patriciis, qui omnia confundi, latis hisce legibus, clamabant. *Canulejus* Orat. pro his legibus ad populum habuit, et ratae fuerunt. Vide Livium *lib.* 4. *Hist.* Haec Or. desid.

Canutius (C), Rhetor testatur, se sequi in administr. Repub. sectam Isaurici. Ita Suet. de *Gram.*, et *Rhet.*

Capella, Poeta, ut videtur, Elegiacus, de quo Ovid. de Ponto *l. 4. Ep. 16.*

Caper (Flavius), antiquus Gramm., de quo S. Hier., et Charisius. Agraetius testatur, eum plura scripsisse, et praecipuum Ciceronis commentatorem fuisse. Pauca opera *Capri* supersunt. S. Hieron. in 2. *Apologia in Rufinum* citat *Commentarios Capri*.

Capito, alter ex Accusatoribus Roscii Amerini, a Cic. defensi. Ejus Or. desid.

Capito (Lucilius), Orator, pro se dixit apud Judices, accusatus a provincia, cui praefuerat. Verum damnatus fuit in judicio de ipso facto. Ita Tac. *l. 4. Ann.*

Capito (Sinnius, sive Sisinnius, sive Asinius), nam ejus praenomen varie scribitur a *Capitonem* hunc citantibus, vel hi forsitan diversos citant ejusdem nominis cum diverso praenomine, ut saepe contingit. Verum similitudo praenominum *Asinius, Sisinius, Sinnius* suspicionem facit, erratum a librariis, vel a typographis admissum in eo describendo. Citatur *Sinnius Capito* a Festo, ubi de Senibus Depontanis, et alibi. A Gellio *lib. 5. c. 2. NN.* citatur *Asinius Capito* Vir doctissimus, cujus plures *Epistolae* suo tempore erant in Biblioth. templi Pacis, et addit, in prima, scripta ad Pacuvium Labeonem, legi: *Pluria,* non *Plura* dici debere. Citatur etiam a Gel. cap. 20 *Asinius Capito* in litteris ad Clod. Thuscum, in quibus definitio Solaecismi traditur. Lactantius *l. 6. Div. Inst.* citat *Sisinnii Capitonis lib. de Spectaculis.*

Capito, Rhetor, laudatur a M. Sen. in Prooem. *l. 10. Controv.*, qui liber in editione Patavina an. 1713. inscribitur quintus.

Capito (Attejus), Jurisconsultus doctiss., et notiss. Caesarum adulator, Labeonis, alterius insignis, et gravissimi Jurisconsulti, aemulus. Augusti gratia assentationibus sibi conciliata, Consulatum obtinuit, competitore Labeone devicto, sed sine plausu populi, qui Labeonem virum integerrimum, assentandi nescium, Consulem optabat. Post Augusti obitum, eadem arte usus, Tiberii gratiam etiam captavit. Vide *Pomponius* lit. *P.* Plures libros reliquit *Capito*, inter quos recensentur libri Collectaneorum, vel ut aliis placet Conjectaneorum Gel. *l. 2. c. 24.* de *Capitone* meminit, et *lib. 14. c. 8.* citat lib. *259. Conjectaneorum Capitonis*. Multos item scripsit de *Jure Pont.*, et *Comment. de Judiciis publ.* Obiit sub Tiberio.

Capito (Titinnius), Hist. laudatus a Plin. Caec. *l. 8. Ep. 12.* scripsit de Exsilio illustrium Virorum, quod Opus desid.

Capitolinus (Jul.), Hist. sub Dioclet., et Constantino M. Imper. scripsit *Vitas Imperat.*, sed ejus integras Hist. non habemus. De eo meminit Trebel. Pollio, ubi de Zenobia nobilissima, et formosissima Palmiren. regina, et Vopiscus in *Vita Probi Imperat.*

Carbilius (Spurius), Gramm. libertus Carbilii, qui primus Romae uxorem repudiavit. Fuit inventor litterae G. teste Plut. in *Problemm.*, ubi etiam ait, primum fuisse, qui ludum litterarium Romae aperuit: in quo (pace tanti Viri dictum sit) erravit Plutarchus: nam Romae, ut probabilissime arbitror, sub Regibus, et proculdubio Appii Claudii aevo, Decemviris Remp. gubernantibus, ludus litterarius etiam foeminis apertus erat. Vide *Litterarii Ludi* in *L.*

Carbilius, Pictor, edidit opus in Pub. Virgilium, quod *Aeneidomastix* inscripsit.

Carbo (C), bini fuerunt Oratores ejusdem praenominis, et nomi-

nis: Pater videlicet, et fil. Cic. in *Oratore* affert nonnulla, ex *Orat.* C. Carbonis, Caj filii, quo orante, ad ea verba, quae affert, magnus in concione excitatus fuit clamor. In *Bruto* C. Carbonem eloquentiss. hominem vocat, quem Crassus, admodum adolescens, accusavit. *Oratt.* horum desid.

Carcinus. Bini item ejusdem nominis fuerunt, et ambo Poetae Tragici. Forsitan ejusdem familiae. Eorum *Trag.* latent, vel per.

Cares (Oppius), in Gallia Grammat. ex Suet. de *Ill. Gramm.*

Carminius, ut curiosissimus, et eruditus citatur a Macrobio in Saturn. *l. 5. c. 19.*, ubi ejus affert verba ex *2. lib. de Italia*. In dicto libro tradit, Ethruscos in condendis urbibus, seu potius in designando earum ambitu, aeneo vomere usos. Citatur etiam a Servio in Virg. ejus *liber* de *Elocutionibus*.

Carneades, Cyrenaeus Phil., et Orator eloquentiss. novae Academiae princeps. Cum ab Athenien. legatus Romam fuisset, et illic commoraretur; ad eum publice orantem Romani magno numero concurrebant. Cato Censorius Senatum monuit, ut ab ejus eloquentia caveret. Carneadis Socii in legatione fuerunt Critolaus, et Diogenes Rhet., et Phil. De hac legatione, quoto contigerit an. Urbis conditae? tradidit Atticus in suis *Ann.* Vide Cic. ad Atticum *Epist. 24. l. 12.* Cic. in *QQ. Acad.* ait, contigisse an. V. C. 599. Fuit Zenonis, Stoicae sectae ducis, aequalis, et cerebrum helleboro purgabat ad subtilius contra Zenonem scribendum, et disputandum. V. Gel. *l. 17. c. 15.* Ab hoc diversus est *Carneades* alter Athen. Phil. Anaxagorae auditor, de quo Cic. in *Oratore*, laudans ejus ingenium, et eloquentiam.

Carus (M. Aurel.), Imp. Probi Successor, qui se Romanum in litteris appellat. Romae probe disciplinis institutus per varios gradus ad Praefecturam Praetorii ascendit, et postea ad Imperium. Filium habuit doctiss. Numerianum, quem Socium in Imperio designatum, secum duxit Persas debellaturus. In hac expeditione, coorta tempestate, inter fulmina, et tonitrua in tentorio exanimatus interiit. Imperavit an. 1. Obiit an. Christi 283.

Cassander, summus Astrol. De eo Cic. *lib. 2. de Divin.*

Cassellius, sive *Casellius* (A), laudatur ab Hor. in *Arte* tanquam Jurisconsultus doctiss., et a Val. Max. *lib. 8. c. 12.* De eo etiam Cic. *pro Balbo*, ubi indicat, eum in Jure Praediatorio versatum fuisse.

S. *Cassianus*, Forocornelien. Martyr insignis, stylis discipulorum, quos erudiebat, extinctus. De eo Prudentius canit.

Praefuerat studiis puerilibus: ex grege multo
Septus Magister litterarum sederat:
Verba notis brevibus comprendere cuncta peritus,
Raptimque punctis dicta praepetibus sequi.

Cassianus, Monachus, *Collator* dictus, S. Joan. Chrysost. discipulus, et familiaris, non Scytha, ut multi putant, sed Gallus Provincialis, et forsitan Massilien., ut probant Holstenius, et Norisius. Fuit

Vir doctus, et Monasticae disciplinae peritus, quod probant ejus *Collationes*. Propendebat in Semipelagianorum errorem. Contra eum scripsit S. Prosper an. Christi 435. Floruit sub Honorio, licet post ejus excessum vixerit plures annos Massiliae in Monasterio, a se exstructo.

Cassius, Medicus cum laude citatus a Corn. Celso in *Praef. l. 1.*, et alibi. De eo meminit etiam Scribonius Largus Medicus, Claudii libertus. Cassium nuper se vidisse testatur Celsus, eum ingeniosissimum sui Sec. medicum vocans, Remedium efficax contra Colum, seu Ileum invenit.

Cassius (L. Longinus), Rom. Praetor, et Judex integerr., cujus tribunal Scopulus reorum appellabatur. Jus dicebat integro Sec., et eo amplius, ante Christ. aeram. Ejus est illud, *cui bono fuerit*, a Cic. laudatum, et a Jurisconsultis, et Judicibus usurpatum tanquam norma ad recte de delictis patratis judicandum. Verisimile est, eum Tractatum aliquem edidisse, quo hujus dicti ostenderet veritatem, et in judicando utilitatem.

Cassius, Annal. Scriptor, citatur a Gel. *l. 17. c. 21. NN.*

Cassius (C. Longinus), Jurisconsultus egregius, et Cos. sub Tiberio, Sabini discipulus, cujus sectae fuit, quae etiam ex eo *Cassiana* fuit appellata. A Nerone in Sardiniam deportatus, vixit usque ad Vespas. luminibus orbatus, et obiit Romae ab exilio redux. Hujus fit frequens mentio in *Corpore Juris*, et citantur ejus *Notae* ad Vitellium, et ad Ursejum ferocem, nisi si sint alterius *Cassii* antiquioris, de quo antea.

Cassius (C), Senator, et Orator. Oravit in Senatu eloquentissime contra interfectores Paediani Secundi Praef. Urbis sub Nerone. Ejus *Sentt.* affert Tac. *Annal. l. 4.*, et *Annal. l. 12.* post initium ait = Ea tempestate *Cassius* ceteros praeeminebat peritia Legum =

Cassius (Longinus Dionys.), Porphyrii magister, ab Epist., et Consiliis Zenobiae Palmiren. reginae. Exstat ejus Opus de *Stylo sublimi*, quod in Gallicum serm. vertit Boileau Poeta Satyr. Alia edidisse, quae perierunt, nullus dubito. Eum supplicio affecit Valerianus, eo quod auctorem crediderit *Epistolae* ad Aurelianum scriptae a Zenobia: quod videtur viris doctis displicuisse. Vide Vopiscum in *Aureliano*.

Cassius (Dion), Alexandri Severi in Consulatu Collega, edidit *Hist. Rom. libb. 80.*, et separatim res a Trajano gestas, ac *Vitam Arriani Phil. Cassii OO.* integra non supersunt, nec Graece, nec Latine. Erat Alexandrinus. De eo Suidas.

Cassius (T). Ejus imaginem in Bibliot. sua habebat Heren. Severus; quod indicio est, eum valde doctum fuisse.

Cassius (L), Orator, qui CN. Plancium, defensum a Cic., accusavit. *Cassii* Or. desid. Non liquet; an is sit

Cassius (L), cui Pop. Rom. (teste Asconio, in *Cicer. pro Milone*

Orationem.). demandavit, ut quaereret de judicio Virg. Vestalium a L. Metello, Pont. Max., et a Pontificum Collegio facto, in quo una Aemilia incestus fuit damnata, absolutis Marcia, et Licinia. *Cassius* has, et plures alias Vestales damnavit. Vide *Paeduceus* in *P.*

Cassius, Orator, et Declam., de quo Cic. in *Epist.* ad Volumnium, quae legitur *lib. 7. Famil.* Forsitan idem cum aliquo ex praeced. fuit. Sublatum esset dubium, si praenomen non omisisset Cicero.

Cassius, Poeta, *Ethruscus* dictus, qui cum scriniis, et libris suis fuit combustus. De hoc Hor. *l. 1. Sat. 10.* innuit, quotidie ante prandium 200. versus, et totidem post prandium, sed parum accuratos, scribere solitum. De ejus ingenio ait rapido amni ferventius fuisse. Eundem, nunc Parmensem, nunc Ethruscum vocat, nisi sit ut nonnulli putant, hi diversi Poetae fuerint: malum Poetam unum licet in poetando facilem; alterum autem optimum Poetam Trag., cujus erat *Tragoedia Thiestes*, multum a Quintil. laudata. Citantur a Plinio, et Suet. *Cassii Epistolae*, praeter *Elegias, Epigram., et Tragoedias*. De Cacodaemone, qui *Cassio* Poetae apparuit, cum M. Ant., cujus partes sectabatur, ab Aug. fuit superatus, vide Val. Max. *l. 1. c. 7.* In fine Sec. 17. inventa fuerunt nonnulla *Carm. Cassii*, quae legi possunt in Suetonio ad usum Delphini. Cetera latent. Ejus Scripta jussu Augusti fuerunt a Vario combusta Athenis, ubi exsulabat. Vide *Varius* in *V.* Horatius in *Epist. ad Tibullum lib. 1. Epistt.* indicat, Parmensem *Cassium* nobilem Poetam fuisse.

Cassius (C), alter ex interfectoribus C. J. Caesaris, Ciceronis amicus, apud quem, ut puto, Graece declamare decreverat M. Cic. filius. Vide *Cicero* fil. in hac lit. Fuit M. Bruti amicus, et consanguineus, cui in Praeturae petitione postpositus fuit, quamvis Parthos vicisset. Hac de caussa ortae fuerunt simultates inter illos, quas deposuerunt conspirantes in C. J. Caes. necem. Victus ab Octavio, et M. Ant. in Philippica pugna, se occidit, an. V. C. 712: ante Christum 39. Ejus *Epistt.* ad Cic., vide *lib. 15. Epistt. famil. Cic.*

Cassius (Severus), Orator, et Declamator commendatus a Sen. in Prooemio *l. 3. Controv.* tanquam optimus Orator in foro, et tanquam mediocris Declamator. Forsitan id contingebat, quia minor cura ab eo in Declamationibus, quam in Orationibus ponebatur. Argumentum enim non fictitium, negotii gravitas, praesentia Judicum, auditorum frequentia, major aemulatio curam acuunt Oratoris, quae desunt in Scholis Declamatorum. Videtur floruisse Augusti aevo: nam de eo Aug. dixisse traditur: *Vellem Severus Cassius Forum meum accusasset*, quia multi a *Severo Cassio* accusati absolvebantur, et Forum Augusti, ab Architecto coeptum, nunquam absolvebatur. Utens ambiguo verbo *absolvo* Aug. ludebat, et *Cassium* argute taxabat. Vide *Severus* in *S. Cassii* hujus Orat., et Declam. desid.

Castor (Agrippa), scripsit contra Basilidem haeret. sub Adriano: Ita Eusebius.

Castritius (T), Rhetor, A. Gellii, et Adriani Imp. magister. Laudatur a Gel. *l. 11. c. 13. NN.*, ubi affertur *Castritii* judicium de *Oratione Gracchana* in P. Popilium.

Cataphrygae, haeret. in Phrygia orti in fine 2. Eccl. Seculi, vel initio 3. Auctore *Montano*. Vitae austeritatem, et rigorem affectabant. Inducebant novas ceremonias, et nova jejunia contra morem Ecclesiae. Negabant, salutem semel lapsos consequi posse. Foeminas ad sacros Ordines admittebant. Damnabant secundas nuptias. *Montanus*, Sectae Auctor, homo austerus, fanaticus, et vanus, plenum se Spiritu Sancto primum dictitabat, eodemque plenas duas insanas, quas seduxerat, foeminas, affirmabat: et demum, se Spiritum Paracletum esse confidenter ajebat. Priscilla, et Quintilla, vel, ut aliis placet, Maximilla, se, et prophetiae dono praeditas jactabant, et multa bacchantium more praedicebant. Ab Asiae Episcopis illico errores isti, et eorum auctores damnati fuerunt. Nihilominus Tertullianus, magni, sed duri vir ingenii, *Montanistis* adhaesit, et pro illis scripsit, a Romanis quibusdam Clericis offensus. *Montani* Scripta nulla supersunt. Quae edidit Tertullianus pro secta *Montani*, saltem nonnulla, adhuc exstant. Vide *Tertullianus* in *T*. Vide etiam S. Hier. in *Epist.* ad Marcellam, ubi *Montanistas* breviter exagitat.

Cathari, haeret. praeter Novati errores, se sine peccato esse praedicabant mira jactantia, seque puros, seu *Catharos* appellabant. Docebant etiam, infantes sine peccato gigni, et nasci, ac Baptismo non indigere.

Catharistae, haeret. alii, qui Manichaeorum deliriis alia de suo addebant, seque non modo puros dicebant, sed Purificatores, seu Mundatores aliorum se esse putabant. Unde ipsis *Catharistarum* nomen inditum. Initium habuit haec Secta, ac etiam praecedens, circa an. Christi 279.

Catharina, Virgo Alexandrina, et Martyr praeclara sub Maximino Imperat. passa. Fuit in tenera aetate humanis, et divinis litteris apprime erudita. Publice disputavit jussu Imperatoris cum Phil. Ethnicis doctioribus illius aetatis, ad id delectis, quorum multos sua eloquentia, et rationibus, ostensa Idolorum, et Ethnicae superstitionis vanitate, ad Christi fidem traxit.

Catilina (L. Sergius), Eques Rom. competitor Ciceronis in Consulatu, de quo Sallust. ait, multum loquentiae, et parum sapientiae habuisse. Contra eum, res novas, cum aere alieno oppressus, et vitiis coopertus esset, molientem, et in Rempub. cum multis aliis conspirantem, plura Cic. in *Orationibus*, et Sallust. in *Conjuratione Catilinae*. Victus fuit cum exercitu suo a C. Antonio, Collega Ciceronis in Consulatu, et olim Catilinae amico. Ei tribuitur *Oratio* in Ciceronem, de qua dubitatur, an legitima sit.

Catius, Phil. Epicureus, de quo tanquam parum antea defuncto loquitur Cicero in *Epist. ad Cassium* ejusdem sectae Phil. *lib. 15. Epist.*

famil. Videtur lib. scripsisse, in quo *Spectra* appellabat, quae Epicurus *Idola*.

Cato (Valer.), Gramm. Romae illustris, vulgo *Latina Siren* appellatus, praeter Grammatices praecepta, et lib. *Indignatio*, seu *Dirae* inscriptum, edidit Poemata varia, ex quibus maxime probabantur *Lydia*, et *Diana*. Primi mentionem fecit Ticida; alterius vero Cinna. Pauperrimus obiit. Vide Suet. de *Ill. Gram.* Ejus OO. desid., *Diris* exceptis, quae supersunt.

Cato (M. Porcius), *Censorius* dictus, et a Plut. *Rom. Demosthenes* appellatus, Municipio Tusculo ortus. Scripsit plura, quorum pleraque desid.: supersunt tamen nonnulla fragm. ex *libb. Originum*, qui historici erant, ex *libb. de falsis pugnis*: ex *Carm. de moribus*: ex *Praeceptis ad filium*: ex *lib. de Moribus Cl. Neronis*: ex *libb. de re militari*: ex *Comment. de Jure Civili*, et ex *Orationibus*, quae magno numero ab eo lucubratae, et dictae fuerunt. Ait enim Cic., se supra 150 Catonis *Oratt.* collegisse, et legisse: quas tamen a paucis legi suo tempore in *Bruto* testatur: et in *Oratore* tradit, eas horridas, seu parum elegantes fuisse. Nihilominus laudat solidam, ac minime fucatam *Catonis* eloquentiam in lib. *de Cl. Orat.*, seu in *Bruto*, ut etiam ipsum *Catonem*, et ejus multiplicem doctrinam, praesertim *lib. 3. de Orat. Cato* ob morum severitatem, et gravitatem, quam Censor creatus a Romanis exigebat, multorum odio laboravit. Quater, et quadragies fuit accusatus, et pro se orans fuit semper absolutus. Senatus, ei Statuam Consularem in templo posuit cum inscriptione testante, restitutos ab eo bonos mores suo exemplo, et Censoria severitate. Ast = *vitiis sine nemo nascitur: optimus ille*, inquit Horatius, *qui minimis urgetur*. = De prisco *Catone* tradit idem Horatius *lib. 3. odarum* saepe vini potui nimium indulsisse. Praeter opera indicata affirmat Quintil. *l. 3. Instit.*, omnium primum de *Arte Rhet.* Romae scripsisse, cujus Operis, ne fragm. quidem vidi. In Scriptis suis utitur multis vocab. latinis satis duris, et obsoletis Ciceronis aevo. Cicero indicat, in ea haeresi fuisse (, in qua postea fuisse affirmat posteriorem Catonem Bruti avunculum, et Ciceronis amicum), ut nullum sectaretur florem orationis. Homo nempe gravis, et morum antiquorum, omnem fucum, etiam in sermone, Viro Rom. parum dignum reputabat, omnemque affectationem (sine qua vix esse potest elegantia sollicite procurata): nihil autem odiosus affectatione. Forsitan ab elegantia itidem abstinebat, quia suo aevo Elegantia vitii Vocabulum erat, non virtutis. Simplicitas illa priscorum Romanorum, quam adamabat *Cato*, postea, corruptis luxu moribus, *Rusticitas* fuit appellata. Elegantia in sermone, seu accuratus, et quaesitus cultus ex Graecis ad Romanos manavit: Graecos autem, et eorum litteras adeo *Cato* oderat, ut in *Praeceptis ad filium* haec legantur = . Dicam de istis Graecis suo loco, Marce fili, quid Athenis exquisitum habeam, et quod bonum sit eorum litteras inspicere, non perdiscere. Vincam nequis-

simum, et indocile genus illorum, et hoc puta vatem dicere. Quandocunque ista gens suas litteras dabit, omnia corrumpet. Tum etiam magis si medicos suos huc mittet, Jurarunt inter se, barbaros necare omnes medicina; sed hoc ipsum mercede faciunt, ut fides eis sit, et facile disperdant. Nos quoque dictitant barbaros, et spurcius nos, quam alios opicos appellatione foedant =. Haec *Cato* mirabili sermonis perspicuitate, et sine fuco simplicitate. Videtur tamen in Senectute odium istud in Graecorum litteras deposuisse: nam eas valde senex didicit. Corn. Nepos, in Attici gratiam, *Catonis Vitam* scripsit, ut ipse Nepos testatur. De eo multa Plut. in ejus *Vita*. Cic. in *Dial. de Senect*: Livius item, et alii Rom. Scriptores antiqui. Fuit magnus Orator, optimus Senator Rom., et praeclarus Dux, qui Cos. factus, Cataloniam nostram cum exercitu suo Emporias, et deinde Tarraconem Classe vectus, brevi pacavit. Non silenda dicta aliquot ejus memorabilia. Dicere solebat =. Aliis in rebus errata corrigi posse; in bello autem neutiquam, quia poena statim erratum sequitur. =. Ita etiam scriptum reliquit in Opere *de Re militari*. = Item =. Nihil agendo homines male agere discere. Item, = vitam humanam esse veluti ferrum, quod rubigine perit, nisi exerceatur. = Item =, se nunquam minus solum, quam cum esset solus. = Tandem =. Trium se poenitentia duci, si foeminae arcana retexisset: si navi perrexisset, quo pedes posset: demum si dies inanis, et in ignavo otio transegisset. = Cic. de *Cl. Orat.* tradit, *Catonem* 85. an. natum e vita excessisse an. 604. ab V. C: ante Christum 149. Ita ex Plinio *l. 29. c. 1. H. N.* Livius tamen, et Plut. usque ad an. 90. vitam produxisse tradunt. Circa haec tempora Carthago, Corinthum, et Numantia Urbes a Romanis captae, et eversae fuerunt.

Cato (M), Censorii fil. Vir Praetorius scripsit libb. *de Jure Civili*, citatos a Jurisconsulto Paullo in lege 4. de *Verb. oblig.*, et a Gel. *l. 13. cap. 18. NN.*

Cato (M), Censorii nepos. Scripsit plures *Oratt.*, quae avo tribuuntur. Fuit Cos. cum Q. Martio Rege an. ab V.C. 638. Erat satis vehemens Orator. V. Gel. *l. 13. c. 18*

Cato (M), Catonis Uticensis pater, Jurisconsultus, et Judex Romae, cujus Sent. affert Cic. *l. 3. de Off.*, cum magna laude filii.

Cato (M), *Uticensis* dictus, M. Bruti avunculus, Phil. Stoicus perfectus, ut ait Cic. in *Praef. ad Paradoxa*, quique unus pro 100. millibus Ciceroni erat, ut scribit ad Atticum *l. 2. Ep. 5.*, et *Epist. 4. lib. 15. Famil. Catoni* ait, se eum omnibus, quos vidisset, et audivisset propter singulares ejus virtutes, quas tacitus miratur, anteferre, hocque se testimonium dedisse in omni varietate Scriptorum suorum. Nihilominus Vatinius, homo nequissimus ei in Praetura praelatus fuit magno cum reipub. dedecore: Tunc autem non Praetura Catoni, sed Cato Praeturae negatus fuit, ut ingeniose dixit Val. Max., de hac repulsa scribens. De eadem Satyrice loquitur Petronius

Arbiter in *Fragm.* Romani populi mores, et corruptelam notans. Idem Cic. in *Parad. praef.* ait, *Catonem* in Senatu, cum Sent. diceret, locos graves ex Philosophia tractasse abhorrentes ab usu forensi; consecutum tamen ut ea, quae diceret, etiam populo probarentur. Librorum Helluo a Tullio appellabatur. De ejus legendi aviditate insatiabili, vide Cic. *lib. 3. de Finib.* initio. Scripsit post ejus mortem Cicero librum inscriptum *Laus Catonis*, contra quem lib. duos *Anticatones* Caesar edidit. Partes Reip. secutus, victo Pompejo, se occidit Uticae in Africa an. V.C. 707, ne in Caesaris potestatem veniret, vel ne se, et Remp. sine pristina libertate videret. Jul. Caesar aegre tulit ejus mortem, quia, ei parcendo, Clementiae famam captare ambiebat, dicebatque, *Catonem*, se occidendo, gloriae suae invidisse. Fuit Censorii pronepos. Vide Gel. *l. 13. c. 18.*, ubi fuse de *Familia Porcia* disseritur. De eo ait Sen. *de Vita beata* cap. 21. quadragies Sestertium possedisse, cum antiquam Romanorum laudaret paupertatem, Curii, et Coruncani aetate vigentem. *Disticha* tribus libris comprehensa, optima Praecepta morum continentia, quae *Catoni* tribuuntur, nec Censorii, nec Uticensis sunt: sed fortasse alicujus *Catonis* multò recentioris; quod satis apparet ex eo, quod Virgilium, Ovidium, Macrum, qui de Herbis scripsit, ac Lucanum laudet Auctor initio *lib. 2.* Cujuscunque ea sint, dignissima lectu sunt, et utilissima vitae ordinandae. Compendium etiam dici possunt Ethnicae disciplinae, Oeconomicae, et Politicae. Ad hujus Operis exemplar Cato Christianus editus est.

Catulus (Q), Orator, qui pro exsule Cicerone revocando in Senatu oravit, ejusque caussam diligenter egit. De eo cum laude Cicero in *Oratione* pro *Sestio*.

Catulus (Q. Lutatius), Consul, Hist., et Orator, vicit una cum Mario Cymbros: postea periit in Syllano bello Civili. Cic. in *Bruto* laudat ejus Stylum Histor., et Orat., ut etiam incorruptam ejus in latino serm. integritatem: quae laus a plerisque Oratoribus neglecta ibidem dicitur. Quod Ciceronis testimonium velim notent Critici, qui putant, Ciceronis aevo omnes incorrupte latine locutos, praesertim eos, qui publice caussas agebant, et Eloquentiam, atque Oratoriam excolebant. Scripsit de Consulatu, et de rebus gestis suis, ac plures etiam *Orat.*: inter alias eam, qua laudavit Popiliam matrem, cui primum Romae hunc honorem tributum Mulieri putabat Antonius. (Vide Cic. *lib. 2. de Orat.* initio), quae omnia desid. Confundendus non est cum alio Q. Lutatio Catulo longe antiquiore, quo Cos. cum A. Manlio, pax cum Poenis facta fuit. Ignoro, an is sit

Catulus (Q), Poeta, de cujus versibus loquuntur Ovid., et Plin. Caecil. Cicero de *Nat. Deorum* affert *Epigr. Q. Catuli* in Roscium puerum; alterum de Theotimo puero, etiam *Catuli*, affert Gellius. Sed vereor, ne is sit Q. Catullus, de quo mox: facile enim unius litterae in nomine additione, vel detractione confusio oriri potest, cum duo

idem praenomen habent, et simile nomen, praesertim, si cognomine, vel agnomine, vel aliter non discernantur, ut antea adnotavi agendo de *Attiis*.

Catullus (Q), Poeta Mimographus, de quo vetus Scholiastes in Juvenalem *Sat. 8.* Polybius *l. 1.*, et Eutropius *lib. 2.* Citatur ejus *Phasma*, seu Spectrum, qui titulus est Fabulae, ab eo scriptae, de qua Juven. *Sat. 8.*, et *Sat. 13.* De eo videtur loqui Plin. Caecil. *lib. 5. Epist. 3.*

Catullus (Q), forsitan *Catulus*, Poeta suavissimus, antiquior, ut puto, Veronensi. Is alter fuit ex Poetis Latinis, quos Ant. Julianus Graecorum optimis de re amatoria opposuit in suavitate, et venustate. *Catulli* hujus *Epigr.*, recitatum in convivio a Juliano, affert Gel. *lib. 19. c. 9.*, ubi ea narrantur.

Catullus (C. Val.), Poeta Veron. laude dignissimus, si ab impudicis abstinuisset. Laudatur a Mart. variis *Epigr.* ab Ovidio *Trist. l. 2.*, a Gel. *l. 7. c. 2.* ab aliis. Ei epitheton *Docti* tribuitur. Verum in Carminibus suis non multum doctrinae utilis nobis tradit. Scripsit *Lyrica*, *Elegias*, et *Epigrammata*. Non omnia ejus Carm. ad nos pervenerunt, et quae supersunt, valde depravata sunt. Multos Romanos, tum Poetas, tum Oratores, et alios suis Carminibus proscidit, ac inter eos Mamurram, et C. Jul. Caesarem, in quem contumeliosissime invectus est. Illud mirum, a C. J. Caesare, quem versibus suis offenderat, eodem die ad coenam fuisse invitatum, et benigne, ut antea, exceptum, ut Suet. tradit. Servius in Virg. citat multa *Catulli* carmina, quae non exstant. *Ityphallica Catulli* (forsitan *Ipsithillica*, nam Ipsithillam juvenis amavit) citantur a Terentiano Mauro; et a Plin. *l. 28.* citatur *Catulli* carmen de *Incantamentis*: quae *OO.* desid. Obiit Romae an. aetatis 37: V. C. 705. S. Hier. in *Chron.* ait, obiisse an. aet. 30. Sunt, qui dicant, *Catullum* inventum, et primum editum a Bapt. Guarino Veron. Andreas Schottus tradit, Toleti fuisse *Catulli* exemplar Matthaei Palmerii manu scriptum an. 1428, ab Antonio Covarrubias, Viro eruditissimo, sibi ostensum.

CE

Cebes, Poeta Virgilio valde charus, ei a Maecoenate, cum puer esset ingeniosus, et gratus Virgilio, dono datus, ac verisimile est, in poesi fuisse a Virg. eruditum. Vide Donatum in *Virgilii Vita*.

Cecina, sive *Caecina*, criminosum librum contra C. J. Caesarem edidit. Ita Suet. in *Vita Caesaris*. Hujus libri meminit *Caecina* exsul in *Epist.* ad Cic. *lib. 6. Famil.* non sine metu Caesaris irae, et vindictae. Ei Caesar ignovit, et Romam rediit, venia impetrata. Ejus ingenium, et eloquentiam, cujus a puero signa dabat, laudat Cic. in *Epist.* ad Furlanum Procos. *lib. 6. Fam.* Scripsit etiam de *Ethrusca disciplina*. Ita Plin. *lib. 2. H. N.* Opera praefata desid.

Celer, vide *Metellus* in *M.*, et adde sis, fuisse Galliae Procos. cum exercitu.

Celer, Hispaniae Rector, cujus fidem, et judicium de Poetis laudat Mart. *l. 7. Epigr.*

Celsinus (Jul.) A. Gelii amicus, et familiaris, Vir doctus, de quo Gel. *l. 19. c. 7.*, et *10. NN.*

Celsus (Juventius), Pater, et Filius in Medicinae arte valde eruditi.

Celsus (Juventius), Jurisconsultus, Celsi Jurisconsulti fil. Praeter *30. Digest. libb.* reliquit alios de *Usucapionibus*, et *13. Epistt.* Florebat Trajani temporib., sub quo Cos. fuit, et sub Adriano, cui carus erat. Trajani jussu patri posita statua fuit; at in Juris doctrina superatus a filio dicitur. Pater sub Adriano, jussu Senatus, ultimo supplicio affectus fuit Bajis, quia in venatione insidias struxisse Adriano dicebatur. Quod S. C. parum Adriano placuit: Saltem hoc simulabat; questus, se non posse amicum servare.

Celsus (Maecianus), Jurisconsultus, qui ejusdem familiae cum praecedentibus creditur.

Celsus (M. Livius), Scholae Medicorum Tabularius. Ita ex Vetere Inscript.

Celsus, Scriptor plagiarius. De eo Hor. loquitur in Arte, seu in *Epist. ad Pisones*. In *Epist.* ad *J. Florum* haec habet, quibus Hor. indicat, *Celsum* plagiis assuetum fuisse.

Quid mihi Celsus agit? monitus multumque monendus.
Privatas ut quaerat opes, et tangere vitet
Scripta palatinus quaecunque accepit Apollo.
Ne si forte suas. cet.

Anonimus quidam in *Italis Epistolis* suis ad Cl. Tiraboschium, in quibus fuse, et erudite de *A. Corn. Celso* disserit, opinatur, Horatium loqui in dicta *Epist.* de *A. Corn. Celso*, quem *Albinovanum*, in *Epist.* ad eum ejusdem libri, Hor. appellat, et Scribam Tiberii ab Augusto designatum tradit, cum Tiberius in Armeniam an. V. C. 734 missus fuit.

Celsus (Jul.), Jurisconsultus, de quo Spartianus in *Adriano*. Forsitan hic est Jul. *Celsus*, cui tribuuntur *Commentarii* de *Vita C. J. Caesaris*.

Celsus, laudatus a Symmacho *l. 10. Epistt.* Floruit sub Theodosio et Arcadio. Erat nobilis, et eruditus, dignusque Symmachi judicio, qui ab Imperatoribus ornaretur praerogativa Consulari.

Celsus (Aruntius), Grammaticus, qui Virgilium, et Terentium *Scholiis* illustravit. Ammianus loquitur de *Celso* quodam, Juliano Imperatori, jam inde ab Atticis studiis, noto, qui forsitan erat *Aruntius* iste Grammaticus.

Celsus (Apulejus) Scribonii Largi praeceptor in Medicina. Citatur a Largo scribente de *Compositione Medicamentorum cap. 94.*, *et 171.* Fuit etiam Valentis Imper. magister, teste *Largo*, et Centuripis ortus dicitur fuisse.

Celsus, Phil. Ethnicus Epicuraeus, scripsit *lib.* contra Christ. Religionem, refutatum *6. libb.* ab Origene Adamantio, rogato, ut *Celso* responderet, a quodam Ambrosio, Viro Sancto.

Celsus, Archetimo patre ortus sub Theod., et Arcadio, genere, eruditione, et voluntate laudabilis, et dignus, qui adjudicetur ab Imperatt. Nobilibus cum potestate Consulari. Ita Symmachus in *Epistt.* Forsitan idem hic est cum *Celso*, de quo similia affert Symmachus, citatus *lib. 10. Epistt.* Verum hic videtur nondum nobilis fuisse; alter autem, ut nobilis laudabatur a Symmacho, cum de eo scribebat.

Celsus (A. Corn.), Medicus, seu potius Scriptor de rebus medicis sub primis Caesaribus. Eum Gallione priorem facit Quintilianus *lib. 3. c. 2.* Ex quo probat Anonimus doctissimus in *Epistolis* ad Cl. Tiraboschium, eum sub Augusto floruisse, et inter aurei Seculi Scriptores recensendum. Scripsit libros 8. de *Arte Medica*, qui extant cum lacunis aliquot. Plura alia, quae scripsit, desiderantur, ut *libri de Jure Civili*, de *Philosophia*, (in qua teste Quintil. l. 10. Scepticos secutus est non sine cultu, et nitore) de *Re militari*, et *de Re rustica*, qui postremi citantur a Columella. Praeter Opera recensita, scripsisse de *Arte Rhetorica* testatur Quintil., et quidem accuratius, quam Gallio Pater, et alii quos nominat *lib. 3. c. 1.* Idem Quint. *lib. 8.* de novis Vocabulis disserens, ait = Audendum itaque. Non enim accedo *Celso*, qui Oratori fingi vetat =. Tandem eum citat *lib. 9.*, ubi *de compositione*. Ejus nitor, et elegantia in latino sermone, quibus meruit *Medicus Cicero*, et *Latinus Hippocrates* appellari, persuadent, eum in optimo seculo latinitatis scripsisse. Romani suum faciunt: Veronenses suum. Mirari subit, Quintilianum *lib. 12.* de eo loquentem mediocre ingenium in eo agnovisse: cum de tam variis disciplinis scripserit, easdemque ingenio suo, et eleganti stylo illustrarit. Mediocria quippe ingenia tam varias disciplinas complecti non solent. S. Augustinus videtur de eo loqui in *Praefat. lib.* de *Haeresibus*, ubi tradit, *Celsum* quemdam 6 non parva volumina edidisse de Philosophis, qui usque ad sua tempora floruerunt, et varias Sectas condiderunt. Forsitan haec volumina erant, quae de *Philosophia* scripsit. Sunt qui dicant, fuisse Rhetorem alium, *Aurel. Corn. Celsum* dictum, cui tribuitur libellus de *Rethorica Institutione*, qui, non integer, exhibetur a Fabricio ex Popmae editione; verum Critici nonnulli supposititium hunc foetum putant, et fictum novum Rhetorem *Aurelium Corn. Celsum*. Anonimus Italus, supra laudatus, contendit, *Celsum*, de quo Horatius, et Ovidius tanquam de amico loquuntur in suis *Epistolis*, fuisse *Aulum Cornelium Celsum* nostrum: quod si verum sit, magis demonstratur, ad aureum Augusti seculum eum spectare. Contendit etiam, eum comitem, et a Secretis Tiberii inter alios Viros doctos ab Augusto designatum, cum Tiberius ad Armeniam an. aetatis 20, perrexit cum imperio militari. Plin. in *H. N.* saepe eum citat.

Corollarium III.

Censores, a pop. R. eligebantur Viri illustres, docti, et ob vitae integritatem magnae auctoritatis. Ad eos spectabat populum lustrare, Civium censum facere, et abusus, ac pravos mores emendare. Poterant a Senatorio gradu dejicere male moratos Senatores, ut etiam Equites ab equestri Ordine, et Plebejum suffragio privare. Quod non semel factum Historiae Rom. testantur. *Censorii* agnomen inditum fuit M. Porcio Catoni ob suam in corrigendis Romanorum Civium moribus constantiam, et severitatem, quae tamen multam ei invidiam, ac multorum odium conflavit, ut dictum est, ubi de *Catone* supra. Singulis quinquenniis populus lustrabatur, seu purgabatur a Censoribus in Campo Martio, sue, ove, et tauro circumductis, et mox immolatis: Inde *Lustrum* 5. ann. spatium.

Censorinus (Martius Rutil.), Orator, et Censor graviss. *Orationem* ad Pop. R. habuit, qua eum corripuit, quod contra veterem disciplinam eum bis Censorem elegisset. Censoriam etenim dignitatem, et potestatem, quia nimis magnam, non nisi semel uni conferre prisci Quirites consuevere. Ita Val. Max. *l.* 4. Haec *Oratio*, et aliae *Censorini* desid.

Censorinus, Scriptor 3. Eccl. Sec. sub Alex. Severo, Maximino, et Gordiano Imper. Praeter Opus eruditiss. de *Die natali*, scripsit de *Accentibus*, quod Opus citatur a Cassiodoro, et Sidonio Apollin. Opus de *Die natali* dicavit Q. Cerellio, quem Virum Sanctiss. vocat, ac omnibus in sua Civitate ornatum honoribus, et plenum varia doctrina dicit. Ita Sidon. Apoll. in *Epist.* ad Polemium. *Censorino* huic tribuitur Opus de *Institutione Naturae*. Tribuitur eidem fragm. *de Metris*, quod exstat. A Prisciano l. 14. doctissimus Gramm. vocatur.

Censorinus, Rhetor memoratus a M. Sen. in *Praef. l.* 3. *Contr.*

Censorinus (C. Martius), Vir Consularis, omni laude ornatiss., ad quem est *Ode* 7. *l.* 4. Horatii, qui indicat, eum Carminibus delectatum. Obiit in Oriente secutus Cajum Caesarem, Augusti nepotem. Fuerat Cos. an. V. C. 746.

Centimanus (Claudius), Vir litteratus, qui excogitasse dicitur litteram Q. pinguioris soni gratia. Ita S. Isid. *l.* 1. *Orig.* Alii inventam, vel in frequentiorem usum deductam a Calvo dicunt.

Cepio, vel *Caepio*, Orator, accusavit Majestatis Grannium Marcellum Bithyniae Praetorem. Ita Tac. *l.* 1. *Ann.*

Cerdo, haeresiarcha in fine 1., et initio 2. Eccl. Sec. Ponebat duo principia rerum creatarum, seu duos Deos, unum boni; mali alterum auctorem, errores alios addens. Nulla supersunt *Cerdonis* scripta, et arbitror, Manichaeos ex eo originem traxisse.

Cerealis (Jul.), Poeta laudatus a Mart. *l.* 11. *Epigr.*, ubi mentio fit Poematis *Cerealis* de *Gigant.*, et de alio, in quo de *Ruribus*, ut ait Mart. *Virgilio proximis*. Haec *Poemata* desid.

Cerealis, Orator, et dux partium Vitellii contra Vespas. De eo *Tac. l.* 4. *Histt.*

Cerellia, Foemina litterata, laudata a Cic. *Epist.* 21., et 22. *l.* 13. *ad Attic.*

Cerellius (Q), Vir plenus varia doctrina, vide *Censorinus*.

Cerilianus (Fab.), Histor. Scripsit solertissime tempora Carini, et Numeriani Rom. Imperatorum.

Cerinthus, Simonis Magi discipulus. Negabat Christi divinitatem. Cogebat Christianos ad servanda legalia Mosis, et mille annos post resurrectionem pollicebatur sensilium voluptatum. Contra eum dicitur S. Joannes suum Evangelium lucubrasse.

Cesennia, vel *Cesenna* uxor, aut amica Getulici, Poetria, quae dicitur Getulicum in pangendis Carminibus adjuvisse. Ita Sidon. Apoll. in *Epist.* ad Hesperium.

CH

Chalcidius, Christ. Scriptor. Edidit Comment. in Timaeum Plat. dicatos Osio cuidam, cui tribuebat accuratiorem rerum divinarum notitiam (hunc puto fuisse *Hosium* Patrem Concil. dictum). Florebat circa an. Christi 330.

Charicles, notus Romae Medicus sub Tiberio, cujus proximam mortem, ejus pulsum dissimulanter tentans, cognovit. Ita Tac. *lib.* 6. *Ann.*, et Suet. in *Tiberio c.* 72.

Charisius (Flav. Sosipater), Christianus antiquus Grammat. Edidit *Opus* inscriptum *Institutionum Grammaticarum* ad Filium *Libris* 5., qui integri ad nos non pervenerunt. Desunt namque nonnulla ex *lib.* 1., et 5. Scripsit etiam *Bacchanalia*, et *Vulcanalia*, quae desid. Janus Parrhasius dicitur primus *Charisium* edidisse, et sunt qui dicant, Opera quae sub *Diomedis* nomine, Athanasio cuidam, Viro eloquenti dicata, exstant, *Charisii* hujus esse.

Charisius (Aurel. Arcadius), Jurisconsultus, Libellorum Magister, ad quem Carus, Carinus, et Numerianus Imperatores de *Calumniae poena* rescripserunt an. post Christum 283: V. C. 1034. Ille saepe Modestinum citat in libris suis. Ejus Opera sunt: *De muneribus civilibus lib. Singul. De Officio Praef. praet. lib. Singul. De Testibus* item *liber Singul.*, qui libri in Pandectis citantur. Cujacius eum Christianum putavit, illum forsitan cum Charisio Gramm. confundens.

Charmis, Massiliensis, Medicus Romae, citatus a Plin. *H. N. l.* 29. *c.* 1., qui de eo ait, usum fuisse in curationibus balneis frigidis Musae exemplo.

Charus, Vir eruditus. Ad eum sunt Ovidii *Epistt.*, ex quibus colligitur, eum nepotum Augusti Institutorem fuisse. Scripsit *Poema de Hercule*.

Charysius (Diocles), Rhetor, cujus meminit M. Sen. in *Controv.*

Chemia, Vulgo *Alchimia*. Vide *Appion* in *A*.

Chromatius, Aquilejae Praesul, sanctitate, et doctrina clarus, teste S. Hieron., qui ait, scripsisse *Comment.* in *S. Matthaei Evang.* Fuit S. Hieron., et S. Ambrosii amicus.

Cicero (M. Tul.), cujus nomen insigne Viri elogium est. Natus Arpini an. V. C. 648. ex equestri familia. Praeter Opera doctissima, et elegantissima, quae exstant, plura edidit, ex quibus sola fragmenta supersunt: alia omnino interciderunt. Desiderantur ejus libri de *Republica*, et de *Gloria*, citati a S. Augustino in libris de *Civit. Dei* a L. An. Seneca, a Gellio, et aliis antiquis. Vertit ex Graeco in Latinum *Oeconomicum Xenophontis*, et alia, quae Versiones desid., ut etiam *Dialogus* inscriptus *Catulus*, et alter *Caecilius*, de quibus Quintil. *l. 3. Institut.*, qui testatur, scripsisse *libros de Arte Rhet.*, quos suppressit. Gellius *lib. 1. c. 22.* citat lib. Cicer. *de Jure Civili in artem redigendo:* qui desid., ut etiam *libri 3.* carmine lucubrati *de temporibus suis*, quos ad Lentulum se missurum spondet *lib. 1. Famil. Epist. 1.* ad Lentulum. Caremus etiam variis alis Poematibus, quorum mentio apud Plut., et Suet. in *Vita Terentii*. Talia sunt inscripta *Marius*, *Glaucus*, *Limo*. Praeter *Arataea*, quorum fragmenta affert Cic. in *libris de Nat. Deorum*, Poema de suo Consulatu, ex quo 70., et eo amplius versus tanquam recitati a Ciceronis fratre leguntur *lib. de Divin.* Quintil. *l. 8.* affert duos Versus, ex Joculari quodam Ciceronis Opere, quod etiam desid. In libris *Academ. QQ.* multa desunt ex *lib. 1.*, et omnia ex 2., et 3. Nonius putat, lib. inscriptum *Lucullus* esse *4. Acad. QQ.* Verum contrarium colligitur ex Cic. *Epistolis* ad Atticum *lib. 13.* In *Epistolis* ad Atticum mentionem facit Cic. voluminis a se lucubrati *Prooemiorum*, ex quo *Prooemia* sumebat ad varia Opera, quae lucubrabat. Miserat ad Atticum *librum* de *Gloria* cum Prooemio, jam apposito *lib. 3. Acad. QQ.:* quod animadvertens emendavit alio Prooemio. Vide *Epist. 6.* ad Atticum *lib. 15.* De interlocutoribus in *libb. de Repub.* loquitur Cic. *Epist. 15. lib. 4.* ad Atticum. Libro autem *1. Tusc. QQ.* affert locum Platonis ex *6.* suo *libro de Repub.* Ipse de se testatur, vertisse in Latinum nonnullas Demosthenis, et Eschinis *Orationes:* quae Versiones non comparent sub Ciceronis nomine. Constat etiam, in Latinum vertisse *Timaeum* Platonis, et quaedam ex Homero, ut testatur ipse *l. 5. de Finibus*, ubi legitur Homeri locus de Sirenum cantu. *De consolatione in morte Tulliolae*, seu de *Luctu minuendo* multa scribit Cicero in *Epistt.* ad Atticum. Utrum autem genuinum Ciceronis Opus sit, quod sub hoc titulo prodiit Bononiae an. 1583? vide Dissertationes adjunctas praedicto Operi, legi dignas, a Sigonio, et Riccobono lucubratas. In lib. de *Fato* desunt multa, et nonnulla in *libb. de Divin.* Servius *in Virg.* citat Elegiam Ciceronis *Tamelastis* inscriptam. Ex ejus *Orationibus* innumeris multae interciderunt, quarum mentionem facit Cic. in *Epistt.*, et aliis Operibus, inter quas sunt *Orationes*, quibus restitit Metello Nepoti, Trib. pl., de quibus in *Epist.* ad Metellum Celerem ejus fratrem: *Oratio* pro Vatinio, quem antea acriter accusaverat: Binae pro Acilio, quem bis reum capitis, rebus salvis, defendit, de quibus in *Epist.* ad Curionem *lib. 7. Famil.:* aliae. Ex 59., quae

supersunt, nonnullae mutilae sunt, ut *Or.* pro Roscio Comoedo. In *Or.* pro Fonteio desunt multa. In *Or.* contra L. Pisonem praeter principium desunt nonnulla in medio, de quibus Hieron. Lagomarsinius ad Jacobum Facciolatum. In *Comment. Asconii* sunt fragm. *Orationum* tum pro C. Cornelio majestatis reo (quae magnum plausum meruit teste Quintiliano *l. 8.*): tum pro *M. Scauro, contra Catilinam*, et *C. Antonium* Opus inscriptum *Hortensius* de laudibus Philosophiae citatum in *Tusc. QQ.* ad nos non pervenit. Forsitan careremus ejus *Epistolis*, nisi eas invenisset celebris Petrarcha. In *Epist. 5. lib. 15.* ad Atticum loquitur Cic. de *Epistolarum* suarum collectione a Tirone procurata, deque earum correctione ante editionem. Ex memoratis Operibus apparet, eum in Oratoria, in Philosophia, in Jure Civili, et Pontif. in Militari arte, in Poesi, et disciplinis omnibus versatum, et merito in Repub. Romana variis muniis ornatum fuisse. Fuit Cos. difficillimis Reip. temporibus. In Consulatu suo patefacta, et dissipata fuit, ejus vigilantia, et eloquentia, Catilinae conjuratio. Primus dicitur, qui Patris patriae, et Reip. conservatoris titulo ornatus fuit an. V. C. 691. Verum hic titulus, post exterminatos conjurationis Catilinae socios, magnam ei invidiam conflavit, finito Consulatu. Nam P. Clodii, et aliorum potentia, exsilium, et bonorum direptionem passus est. Ast majori, post annum exsilii, gloria Romam revocatus fuit, P. Lentulo Consule, Pompejo, et multis aliis pro eo orantibus in Senatu, frustra contranitentibus Clodio, et aliis aemulis Ciceronis.

De iis, quae a multis, praesertim Triumviratus tempore, in ejus Stylo notabantur, vide Quintil. *lib. 12. Instit.*, et in *Dial. de Oratoribus*. Vide etiam in *P.* verbo *Pollio*. De ejus luctuosa morte, quae accidit an. *V. C. 711.*, ante Christum 42., aetatis ejus 64. jussu M. Antonii Trumviri, quem *Philippicis* exagitaverat, vide, praeter Plutarchum in *Vita Ciceronis*, et Rom. Histor., Marcum Sen. in *Suasor.* In adversis parum constanti animo fuisse, patet ex *Epistolis* ad Atticum. Ex *Epist.* ad Lucceium Historicum, et ex ejus Operibus apparet, eum gloriae cupidissimum fuisse, quantumvis in *Epist.* ad Catonem *lib. 15* affirmet, se in actis suis Reipub. bonum solum spectasse, et gloriam contempsisse, licet res gloriosas egisset. In fine *libri de Cl. Orat.* plura tradit de studio, et labore suo in comparanda Eloquentia: in qua adeo excelluit, ut in Oratoria Romani haberent Tullium, quem Graecis Oratoribus opponerent. Ejus vero ingenium par Imperii Rom. magnitudini a C. J. Caesare dicebatur. Vide *Tullius*: *Tulliola* in *T.* Sexagenarius, repudiata Terentia, Popiliam juvenem, et divitem duxit: iis vero, qui eum cavillabantur, eo quod senex juvenem Virginem duxisset, quid responderet? ac de aliis ejus Apophthegmatibus, vide Plut. in *Apophtheg.*

Cicero (M), praeced. filius non illiteratus, licet patre longe inferior, et doctrina, et ingenio, et moribus. Missus Athenas,

sub Cratippo Philos. Graeca studia cum Latinis conjunxit. Graece, et Latine declamare constituerat, cum Athenis esset: Graece apud Cassium: Latine apud Brutium. Ita ipse in *Epist.* ad Tironem. Vide *Epist. 21. lib. 16.* ad Famil. Haec *Epist.* Marci Cic. est ingeniose, et eleganter scripta, sed forsitan a Patre emendata, priusquam ederetur. Fuit una cum Augusto Cos., et Asiae Praefectus. Vide *Cassius*. In Consulatu suo dejici jussit, non repugnante Aug. omnes statuas, et monumenta M. Ant., qui patrem occiderat, et SC. factum, ne ullus ex Antoniis deinceps *Marcus* appellaretur.

Cicero (Q), Marci Tullii frater, Vir eruditus, et Poeta. Militavit in Gallia, et Britannia sub C. J. Ces., cui ob suam militarem virtutem charus fuit. De eo saepe loquitur Caesar in *Comment.* suis. Asiae praefuit cum laude, licet initio parum humanus esset in regimine provinciae: quod vitium fratris monitis emendavit. Ex *Epistt.* M. Tullii ad eum colligitur, eum in animo habuisse *Historiam* scribere. Utrum autem *Hist.* ediderit? non liquet. In Vett. Tragicorum fragmentis a Pithaeo collectis leguntur *Q. Cic.* Versus de *12. Signis Zodiaci*. In componendis *Tragoediis* videtur sese exercuisse: nam 16. diebus, 4. *Tragoedias* absolvit. Vide Cic. *Epist. 15.* ad eum *lib. 3.* Hae *Trag.*, et multae *Epist.* ejus ad Cic., quarum fit a Cic. mentio *lib. 3. Epist.* ad eum, ut etiam innumerae aliae ad alios, desid. Ei Cic. primas concedit in pangendis Carminibus. Vide *Epist. 4. lib. 3. Epistol.* ad Q. fratrem. In eadem Epist. fit mentio bibliothecae *Q. Ciceronis*. Initio *libri 2. de Orat.* laudat ejus *Orationis* subtilitatem, et ornatum.

Cicero (L), Marci Tullii patruelis, adolescens, Antiochi Phil. Athenis auditor. De eo Cic. *l. 5. de finibus* initio.

Cinna, Poeta Epigr. Mart. aemulus. In eum sunt multa Mart. *Epigr:* Inter alia, en breve, et lepidum, quod legitur *l. 3.*

Versiculos in me narratur scribere Cinna.
Non scribit, cujus Carmina nemo legit.

Cinna (Helvius), Poeta praeclarus, qui ante Christum an. 12. floruit. Citatur a Gel. *l. 9. c. 12.*, et *lib. 19. c. 9.* Hic per errorem occisus a plebe Rom. fuit post C. J. Caes. necem, et caput ejus hastae praefixum. Malo ei fuit *Cinnae* nomen. Nam Plebs putans, esse Corn. Cinnam Caesaris inimicum, eum occidit. S. Isidorus in *libb. Orig.* affert hujus *Cinnae* versus elegantiss. de *Malva*. De Poemate *Smyrna*, 9. annorum labore scripto a *Cinna*, meminit Quintil. *l. 10.*, et Catullus *Cinnae* amicus haec habet de *Smyrna*.

Smyrna *mei* Cinnae *nonam post denique messem,*
Quam coepta est, nonamque edita post hyemem

Servius in *Virg. Georg.* ait = *Cinna* poeta optimus fuit, qui *Smyrnam* scripsit, quem libellum decem annis *elaboravit* =. Opus istud insigne desid.

Ciperus, antea pistor, et postea caussidicus. Vide Mart. *l. 8. Epigr.*

Corollarium IV.

Circitores vocabantur, qui ludicris artibus, praestigiis, et garrulitate sua popelli plausum, et admirationem ad victum captabant in circulis otiosorum. Hi fere Graeci erant, Romam convenientes, ut populum oblectarent, et crumenas emungerent. Nonnulli ex his, ut hodierni, jactabant, se arte medica, et aliis artibus instructos esse. Romani per contemtum eos Graeculos esurientes appellabant.

Corollarium V.

Circus, (in quo Circenses ludi dabantur populo per aurigas, cum curribus, et equis, velocissime a Carceribus ad metas contendentes, praemio velociori aurigae proposito) erat locus a Rom. valde frequentatus: *Circus* Flaminius praesertim, in quo plura aedificia erant, et magna copia statuarum illum ornantium. In eo erant templa Vulcani, Neptuni, et Herculis Musarum. *Circus* Maximus, ita dictus, quia amplitudine alios superabat, erat longus 450. passibus, et latus 125.: capax 260. mil. Spectatorum. In eo fiebant venationes, cursus equorum cum curribus, et sine curribus usque ad metas, quae erant parvae quaedam columnae in extremo *Circi* positae, circa quas volvebantur currus. Fiebant etiam navales pugnae super stagnantes aquas, intra Circi aream ex fluminibus, vel aquae ductibus derivatas. Fiebat demum Ludus Trojanus a pueris nobilibus equitantibus, in varias turmas divisis, et Trojana veste indutis. *Circus* Maximus erat exterius multis porticibus, innumeris columnis marmoreis, et statuis instructus, ac decoratus, et pavimentum, seu area ita disposita, ut commode possent ludi a circumstante multitudine spectari. Saepe fuit variis casibus, ex parte saltem, corruptus, et ab Imperatoribus refectus, ac magis exornatus. Antoninus Heliogabalus eum chrysocolla constravit.

Cirinnus, Poeta Epigr., de quo cum laude Mart. *lib. 8. Epig.*

Civilis, Orator, et dux partium Vitellii contra Vespas. Vide Tacitum *l. 4. Hist.*

CL

Clarinus. De eo Mart. loquitur, ut de Viro notae doctrinae V. *Crispus*.

Claudia, Statii Poetae uxor, et Poetria, a qua adjutus dicitur Statius in suis Carminibus, teste Sidonio Apollinari.

Claudianus (Cl.), insignis Poeta sub Theod. M., et filiis. Fuit a Christi nomine alienus, ut ait S. Aug. *l. 5. de Civ. Dei*, ejus nonnulla Carm. afferens de Theod. M. victoria contra Eugenium Tyrannum. Verum Christ. Religionem demum amplexum eum fuisse, plura indicant, quae brevitati consulens missa facio. Praeter integra, quae supersunt ejus Poemata, alia mutila habemus: ut Poemata, de *Locusta*, et *de Nilo*: *Gigantomachia*: Panegyrin de *Laud. Serenae reginae*, ac postremum *lib. de Laudibus Stiliconis*. Statua ei posita fuit Romae in foro Trajani a Senatu cum inscriptione, qua indicatur eum

Notarium, et Tribunum fuisse sub Imperat. Honorio, et Arcadio. De ejus patria vaga est opinio. Verum probabilius est, eum Alexandrinum fuisse. In Prosperi *Chron. Consulari* dicitur obiisse, Olibrio, et Probino, quibus carus erat, Coss. Hi autem Coss. fuerunt an. Christi 397. Ast Poemata ab eo recitata, vel lucubrata pro Olybrii, et Probini Consulatu: pro Consulatu item tertio, quarto, et sexto Honorii, qui postremus incidit in an. Christi 406., demonstrant, eum ineunte 5. Ecclesiae Seculo adhuc in vivis fuisse. Confundendus non est cum *Claudiano* Mamerto, Christ. Poeta, Viennensi in Gallia Presbytero, cui tribuitur Hymnus Passionis: *Pange lingua gloriosi* secundum Sirmondum in *Notis ad Sidonium*. Huic etiam nonnulli tribuunt Carmina in Christi laudem, et de *Christi miraculis* alia, Christiano Poeta digna, quae leguntur inter *Claudii Claudiani* Opera, licet alii dicta Carmina S. Damaso Papae adscribant. Inter Poetas Latinos, qui post Augusti aevum Romae floruere ante Honorii excessum, vix unus, aut alter est, qui Claudiano palmam cedere non debeat in Poetica facundia, et venustate.

Claudius Caesar, Rom. Imp. Lugduni in Gallia natus, C. Caligulae, ex fratre nepotis sui, in Imperio Successor, Vir litteratus fuit, et novas litteras in Latinum Alphabetum inducere tentavit. Vide *Litterae* in *L*. In adolescentia parum aptus imperio, et negotiis publicis visus est: scribere tamen *Historias* jam tum, hortante T. Livio, institutore suo, coepit. Imperator creatus ostendit, se expertem non fuisse ingenuarum disciplinarum, quae hominem litteris deditum, et ingenio non vacuum ornare solent; licet Seneca, quem in Corsicam *Claudius* relegaverat, post hujus mortem, eum tanquam stolidum, aleatorem, iniquum Judicem, et hominem nullius ingenii depinxerit in *Ludo*, seu *Menippaea Satyra* de *Claudii* Caesaris morte; procul dubio, ut Agrippinae, secundae *Claudii* patrui uxori, cui multum Seneca debebat, quaeque maritum veneno in boleto extinxisse dicitur, assentaretur, utque inique se a Claudio in Insulam deportatum ostenderet. Vide *Seneca* in *S*. *Claudium* non pauca parum decora, et perridicula in vita sua privata, et cum Imperator esset, egisse, testatur Suet. in *ejus Vita*: licet, ut arbitror, nonnulla consulto, ut stultitiam simularet ob fines politicos sibi praefixos, admiscerit: nam librum de *Simulata Stultitia* composuit. Quidquid de his sit, Imperator creatus magnifica, et utilia opera publica Romae reliquit: inter quae ductus aquae, quam *Claudiam* vocant, quorum vestigia adhuc supersunt, de quibus operibus Suet. loquitur *cap. 20.* in *Claudio*. De cura Urbis, et annonae, cui multum invigilavit, vide Suet. *cap. 18.* Scripsit lib. de *alea*, (quo ludo valde delectabatur,) praeter jam dictum de *simulata stultitia sub Cajo*. Praeterea 43. *libb.* edidit *Histor.*, et 8. *Volumina* de *Vita sua*. Composuit etiam 20. *libb. Thuscarum Histor.*, et *Charchedonicon libb. 8.* graeco serm., quae omnia desid. Si ad nos pervenirent *Histt.* de rebus Thuscorum, seu Etrusco-

rum multa de antiquis Ethruscis, quae nunc sunt obscura, nota haberemus. Vide Suet. *c.42.* ejus *Vitae*. Imperavit an. 14.: obiit an. Christi 54. Vespas. in monte Caelio ei templum extruxit. Ad Agrippinam excusandam circa *Claudii* mortem, dici posset, *Claudium* edisse fungum ex illis, qui natura sua mortiferi sunt, inscia Agrippina, ab ignaro coco appositum Claudio, qui libenter boletis pascebatur.

Claudius (Servius), ejus *Commentt.* citantur a Gel. *l. 13. c. 21. NN.*

Claudius (Appius), ex gente Claudia, de qua Suet. initio *Vitae Claudii Caesaris*. Fuit alter ex Decemviris, qui Leges 12. Tabul., ex quibus Jus Rom. profluxit, ordinarunt, et promulgarunt. Hae Leges ab hoc Claudio, viro praestantis doctrinae pro temporibus illis, nondum multum excultis, digestae dicuntur. Vide *Leges* in *L. Tabulae* in *T.* Heic adnotare libet, eos qui antea *Claudii* appellabantur postea *Clodios* dictos fuisse, mutato diphthongo *Au* in *O*.

Claudius (Appius), Orator, et Jurisperitus, qui Milonem ambitus accusavit. Ita Asconius Paedianus. Arbitror, hunc fuisse *Appium Pulchrum*, P. Clodii fratrem. In *Bruto* eum Cic. appellat *Virum doctum in Jure Augurali, et publico*, ut etiam in Antiquitatibus, et Oratoria. Fuit Cos. cum P. Domitio, et obiit ante pugnam Pharsalicam, Acajae Praef. a Pompejo creatus. Verisimile arbitror, eum accusasse Milonem, fratris instigatione. Notae sunt simultates inter P. Clodium, et Milonem, qui tandem Clodium, qui ei, si Ciceroni credimus, in via insidias parabat, occidit. Vide Ciceronis *Orat. pro Milone*. In ea contendit Cic., Milonem, occidendo Clod., vim vi repulisse. *Oratio Appii Pulchri* de ambitu contra Milonem, et aliae *Orat.* desid. Vide *Pulcher* in *P.*, ubi alia de hoc *Appio Claudio*, seu *Clodio*.

Clemens, Alexand. Pantaeni discip., et ejus successor in Schola Christiana Alexandrina, ac magister Origenis, qui postea in eadem Schola sacras litteras docuit. Plura *OO.* doctiss. edidit contra Ethnicos, et varios haeret.: sed multa desid., et quae habemus ex ejus *Stromatibus* mutila sunt. Deest namque initium *lib.* 1., et 8.: quinimmo *lib. octavus Stromatum* reputatur coagmentatus ex aliorum Operum fragmentis, et adjectus 7. *libris* ad *Stromatum* complementum. Floruit initio 3. Eccl. Sec.

Clemens (Terentius), Juliani Jurisconsulti sectator, et ut videtur, eo familiariter usus in quaestionibus juris solvendis, a cujus sententiis vix discedit. Scripsit *libros 20.* ad *Legem Juliam*, et *Papiam*, quorum fragmenta in *Pandectis* supersunt. Integra Opera non extant, vel latent.

Clemens, Poeta, Apulejo famil., et amicus, a quo suaviss. eruditissimus, et suus appellatur. Edidit *Vitam Severi Alex.* Rom. Imp. optimis versib., quod *Poema* desid. Laudatur ab Apulejo in *Floridis*.

S. *Clemens*, Papa, et M., Apostolorum discip., et adjutor, cujus meminit S. Paullus in *Epist.* suis. Floruit 1. Eccl. Seculo; et initio

2. Nonnullas scripsit *Epist.* ad Eccl. Corinthiorum, quarum altera integra non exstat. Scripsit etiam *Lithurgiam*, qua ex S. Petri institutione Rom. Ecclesia utebatur, quaeque processu temporis multis est aucta. Plura ei tribuuntur *Scripta*, quae subdititia a Criticis censentur. Nonnulla ei tribuunt S. Paulli *Epist. ad Hebraeos*, quod non improbabile existimo, si intelligant, eo amanuensi usum S. Paullum ad eam scribendam: cum adjutor S. Paulli in Evangelio propagando fuerit. Obiit an. 3. Trajani, cujus jussu fuerat ad Cheronesum Ponti exsul missus, ubi martyrio fuit laureatus. Romae cognita ejus morte, S. Anacletus fuit ei in Rom. sedem subrogatus. Ita Hist. Eccl. Nihilominus S. Epiph. tradit, se Pontificatu abdicasse, cum in Pontum fuit deportatus.

Cleopatra, Aegypti celebris regina, Ptolemaei Auletis filia, M. Ant. Triumviro nupta post repudiatam ab Ant. Augusti sororem. Unionem ingentis pretii liquefactum potandum in coena dedit M. Antonio, quo cum navigabat vecta navigio immenso sumptu ornato: adeo luxu ea, et pompa delectabatur. Scripsit *Librum* de *Ornatu Corporis*, cujus fragm. affert Galenus de *Alopecis* agens. Victo M. Ant. ab Aug. Caesare, se interemit, ne in triumphum Romam a Victore abduceretur. Ita Rom. Hist. Filium habuit, quem *Caesarionem* appellabat, quia eum ex C. J. Caesare habuisse, cum, devicto Pompejo, Alexandriam expugnavit, ipsa testabatur, et multi credidere: cum notum esset, Caesarem Alexandriae commorantem, valde familiariter cum ea egisse, et in testamento videtur Caesar aliquid de hoc filio indicasse.

Clodia, Poetria, et Catulli amica, ficto nomine, *Lesbia*, a Catullo in *Carmm.* suis appellata. Ita Sidon. Apoll. in *Epist.* ad Hesperium, et Mart. *lib. 8. Epigr.*

Clodius (P), juratus Ciceronis inimicus, Trib. pl., et Orator factiosus, qui Ciceronem Roma expulit, et ex tota Italia cum Trib. pl. esset. Erat ex clarissima Claudiorum familia, et plebejus esse voluit, ut Trib. pl. esse posset. Diem in Senatu eximebat orando, cum Senator erat, ut moram injiceret negotiis, et viris probis noceret. Ciceronem non modo exsulare coegit, sed ejus domum Romae, ac villas incendit, bonis ejus publicatis. Accusavit incesti plures Virg. Vestales, defensas a Catone Uticensi. V. *Piso* in *P. Orat.* habuit contra Ciceronem, cum in patriam fuit ab exsilio reductus totius Italiae plausu. Cui respondit Cic. *Oratione de Haruspicum responsis* an. V. C. 697. Occisus fuit a Milone, cliente, et amico Ciceronis. *Oratt. P. Clodii* desid. Vide *Claudius* supra.

Clodius (P), alter posterior, Orator Mercenarius. Vide Tac. *l. 11. Ann.*

Clodius (Sabinus), Rhetor, solitus uno die declamare Graece, et Latine, sumpto pallio, cum Graece: sumpta toga, cum Latine declamabat. Ita Sen. *l. 9. Controv.* Ejus *Decl.* desid.

Clodius, Hist. scripsit *lib.* inscriptum *Index temporum*, citatum a Plut. initio *Vitae Numae*.

Cladius (Sextus), Orator male oculatus, et notae dicacitatis. Carus fuit M. Ant. Triumviro, cujus fuerat in eloquentia institutor. Ei pro mercede laboris in eo docendo, ut nihil disceret, (si Ciceroni contra eum oranti credimus) duo millia jugerum, cum esset Cos. Ant. assignavit, addita immunitate. Ita Cic. in *Philippicis*.

CO

Corollarium VI.

Codex Theodosianus, libris 16. distinctus (M. Constantini, et sequentium Imperat. usque ad Theod. juniorem, cujus jussu fuit editus, Constitutiones, seu Leges continens, et Honorio imperante compositus) integer non est. Constitutiones, quae exstant, illius aevi Imperatorum, illustratae fuerunt, a Jacobo Gothofredo, insigni Jurisconsulto. Ejus tamen *Comment.* post ejus mortem editi fuerunt aliquot voluminibus in fol. cum *Legum* Chronologia, et Indicibus locupletissimis.

Codrus, Poeta pauperr. scripsit *Theseidem*, sive de *Gestis Thesei*. Vide Juven. *Sat.* 1., ubi eum *raucum* appellat, dicens:

Nunquam ne reponam?
Vexatus toties rauci Theseide Codri?

quibus indicat, saepe *Poema* illud tunc temporis solitum a *Codro* recitari, sed rauca voce.

Coelestinus, sive *Caelestinus* scripsit *Vitas Valeriani*, et *Gallieni* Imper., sub quib. fl. Ita Treb. Pollio.

Coelestius, acerrimus, et male ingeniosus Pelagianismi defensor, ac per Africam disseminator. Plura edidit, quorum fragm. in Operibus S. Aug. contra Pelagianos leguntur. Caetera perierunt.

Coelius (C), Orator magni nominis, Quintiliani discipulus. Ejus *Orat.* desid.

Coeranius, Phil. non exigui meriti, laudatus ab Ammiano Marcel.

Coesius, Poeta pessimus, si Catullum audimus in *Carm. ad Licin. Calvum*. V. *Aquinus* in *A*.

Collyridiani, haeret. in fine 4. Eccl. Sec., indebito honore Dei Genitricem afficientes, eam, ut Deam colendo, et sacrificia, soli Deo debita, offerendo. *Collyridiani* appellabantur, eo quod collyridam, seu placentam super linteum in altum elatum, ex qua postea communicabant, B. Virgini, statis diebus, solemniter offerebant. Nulla horum *Scripta* exstant, quae legantur.

Corollarium VII.

Collegia. Olim praeter sacra, ac litterata Collegia Ethnicorum Pontificum, Curionum, XV. Virorum, Vestalium, Augurum, Haruspicum, Poetarum, Caussidicorum, Notariorum caet., erant Romae, et in Provinciis Collegia Mercatorum, Naviculariorum. Cantorum, Veterinorum, Aurigarum Circensium, suis coloribus in veste distinctorum, et diversarum factionum, Opificum caet. De iis, et aliis Collegiis fit mentio in Historiis Rom., et antiquis Inscriptionibus.

Gladiatorum Collegia suas Scholas habebant, et Magistros, quos Lanistas vocabant. Haec Collegia, Ordines, et Societates etiam appellabantur.

Corollarium VIII.

Coloniae innumerae per Rom. Imperii provincias a Romanis deducebantur, ad eas missis, multis incolis Urbis, praesertim egenis, quibus hoc pacto Urbs refertissima (imperante enim Claudio 6. milliones incolarum Romae erant, si Historici numerum non exaggerant) incolis exonerabatur, et egenis subveniebatur assignatis agris, quos colerent. Ex his Coloniis, quae erant veluti Imperii propugnacula in provinciis, recens acquisitis, aliae *Romanae* vocabantur: *Latinae* aliae. Primae erant veluti Romae suburbia, et Coloni, Cives Romani censebantur, tanquam si Romae degerent, ac jus suffragii in comitiis habebant. *Latinae* jure Latii tantum gaudebant sine suffragio in Magistratuum Rom. electione. Ex his *Coloniis*, in quibus familiae illustres erant, non pauci ad praecipua Reip. munia Praeturae, et Consulatus ascendebant. Per has *Coloniarum* deductiones Latina lingua, Romana litteratura, et Romani mores fuerunt per Orbem propagati, maxime postquam Jura Romanae Civitatis omnibus imperio subditis fuerunt impertita Antonini Caracallae indulgentia. *Coloniae Romanae* Romanis legibus regebantur: Municipia vero proprias leges habebant. Vide *Municipia* in *M.*

Columella (L. Jun. Moderatus), insignis, et elegans de *re rustica* Hispanus Scriptor, qui florebat secundum Ricciol. an. Christi 270. Verum ex ejus latinitate, et ex aliis suspicantur, et affirmant aliqui, sub Claudio Caesare floruisse. Praeter *lib.* de *Arboribus*, Opus *Columellae de re Rust.*, (quod in Hispania videtur scripsisse) *12. libros* comprehendit, quorum decimus, qui est de *cultu hortorum*, heroico Carmine lucubratus fuit: forsitan, ut supplementi loco esse posset *Virgilii Georgicis*. Reliqui *libri* sunt soluto sermone scripti, et totum Opus ad P. Sylvinum directum. Alia, siqua edidit, sive soluta, sive metrica oratione desid. Inventum fuit *Columellae* Opus a Poggio. Sunt qui arbitrentur, eum servilis conditionis fuisse, quia veteres *Columellas* appellabant servos primarios familiarum, teste Donato, qui ad id comprobandum adducit versum Lucilii de Metrophane ejus servo, quem in Epitaphio ei posito *Columellam* appellat. Ast valde longe petita mihi videtur haec servilis conditio *Columellae* nostri, et levi argumento nixa.

Columella (M), praecedentis patruus, illustribus disciplinis omnibus eruditus, ac diligentiss. agricola. Ita ejus nepos *lib. 5. de re rustica*. Crediderim, L. Junium a patruo in multis fuisse adjutum ad Opus suum lucubrandum, ac ab eodem fuisse disciplinis imbutum.

Corollarium IX.

Comitia Populi Romani, quae in Campo Martio Romae haberi solebant ad Suffragia in Sacerdotum, et Magistratuum electionibus, et

aliis ad Rempub. spectantibus ferenda, Congregatio erat populi Rom. per Tribus distributi, si Comitia *Tributa* erant; si *Centuriata* per Centurias, si *Curiata* per *Curias*. Licet frequentius in Campo Martio *Comitia* haberentur, nonnunquam etiam fiebant in Foro: nonnunquam in Capitolio, ac etiam in Circo Flaminio. In *Comitiis* Leges ferebantur, et Judicia graviora exercebantur. Primum suffragia clara voce Suffragatores dabant: postea, *lege Tabellaria* lata, per tabellas; cum certis litteris suffragium indicantibus. Tabellas cistis quibusdam, in ponte collocatis, per illum transeuntes Suffragatores inferebant; quibus per viros fidos collectis, et notatis, ad majorem suffragiorum numerum negotium transigebatur. Qui petebant Magistratum veste candida populum circuibant, demisse suffragia petentes, manus Suffragatorum prensantes, ac amice salutantes, ut sibi suffragia darent, et ab hac veste *Candidati* Petitores vocabantur. Qui erant ad populum accusati, vel de vi, vel de majestate, vel de repetundis, aut de alio gravi crimine, pullata, et sordida veste incedebant, ut ad commiserationem populum excitarent. Ante suffragia ab iis, qui *Comitiis* praesidebant, *Oratio* habebatur, in qua de re, quae erat agenda in *Comitiis* populus docebatur. Tribuni plebis, *Comitiorum* tempore, multa contra Patricios movere solebant, cum aliqua Senatusconsulta parum Plebi faventia in Senatu fiebant. Qui pecunia aliquem ex popularibus praecipuis ad obtinendum Magistratum corrumpebat, poterat ambitus accusari. Cum Cicero, competitore Catilina, Cos. fuit creatus, ambitu in dies aucto, major poena ambitus reis, lege lata, constituta fuit, 10. scilicet annorum exsilii: pro qua lege, cui a non paucis repugnabatur, *Orationem* elegantiss. Cic. habuit, quae desid. *Calata Comitia* dicebantur, quia populus ad conveniendum *calabatur* a verbo Graeco *Kalo*, quod vocare significat, unde *Kalendae* dictae quia prima die mensis mittebantur praecones ad oppida dicentes: *vocat vos Senatus ad nundinas*. Alia de *Comitiis* vide apud Romanos Histor.

Comminius (Posthumus), Orator, et Cos. accurata *Oratione* laudavit Coriolanum apud Milites. V. Val. Max. *l. 4. c. 3.*

Comminius (C.), Poeta. Satyr. *Carm.* scripsit in Tiberium Caes., qui in fratris gratiam ei vitam donavit. Ita Tac. *l. 4. Ann.*

Commodianus, Afer, Christianus, scripsit initio 4. Eccl. Seculi *Versu hexametro* contra Ethnicos, non servata Syllabarum quantitate, quam neque Homerus multum curavit, teste Eunapio in *Vita Acacii* Sophistae, sonore vocum contentus: quod nescio, an superstitiosi Homeri cultores, et divinum Poetam eum appellantes, sint probaturi.

Commodus (Aurelius Antoninus), Imperator, Neroni in vitae ratione valde similis, quamvis optimo patre M. Aurelio Phil. natus. Lucillam sororem, quae cum aliis in eum conspiraverat, occidit, quaestionem habente Perenni Praef. prius, qui postea etiam ob similem

culpam fuit capite plexus. Baco Verul. *de Augm. Scientiarum* tradit, eum fuisse molliori studiorum genere, (cura proculdubio patris) eruditum, et teste Modestino in *Digest.* immunitatem concessit Rhetoribus, Philosophis, Grammaticis, et Medicis. Suorum insidiis, quos necandos decreverat, oppressus fuit post 12. an. imperii, an. aetatis 31. Christi 292. Vide Xiphilinum, et Lampridium.

BREVIS DISSERTATIO DE CONCILIIS GENERALIBUS IN ORIENTE CELEBRATIS.

Concilia Ecclesiastica complura, ante, et post Constantinum M. primis 4. Eccl. Sec. habita, desiderari indubitatum est. Non pauca item ex illis, quae supersunt, manca, et mutila esse constat, partim injuria temporum, et Ethnicorum in Christianorum scripta odio, partim librariorum negligentia, et partim etiam nequitia haereticorum per ea damnatorum. Utrum autem Concilia, sive Synodi praesertim Generales in Oriente celebratae a Constantini M. regimine ad Honorium, Latino sermone, anve Graeco habitae fuerint? Videtur res parum discussa, et minus explorata. Communis opinio, Concilia ista Orientialia Graeco sermone habita, et omnia in eo Graece pertractata, tenet: propterea quod in illis maxima Patrum congregatorum pars essent Episcopi Ecclesiarum Orientalium, in quibus Graeco sermone res divina agebatur, et quia vix ulla antiqua horum Conciliorum Exemplaria, praeterquam Graeca, supersunt, et Latina, ex Graecis Exemplaribus conversa, valde recentia sunt, a viris Graece, et Latine doctis lucubrata. Huic opinioni, sive persuasioni, quam vocatam in dubium non legi, opponi posse mihi videntur sequentia. 1. quia Latina Lingua, multis in Orientem deductis Romanorum Coloniis, et innumeris Romanis cum publicis muniis per Orientis provincias dispersis, ac maxime Romanorum Imperatorum politicis decretis, et cura, Lingua communis, ac veluti vernacula totius Romani Imperii facta erat inter urbane educatos: praesertim postquam Jus Romanae Civitatis omnibus Romano Imperio subjectis populis fuit impertitum. Vide *Coloniae* in *C. Lingua* Latina in *L.* 2. quia Praesides Conciliorum Generalium, seu legati a Romano Pont., ut Conciliis praesedent, Clerici Romani, seu Occidentis Ecclesiae, quae Latina dicitur, ut plurimum erant, quibus non Graeca, sed Latina lingua familiaris erat; oportebatque ab eis plane intelligi, quae in Conciliis agitabantur, et statuebantur, ut Romanum Pontif. absentem possent de illis reddere certiorem. 3. quia Conciliis Generalibus aderant, vel Imperatores ipsi, (quod de Constantino M. in Nicaeno novimus, et in aliis de aliis Imperatoribus,) aut saltem Provinciae Praesides cum urbanis Magistratibus, ut tranquille omnia procederent, et nequid contra Imperii leges decerneretur: quod etiam in Conciliis nationalibus Hispaniae, Gothorum tempore observatum

fuit. Toletanis enim Conciliis aderant Reges; Viri primarii, sive Summates regni Regem comitabantur, et Patrum sessionibus praesentes erant: Congruum autem erat, et dignitati, tum Rom. Imperii, tum Romanae Ecclesiae respondebat, res sermone Latino, seu Romano, a viris doctis, Romanae linguae non expertibus, pertractari. 4., quia Romanis legibus vetitum erat, negotia publica, praesertim judicialia, lingua alia, quam Latina expediri. In Conciliis autem, et negotia publica, et judicialia agitabantur: cum Patres de haereticis, et erroribus eorum Judicium ferrent, ac plurima ad Religionem, ad disciplinam, et sacra publica Imperii spectantia decernerent. 5. quia Constantinus M. in Concilio Nicaeno, teste Eusebio in ejus *Vita*, *Orationem* habuit Latino sermone ad coetum Sanctorum, seu ad Episcoporum coetum Nicaeae Congregatorum, quod indicat, illic Latinum sermonem, et a Patribus intellectum, et ab eisdem usurpatum. 6., quia Acta Conciliorum mittenda erant a Legatis ad Rom. Pont. Romam, ut a Concilio Patrum Occidentalium, et a Clero Romano discuterentur, subscriptioneque Romani Pontificis probarentur, et confirmarentur: quod opus erat, ut Concilium legitimum haberetur, ac per omnes Orbis Ecclesias promulgaretur. Ad hoc autem necesse erat, Latinum exemplar Actorum, et definitorum in Concilio, Romam mitti, ut secundum hoc exemplar, (forsitan in nonnullis Romae emendatum) exemplar Graecum authenticum postea ederetur: nec parum controversum fuit in Conc. Nicaeno, quaenam vox Graeca responderet voci Latinae *consubstantialis*, quae Latinorum menti, et definitioni canonicae non repugnaret. Tandem, quia constat, in Concilio Chalcedonensi Seculo 5. celebrato, cui interfuit Marcianus Imperator, lectam fuisse Epist. S. Leonis Latino sermone, et Marcianum Latino sermone primum Patres allocutum fuisse.

Nec ista satis convelluntur rationibus pro communi persuasione superius adductis. Verum est, maximam Episcoporum partem, qui ad Concilia Generalia in Oriente celebrata confluebant, Graecos, vel Asiaticos fuisse; at hi Viri eruditi erant, inter quos lingua Romana tunc temporis communis erat, ut antea Graeca, et idcirco non semel Graeci, et Asiatici creabantur Ecclesiarum Occidentis, etiam Romanae, Praesules, ut ex Serie Pontificum Romanorum, et aliarum Occidentis Ecclesiarum constat; quod non contigisset, si illi, et Romana lingua eruditi, et Romanis moribus instituti non fuissent. Verum item est, pleraque exemplaria Conciliorum, quae Latino sermone habemus, ex Graecis exemplaribus recens conversa fuisse. Hoc autem neutiquam probat, non fuisse olim Latina exemplaria, et quidem primaeva, illorum Conciliorum; sed solum haec, ut plura alia antiqua Latina monumenta, Barbarorum in Occidentis provincias incursione, ac incendiis bibliothecarum, et archivorum, belli occasione excitatis, corrupta atque deperdita fuisse. Nemo enim inficias iverit, Latina olim exemplaria Conciliorum Orientalium in scriniis Rom.

Ecclesiae reposita fuisse, etiamsi Concilia illa Graeco sermone, vel Arabico, vel Aegyptiaco celebrata fuissent. Sed de his hactenus: quae virorum eruditorum judicio submitto, non desperans, a nonnullis saltem viris doctis, qui adductas perpenderint rationes, probabile reputandum, quod primo adspectu parum verisimile videtur, ob praejudicatam sine multo examine contrariam opinionem. Veritas nempe nondum est occupata, ait L. An. Seneca, multumque ex illa posteris relictum est, cum ea sit omnium temporum, atque ingeniorum: audendumque est in examen vocare, quae fuerunt sine multa indagine recepta, ne aliorum sententias dicamur more pecudum sequi, vel in aliorum dicta jurare, cum de re agitur, quae nullum moribus, nullum fidei Catholicae regulis affert intertrimentum.

Conon. Scripsit *lib. de Italia*, citatum a Servio in Virg. *Aeneidem*.

Constantinus (Flavius), *Magnus* dictus, Rom. Imperator, Constantii Chlori, et S. Helenae filius, in Britannia natus. Primus fuit ex Rom. Imperatoribus, qui Christianam Religionem publice professus est, eique multum Christi Ecclesia debet. De loco, ubi baptismum susceperit, vaga est opinio. Oppositas Sententias facili negotio ego conciliarem, si Ecclesiasticam Hist. scriberem. Ejus militaria decora, et singularis peritia in belli, et pacis artibus sunt notissima, ut etiam ejus in Christianam Religionem, quam per totum Rom. Imperium propagare studuit, merita: quidquid contra eum scripserint Philosophi, et Historici Ethnici, sui, et posterioris temporis, qui ejus Christianam professionem aequo animo tolerare non poterant, uti neque Ethnicae superstitionis ruinam, quam imminere cernebant. Plurimas habuit in Castris ad milites, et in Senatu ad Senatores *Orationes* Latinas, quae desiderantur. Eusebius affert in ejus *Vita Orat.*, quam Lat. sermone habuit ad coetum Sanctorum, in Concilio scilicet Nicaeno, eo imperante, celebrato habitam, in Graecum conversam: quam dicunt nonnulli longiorem fuisse ea, quam affert Eusebius. Narrat etiam Euseb. eum plures alias *Orat.* composuisse. In ea quam affert Eusebius, adducuntur versus Sybillae Erythraeae, in quibus capitales litterae reddunt hanc sententiam: *Jesus Christus, Dei filius, Servator, Crux*, et plura continentes contra Fatum Ethnicorum. Supersunt non paucae Leges, et Epistolae Constantini in *Cod. Theodosiano*. Vide *Ablavius* in *A*. Bibliothecam Ecclesiasticam Constantinopoli instruxit. Vide *Biblia* in *B*. Apud Graecos cultum publicum habuit. De ejus virtutibus, et vitiis, vide Hist. Eccles. Imperavit an. 30., et menses aliquot. Fundavit Constantinopolim, ubi antea Byzantium fuit: ac in eam translata Imperii sede, voluit, dictam urbem Novam Romam appellari. Obiit an. Christi 337., cum antea Imperium inter filios divisisset.

Constantinus, Caesar, Constantini M. filius, cui pater, cognita ejus in litteras propensione, bibliothecae a se erectae curam commisit. Occisus fuit Aquilejae an. Christi 340. nondum finito Imperii triennio, cum in Constantem fratrem bellare coepisset, parum contentus divisione, a Patre facta.

Constans, praecedentis frater, suis provinciis Constantini fratris occisi provincias adjunxit. Verum postea a Magnentio Tyranno, missis percussoribus, in tentorio fuit trucidatus an. Christi 350: aetatis 30: imperii 13. Leges tulit una cum Constantio, quibus Artes promovit. Catholicorum partes in Occidente multum fovit contra Arianos, dum imperavit.

Constantius, qui, post patrem Constantinum M., Orientis imperio praefuit, belli artibus, et eloquentia claruit, ac saepe victor contra Imperii hostes evasit. Vetranionis Tyranni milites eloquentia sua ad se traxit. Magnentium, Tyrannum alterum, qui Provincias fratrum occisorum invaserat, armis fudit, et profligavit, deque eo solus jam imperans Romae triumphavit. Ab Arianis seductus, Catholicis infensus fuit. Cum bellum pararet in patruelem Julianum Apostatam, qui in Gallia fuerat a militibus Imperator renunciatus, obiit febri correptus, an. Christi 361: aetatis 40: imperii 24. In *Cod. Theodosiano* sunt plures ejus leges ad Praeff. pr. directas. Inter alias una est an. 7. Imperii, lata ab ipso, et fratre Constante, qua immunitates conceduntur Mechanicis, Geometris, Architectis, et aquarum libratoribus, jubeturque, alios his artibus informari ab iis, qui apti docendo fuerint.

Corollarium X.

Consules Romae, post Reges ejectos, creati fuerunt cum potestate pene regia, sed ad annum tantum, et bini a populo eligebantur: primum ex solis Patriciis, et postea etiam ex Plebeiis, qui belli, et pacis artibus eminebant. Ad eos spectabat referre in Senatu, cui praeerant, quae in eo deliberanda, ac decernenda erant: oportebatque eos, et Eloquentiae, et Juris Romani expertes non esse. Consularis potestas civilis diversa erat ab imperio consulari militari. Innumerae Consulum *Orationes*, et negotiorum *Relationes* desid. Cum Cos. per Urbem incedebat, praecedebant lictores 12. cum fascibus, et securibus in signum potestatis, et jurisdictionis. Ut Graeci per Olympiades, Romani per *Consules* fere annos numerabant. Nemo iterum Cos. eligi poterat, nisi post 10. annos prioris Consulatus. Huic legi derogatum fuit cum Scipio Junior Cos. factus fuit.

Corollarium XI.

Convivia Romanorum fuerunt legibus sumptuariis saepe moderata; luxu tamen cum divitiis in immensum aucto, *Convivia* praeter modum sumptuosa Romae fiebant, quaesitis ex Imperii provinciis, quae gulae, et luxui fovendis idonea videbantur. Vide Romanos Scriptores, qui de Vitellii, et Heliogabali coenis agunt. Vide etiam Nieuport de *Ritibus vet. Romanorum*. Contra haec immoderata *Convivia* sunt Petronii Satyrica Carmina.

Coponius (C), Vir Praetorius, classi Rhodiae Praef. vir prudens, et doctus, de quo Cic. *l. 1. de Divinatione* sub persona Q. Fratris disserit.

Corbulo (CN. Domitius), vir doctrina, et militari virtute clarus, a Romanis Histor. celebratus, et a Nerone occisus. Edidit *Descriptionem locorum*, in quibus militaverat, Europae scilicet, et Asiae, ut indicat Plin. *H. N. l. 5. c. 24.*, et *lib. 6. c. 8.* Tacitus *l. 15. Ann.* tradit, eum res a se gestas scripsisse. Haec autem Scripta desid.

Cordus (A. Cremutius), Senator, Orator, et Histor. De eo L. Sen. in *Consol.* ad Martiam *c. 1.* Scripsit *Annales*, qui jussu Senatus, vel Tiberii potius (cui Senatus serviliter adulabatur), jussu, flammis traditi fuerunt, eo quod in illis Brutum laudaret, et Cassium ultimum Roman. appellaret. Nihilominus exemplaria aliquot *Annalium* servata fuerunt a *Cordi* amicis, et a Martia filia. *Cordus* post oratam pro se, et libris suis caussam in Senatu eloquentia non vulgari, spontanea inedia vivere desiit. Ita Tac. *l. 4. Ann.*: addens: *Quo magis socordiam eorum irridere libet, qui praesenti potentia credunt, extingui posse etiam sequentis aevi memoriam. Nam contra: punitis ingeniis gliscit auctoritas: neque aliud externi reges, aut qui eadem saevitia usi sunt, nisi dedecus sibi, atque aliis gloriam peperere.* C. Caligula Caesar, initio Imperii sui, T. Labieni, A. Cordi, et Cassii Severi Scripta, Senatusconsultis abolita, requiri, et lectitari permisit. Ita Suet. in *C. Caligula*. *Cordi Histt.*, et *Oratt.* desid.

Cordus (Val.), Alex. Severi praeceptor.

Cordus (Junius), citatur a Lampridio tanquam Scriptor *Vitae Maximini Caes.*, sub quo, et sub Gordianis floruit. Scripsit etiam *Vitas minus celebrium Imperat.*, qui tamen multas minutias, et ineptias est consectatus. Ab antiquis Scriptoribus nunc *Junius*, nunc *Aelius* vocatur. Ejus *Hist.* desid.

Coriolanus, insignis Romanus, qui accusatus, pro se varias *Orat.* habuit, de quibus Plut. in ejus *Vita*. Nihilominus fuit exsilio multatus, et multis precibus postea Romam revocatus, ne Romae, dux hostium factus, nocumentum, et perniciem iratus inferret, vindictae cupidus.

Corinna, quo sub nomine Ovidius Augusti filiam Juliam, amicam, et fautricem suam, ut multi credunt, appellabat. Poetria fuit, quae, teste Sidonio Appollinari *lib. 2. Epist. 10.*, Ovidium in lucubrandis Carminibus adjuvit, saepe versum cum eo complens. Nulla ejus Opera supersunt. Multa tamen dicta ingeniosa de ea narrantur, et nonnulla, quae petulans, et impudicum ejus ingenium, ac mores lascivos ostendunt.

Cornelia, Matrona Rom. doctissima, et nobilissima, Gracchorum Mater, ex Scipionibus orta, ab antiquis Rom. Scriptoribus ob elegantiam in Latino sermone valde commendata. Nec minus commendatione digna fuit ob ejus prudentiam, et in Rempublicam amorem: quae dotes apparent ex fragm. *Epist.* ad C. filium: Ea *Epistola* revocare conabatur Cajum filium ab ambitiosis ejus in Rempub. conatibus, et seditiosis in Patricios concionibus, exemplo fratris Tiberii, ob hos conatus turbulentos occisi. Eidem funestum exitum vaticinatur, nisi

ab inceptis desistat, desinatque, et Matri, et Reipub. molestiam, et sollicitudines creare. Eventus Matris vaticinium verum probavit. Vide *Gracchus* in G.: vide etiam Val. Max. *lib.* 4. *c.* 3. Cicero in *Bruto* ait, se legisse Epistolas *Corneliae*, et ejus Latinum sermonem laudat. Cum Matronae Romanae eam infelicem appellarent, eo quod 12. filios amisisset, omnibusque orbata esset; respondebat, nunquam se miseram aestimaturam eam Matrem, quae Tiberium, et Cajum Gracchum peperisset, adolescentes nempe doctiss., et eloquentissimos, qui fortasse, bono animo sine regnandi ambitu, plebem defendebant, licet Patriciis, quibus resistebant, aliud videretur.

Cornelius, Patavinus Sacerdos nobilis, et Vates, T. Livii Patavini familiaris, Pharsalicae pugnae, Patavii manens, animo praesens fuit, ope proculdubio daemonis. Cum pugnabatur, omnia, quae pugnando gerebantur, se conspicari succlamabat, ac narrabat praesentibus: et tandem Caesarem vicisse affirmavit, eodem tempore, quo victoriam est adeptus. Haec narrat T. Livius, et ex eo Plut., et alii antiqui.

Cornelius, Rom. Pont. singularis doctrinae, et pietatis fama Romae ante Pontificatum inter Christianos clarus. Electus post S. Fabianum, qui Martyr occubuit an. Christi 250., parum laetum habuit Pontificatus initium. Nam praeter oppugnationem Ethnicorum contra Ecclesiam debacchantium, Novatus, a paucis electus, primum Schisma in Ecclesia conflavit magno cum scandalo, et Christianorum, et Ethnicorum. Scripsit varias *Epistt.* ex quibus supersunt binae ad S. Cyprianum, qui plures ad eum scripsit, et apud Eusebium fragm. alterius satis prolixae ad Fabium, Antiochenum Episc., quae Novatianae haereseos caussas, et anathema, continebat. Ad hunc Fabium 4. scripsisse ait in lib. de *Script. Eccles.* S. Hier. Multa ab Ethnicis, et a Novatianis perpessus est. Obiit post annum, et menses aliquot Pontificatus in exsilio. De anno, quo obiit, variant Scriptores Ecclesiastici.

Cornificius (Q), Poeta Epigram., qui ab ignavis commilitionibus occisus fuit, quia eos *lepores galeatos* appellabat. Ita M. Sen., et ex eo S. Hieron. Macrobius citat varios *Cornificii* hujus libros, qui, ut etiam ejus Carm. desid. Erat Virgilio infensus.

Cornificius (Q), a praecedenti diversus, licet ejusdem nominis, et praenominis. Fuit hic magnus Rhetor, ad quem Cic. misit librum suum de *Optimo genere dicendi*, ut constat ex Cicer. *Epist.* ad eum. Ei nonnulli tribuunt libros 4. *Rhetoricorum ad Heren.*, qui inter Opera Ciceronis leguntur.

Cornificia, Cornificii Poetae Soror, Poetria. Scripsit Epigrammata sub Aug., et sunt, qui testentur, eam in extemporali Carmine pangendo fratrem superasse.

Cornutus (Annaeus), Afer, Gramm., Phil. Stoicus, et Poeta, scripsit de *Orthographia*, et citatur a Macrobio, Servio, et Cassiodoro. Edidit *Comment. in Virg.* Silio Italico dicatos. *Commentarii in Virg.* citantur a Gellio, qui Virg. contra *Cornutum*, et Commentatores alios

defendit, et a Macrobio *lib. Saturn.* Scripsit insuper *libros de Figuris Sentent.*, quorum secundus citatur a Gellio *l. 9. c. 10. NN.* Haec *OO.*, ut etiam ejus libri Philosophici, et *Tragoediae*, de quibus Suet. in *Vita Persii* desid. Fuit Persii, et Lucani Magister, et de eo meminit Persius *Sat. 5.* cum laude. Adeo autem Persio charus fuit, ut is moriens ei legaverit 700. volumina bibliothecae suae, et non levem pecuniae summam. Libros *Cornutus* accepit; Pecuniam vero matri, et sororibus Persii remisit, vel generose condonavit. Eusebius ad an. Christi 69. tradit, *Cornutum* Neronis jussu exulasse cum aliis viris illustribus. Suidas addit, eum una cum Mussonio occisum. Si ita est, hic Mussonius diversus est ab eo, de quo Verbo *Mussonius* in littera *M.* Vide *Persius* in *P.*

Cornutus (M), Poeta Satyricus, cujus meminit Fulgentius Gram. verbo *Titivillitium*. Ejus *Sat.* desid. Alius fuit *Cornutus* (*Gnejus* dictus), qui interpres fuit *Sayrarum Persii*, cujus exstant *Commentarii*.

Corvinus, Orator, et Gramm. minime vulgatis. De eo agitur in *Dial. de Oratt.* Scripsit *libb. de singulis litteris*. De eodem, et de ejus fratre, tanquam de viris insignis doctrinae Hor. *l. 1. Sat. 10.* Ambo Oratores fuere. Alter tamen in *Dial. de Oratt.* notatur, eo quod initio suarum Orationum de sua parum firma valetudine saepe conquereretur. De altero autem dicitur in eodem *Dial.* = Cicerone mitior Corvinus, et dulcior, et in verbis magis elaboratus = Forsitan haec de Messala *Corvino*, viro eloquentissimo, qui alius ab his mihi fuisse videtur, sunt intelligenda, ac de tribus Corvinis sermonem in dicto *Dial.* fieri. Vide *Messala* in *M. Corvinorum* istorum *OO.* desid.

Corvus, Declamator a Sen. irrisus *Suasoria 2.*

Coruncanus (Tib.), patria Tusculanus, Cos. an. 473. ab V. C., et primus e plebe Pont. M. renunciatus, temporibus 1. belli Punici. Is primus etiam fuit, qui Romae Juris publicam professionem est aggressus, cujus sententias, et responsa de Jure ejus discipuli scriptis excipiebant. De *Coruncano* ait Cic. in *Bruto*, ex *Comment. Pontificum* constare, ingenio plurimum valuisse, et in *Dial. de Senect.* testatur valde senem civibus Jura praescripsisse, et prudentia serviisse. Idem Tullius, qui variis in locis suorum Operum de eo cum laude loquitur, *lib. 3. de Orat.* tradit, tanta auctoritate fuisse, ut ejus Oraculum de humanis, et divinis rebus omnibus consuleretur. Triumphavit de Vulsinensibus: quod ostendit, eum belli etiam artibus insignem fuisse.

Cosconius, Poeta, qui nihil nisi castum, et pudicum unquam cecinit: ob quod a Mart. dicitur, pueris, et virginibus Carm. sua scripsisse: qua in re, optandum esset, Martialem eum imitatum fuisse. *Cosconii* Carm. desid. Non liquet, an is sit

Cosconius (Q), Histor., qui narravit obitum Terentii ex Graecia reducis: nisi si *Cosconius* confundatur cum Cosentio a Fabricio, vel error sit in *Vita* antiqua Terentii, sive Donati, sive Suet., qua

utor, praefixa *Comment.* Mureti. V. *Terentius* in *T.* Ejus *Hist.* desid.

S. *Cosmas*, gente Arabs, Medicinae arte clarus, pro Christo passus una cum fratre Damiano sub Diocletiano, et Maximiano.

Cossutianus, Senator, et Orator mercenarius, qui una cum Suillio restitit in Senatu C. Silio, Cos. designato, qui legem Cinciam instaurandam urgebat. Ea cavebatur, ne Patroni ob oratam caussam pecuniam, donumve a Clientibus acciperent. V. Tacitum lib. *11. Ann. Cossutiani Or.* desid.

Cotta (L.), Vir Consularis. Ejus summum ingenium, et summa prudentia laudatur a Cicerone *Philippica 2.*

Cotta (C), Orator celeberrimus, laudatus a Cic. in *lib. de Oratore*. Hujus *Oratio* ad Quirites, ut tolerent adversa, legitur inter *fragm. Histt. Sallustii*. De eo Cic. in *Bruto* ait, fuisse pressum in dicendo, in cujus *Oratione* nihil nisi siccum, et sanum. *Cottae Orat.* desid.; nam quae affertur a Sallustio, ab hoc, ut puto, more Historicorum, lucubrata fuit, servatis *Cottae* Sentt. Vide *Sulpicius* (P) in *S.*

Cotta (M. Aurelius), sumpta virili toga, C. Carbonem, a quo ejus pater fuerat damnatus, postulavit, et ingenio suo, ac eloquentia reum afflixit adhuc adolescens. Ita Val. M. *lib. 5. c. 4.*

Cotta (Max.), Orator, et Poeta Ovidii amicus. Is misit ad Ovidium in Ponto exsulem *Orat.*, quam in foro Rom. habuit. Ita Ovid. *de Ponto Epist. 3. lib. 4.* Idem Ovid. de eo loquitur tanquam de insigni Poeta *lib. 4. de Ponto, Ep. 16.*, ubi eum vocat

Pieridum lumen, praesidiumque fori.

Poetae nempe illius aevi Oratoriam excolebant. Ex ea namque majorem fructum, quam ex Poetica percipiebant; cum per Oratoriam, non per Poeticam, aditus pateret ad Magistratus. *Cotta* hic frater Fabii Maximi, Ovidii amici, erat. Vide *Maximus* in *M.*

Cotys, Cotii Thraciae regis filius. Ad eum est *Epist.* Ovidii *l. 2. de Ponto*, ex qua colligitur (nisi si Ovidius ei palpum obtrudere voluerit), magnum eum Poetam fuisse, et Latini sermonis non expertem. Colligitur etiam, jam Ovidii, seu Augusti aevo, Latinum sermonem in Thracia non ignoratum, et mirum esse non debere, Phaedrum, Aug. libertum, Thracem genere, Latino sermone, et Carmine valde diserto, atque eleganti Fabulas suas scripsisse. *Cotys* Carm. latent.

CR

Crassitius, Gramm. Romae doctrinae fama notus sub Aug., Jul. Antonii, M. Ant. Triumviri filii, magister. Ita Suet. de *Ill. Gramm.*

Crassus (P), Jurisconsultus, et Pont. M., vir multiplicis doctrinae, quo nomine a Tullio commendatur *lib. 3. de Orat.* De eodem ait in *Dial. de Senect.*, Jura in senectute civibus praescripsisse.

Crassus (Appius Claudius), *Caecus* dictus, quia luminibus ante obitum orbatus revera fuit. Orationem habuit contra Tribb. pl. Licinium, et L. Sextium, rogantes legem de creando ex plebe altero

ex Coss. Vide T. Livium *lib.* 6. in fine. Ejus Oratione nihil impetravit: nam tunc primum unus ex plebe Cos. creatus fuit contra Patriciorum vota. Postea *Crassus* Dictator fuit renunciatus contra Hernicos, qui Plebejum Consulem, recens electum, bello vicerant, et occiderant, non sine Patriciorum tacito gaudio. Ante Dictatoris adventum, redintegrata pugna, Hernici victi fuerant a C. Sulpicio legato, et ab exercitu Rom. Consulis, et Commilitonum caedes vindicata. Dictator ad exercitum perveniens *Orat.* habuit, qua militarem virtutem totius exercitus laudavit. *Oratt. Crassi* desid. Vide dicta V. *Appius* in *A.*

Crassus (Mummius), Poeta. Scripsit *Iliada* Lat. versu multis voluminibus, quorum 23. citat Priscianus Gram. Opus istud *Crassi* non comparet.

Crassus (M. Licin.), Jurisconsultus doctiss. Pont. M., et Cos. Flor. an. 60. ante Christ. aeram. Victus fuit a Parthis, et captus cum toto Rom. exercitu magna cum strage Romanorum, et Romani nominis dedecore. Ejus avaritiam, atque auri famem Parthi agnoscentes, aurum liquefactum in ejus os infuderunt. Erat ditissimus, et dicere solebat, divitem non dicendum, qui pecunia sua exercitum alere non posset. De ejus patre M. Crasso narratur, nunquam in vita, vel semel tantum, risisse. Forsitan praesagiebat filii, et Rom. exercitus sub eo ignominiosam cladem, et captivitatem. Occiso *Crasso*, qui alter ex Triumviris erat cum C. J. Caes., et CN. Pompejo, omnia in horum duorum potestatem reciderunt, donec inter Caesarem, et Pomp. fuerunt simultates. *M. Licinii Crassi Vitam* lege apud Plut.

Crassus (P.), Orator, M. Crassi, de quo antea, fil. De eo cum laude Tullius in *Bruto*.

Crassus (C. Licin.), Orator, legem tulit, vel rogavit de Sacerdotiis, quae popularis erat; cum per eam transferretur Sacerdotum cooptatio, antea Patriciorum, ad Populum. Cic. de *Amicitia* vendibilem vocat ejus *Orat.*, quae desid.

Crassus (L.), C. Marii affinis, Orator incredibilis eloquentiae, ut ait Cic. in *Orat.* pro *Balbo*, multis mactatus laudibus a Cic. in *Bruto*, et *lib. de Orat.*, ubi ait, in eo junctam cum gravitate facetiarum, et urbanitatis leporem, addens, plura valde adolescentem scripsisse. In *Dial. de Oratt.* narratur, eum 19. aetatis anno C. Carbonem accusasse, et ejus *Orat.* cum admiratione legi. Legebatur etiam ejus *Oratio* pro lege servilia, quam habuit 34. an. natus. Hunc fuisse puto, qui de Neronis Caesaris atavo Domitio Aenobarbo dixit non sine aculeo: *se non mirari, quod aeneam barbam haberet, cui esset os ferreum, et cor plumbeum.* Hoc dicterium tribuitur a Suet. alteri ex *Crassis*. Aliud ejus in Domitium dicterium narrat Aelianus *lib. 8. c. 4. Hist. Animalium*, de *Crassi* Muraena, ob cujus mortem flevit *Crassus*, verba faciens. Fuit Cos., et eloquio clarus, teste Val. Max. *l. 3. c. 7.*, et *l. 8. c. 5.* Idem esse videtur qui, cum ei Senatori Cos.

Philippus manum injici a lictore jussisset in Senatu; rejecto lictore, dixit magna voce: *Non es mihi Consul, Philippe, cui ego Senator non sum*. Ita Val. Max. Cicero de *Cl. Oratt.* ait: *Malim mihi Crassi unam pro Curio dictionem, quam Castellanos triumphos duos*. Ex quibus intelligitur, eum Curionis Patronum in caussa aliqua fuisse. Patronus item fuit Liciniae, Virg. Vestalis, stupri accusatae. Ita Cic. in *Bruto*, ubi videtur, eum M. Antonio summo Oratori praetulisse. *Lib. 3. de Oratore* deflet Cicero ejus mortem. Delectus fuit a Cicerone alter ex praecipuis Interlocutoribus in *libris de Oratore*. Ejus *Orationes* ad nos non pervenerunt, quod valde dolendum. Obiisse dicitur an. V. C. 663.

Crates, Malleotes, primus, qui Romae Grammaticam docuit eo fere tempore, quo Ennius obiit. Scripsit *Comment.* in Homerum. Vide de eo Suet. in *Ill. Gramm.* Fuit Attali regis Romae legatus.

Cratippus, insignis Peripateticus, Ciceronis familiaris, et M. Ciceronis filii Athenis Praeceptor. De eo magna cum laude Cic. variis in locis.

Cresconius, Gramm. Afer, et Episc. Donatista, inter Donatistas clari nominis, quem refutavit S. Aug. scriptis suis, et quem dicendo pene obtrivit. Ejus *OO.* perierunt.

Crispinus (T. Quintius), Orator. Val. Max. narrat *lib. 5. c. 1. Orat.*, quam habuit ad hospitem ingratum.

Crispinus, Poeta, Hor. aevo notus, et *Lippus* ab Hor. appellatus. Plura scripta, vel sua, vel aliena in scriniis bibliothecae suae videtur habuisse: quod Hor. indicat, finem alteri ex suis Epistolis imponens hisce verbis.

Ne Crispini scrinia Lippi
Compilasse putes, verbum non amplius addam

Videtur etiam facilis fuisse in componendis versibus, seu bonis, seu malis. Ait enim Hor. *l. 1. Sat. 4.*

Ecce
Crispinus minimo me provocat: accipe, si vis,
Accipe jam tabulas etc.

Ignoro an is sit *Crispinus*, quem citat Fulg. in *Heraclea*. Ejus *OO.* desid.

Crispinus (Caepio), Orator, qui cum Quaestor Granii, Bithyniae Praetoris fuisset, eum accusavit majestatis, subscribente Romano Hispone. Ita Tac. *Ann. l. 1.* Ejus *Or.* desid.

Crispinus, nobilis juvenis, Bolani fil. laudatur ad Statio *lib. 5. Sylvarum*, eo quod reum amicum in foro defenderit eloquentia sua, cum 18. aetatis annos tantum numeraret. Erat ex familia nobilissima.

Crispus, antiquus Rhetor. De eo M. Sen. *lib. 7. Controv. 4.* Ejus verba belle sonantia multis imposuisse, cum declamaret, Seneca memorat.

Crispus, Caesar, Constantini M. filius, magnae spei adolescens, Grae-

cis, et Latinis litteris a Lactantio eruditus, et militari virtute clarus. Jussu patris fuit occisus, falso accusatus a noverca, (quae eum deperibat, et rejecta a Crispo fuerat,) quod patris thalamum violare tentasset. Cognita filii innocentia, Faustam uxorem Constantinus interfecit.

Crispus, Martiali coaevus. Eum notat Mart. tanquam pessimum Criticum, et obscurum Scriptorem. En Mart. *Epigr. l. 10.* in Crispum hunc;

Scribere te, quae vix intelligat ipse Modestus,
Et vix Claranus, quid, rogo, Crispe, juvat?
Non lectore tuis opus est, sed Apolline libris.
Judice te, major Cinna Marone fuit.

Martialis silentio premit, quo de argumento *Crispinus* scripserit. Forsitan de rebus parum vulgo notis, aut de sublimibus, vel Philosophiae, vel Matheseos arcanis, et iccirco ejus Opera obscura Martiali videbantur. Dictum jam est, et saepe dicendum, non semper incorruptos judices scriptorum, aut aequalium, aut synchronorum viros litteratos esse; praesertim Poetas, ad satyram, cavillos, atque facetias pronos, quos inter noster Martialis non postremum obtinet locum. *Crispi* hujus obscura Scripta desid.

Crispus (Vibius), Orator, Quintil. coaevus. Laudatur a Quint. ejus jucunditas *lib. 12. Inst.* Forsitan *Crispus* hic est, de quo in *Dial. de Oratt.*, fit mentio. Hujus *Orat.* desid. Fuit hic alter ex familiaribus, et combibonibus Vitellii. Celebratur ejus dictum, *Perieram: nisi graviter aegrotassem*, cum novit, Vitellii convivas male tortos ab illo, et vexatos fuisse. Morbo quippe impeditus, conviviis non interfuerat a multis diebus, quo sodalium fati particeps non fuit. Vide Caelium Rhodig. *lect. antiq. l. 19. c. 25.*, qui hoc narrat, ex Dione, ut puto, sumptum. V. *Domitianus* in *D.*

Critolaus, insignis Phil. Peripat., de quo Tul. *l. 2. de Orat.*, et in *QQ. Tusc.*, ubi de *Critolai* libra. Fuit Carneadis socius in Romana legatione.

Crysogonus, vel *Chrysogonus*, Orator, alter ex Actoribus in caussa Roscii Amerini, a Cic. defensi. Ejus *Oratt.* desid.

Corollarium XII.

Crystallus. Vasa Crystallina, usque ad Augusti aevum Romae inusitata, initio magno in pretio habita fuerunt. Vide *Vitraria* Ars in *V.* Ob fractum casu a servo vas crystallinum, a Romano Senatore servus in piscinam, ut Muraenis esca esset, conjectus fuit: de quo Aug. factus certior, ejus crystallina vasa omnia in convivio fregit.

CU

Cumanus (C. Blosius), Phil. Romae notus, a conciliis Tiberii Gracchi, qui ejus hortatu auguria parum fausta contempsit. Vide *Gracchus* in *G.* De *Cumano* meminit Cic. in *Dial. de Amicitia*, ubi memorat amicitiam *Cumani* cum Tib. Graccho, cujus temerita-

ti praefuit, occasionem ejus necis fuisse. In Asiam profugit, ubi se ad hostes contulit, poenas Reipub. graves, justasque persolvens. Ita Cic. ibidem.

Curio (C), Orator mercenarius, cujus, ut aliorum etiam Oratorum, exemplo, tuiti sunt nonnulli Oratores in Senatu caussam suam de mercede Patronis orantibus contra legem Cinciam solvenda a Clientibus. Vide Tac. *l. 11. Ann.* Ignoro, sitne is *Curio* pater, cujus *Oratt.* citantur a Suet. in *C. J. Caesare c. 9.* Verisimilius est, Tacitum loqui de *Curione* filio.

Curio (C), Pater, Orator, Ciceronis aequalis, qui conatus *Oratione* respondere Ciceroni, ejus filium accusanti, illico assedit post coeptam *Orationem* suam, dicens, sibi veneficio memoriam ereptam. Ita Cic. in *Bruto*. Ejus inter orandum frequentem, et concitatam nutationem irrisit Junius quidam, homo facetus, et cavillator, interrogans: *quis in lintre loqueretur?* Ita Quintil. *l. 11.*, ubi de *Actione, et gestu Oratt.* Ibidem narrat dictum aliud, non minus salsum, Sicinnii de *Curione* orante, et se jactante inter orandum multo motu: quae omnia sumpsisse videtur Quintil. ex Cic. in *Bruto*. Sive is, sive alius ejusdem nominis appellare solebat C. J. Caesarem: *Virum omnium foeminarum, et foeminam omnium Virorum*, insigni sane contumelia. Illud singulare, quod Cic. narrat, eum optime latine locutum, licet alias indoctus, et fragilis memoriae esset, inspiciendasque censet ejus *Orationes* propter sermonis bonitatem. Tradit etiam, *Librum* composuisse satis imperite propter memoriae inopiam in factis narrandis. Si ei id raro accidisset, non erat cur Cicero iccirco, imperite scriptum librum *Curionis*, diceret: nam etiam Cicero nonnunquam in factis narrandis memoria lapsus est, ut in *lib. 2. de Gloria*, Homerum citans, et tribuens Hectori, quod Homerus Ajaci: et *lib. 2. de Divin.* Agamemnonem Homericum pro Ulisse nominans. Vide *Gel. l. 15. NN. c.* mihi *6.*, et Politianum in *Miscell. c. 53.* Nihil facilius, quam homines etiam doctos memoria labi; quod Cic. ipse in *Epistolis* ad Atticum agnoscit, et fatetur, se nonnunquam Philosophicis speculationibus, et curis Reipub. intentum in memoriae errores incidisse, libros suos lucubrando. Vide *Corollarium IV.* in *M.*

Curio (C. Scribonius), laudatus a Cic. *l. 3. de Orat.* tanquam unus ex primis Oratoribus, licet parum in Poetis, et Oratoribus versatus: ast domestica consuetudine non male Latine loquens, et splendidis verbis utens. De eo etiam in *Bruto* sermonem facit. Vellejus Paterc. eum graphice describit *lib. 2.* tanquam hominem ingeniosissime nequam, et malo publico facundum. Ejus Pater fuit consulatu, et triumpho ornatus. Nescio, an is ille *Curio* fuerit, qui bina theatra pensilia magnifica, immenso sumptu, Romae extruxit, quae in unum supra cardines variis machinis conjuncta, Amphitheatrum conversa invicem componebant, in quo, post ludos Scenicos, illis divisis factos, gladiatorios, et ferarum ludos dedit in funere patris sui. Ejus OO.

desid. Vereor, ne hic idem sit cum praecedenti *C. Curione*. Nam fere omnia haec, excepto eo, quod ait Cic., *fuisse unum ex primis Oratoribus*, utrique conveniunt. Sublatum esset dubium, si illum fuisse etiam *Scribonium* dictum constaret.

Corollarium XIII.

Curiones 30. a Romulo instituti initio Urbis fuerunt, qui Sacerdotio fungentes, sacra publica pro Curia unusquisque sua curarent, et a curando, vel a Curiis *Curiones* fuerunt appellati. Singulae Curiae suum *Curionem* habebant a Curia electum. Illis praeerat *Curio* Maximus, creatus a Populo curiatis Comitiis, cujus auctoritate ceteri regebantur. Erant *Curiones* fere, ut nunc Parochi in urbibus, et oppidis, ac litteratos esse eos oportebat. Locus, in quem conveniebant ad res sacras tractandas, *Curia sacra* vocabatur. Erant etiam apud veteres Romanos in oppidis Parochi. Verum hi Sacerdotes non erant, nec sacra curabant, sed Magistratibus ad suas provincias, vel alio proficiscentibus, et per oppida transeuntibus, necessaria ad victum ex publico praebebant. Cicero gloriatur, se per suam provinciam, cum Ciliciae Praefectus esset, iter facientem, sine ullo populorum gravamine, Provinciam peragrasse: quod singulare in homine Ethnico, et Romano moderationis exemplum mihi videtur: Si Ciceronem in non gravandis populis imitati fuissent Proconsules, et Praetores, qui provinciis praeerant, non ita frequenter fuissent *de Repetundis* post reditum postulati. Vide *Gracchus* in *G.*

Curius (Manlius), Ciceronis amicus urbaniss., et doctus, ut intelligere licet ex *Epist.* Ciceronis ad ipsum, et illius ad Cic., quae habentur *lib. 7. Epist. Fam.*

Curius (M), *Sapiens* a priscis Rom. judicabatur, teste Cic. de *Amicitia*. Ad eum puto allusisse Juvenalem, cum eos notat:

Qui Curios simulant, et bacchanalia vivunt.

Curtius (Q), *Rufus* cognominatus, inter Cl. Rhetores a Suetonio recensitus post Porc. Latronem in fragm. *de Cl. Rhet.* Nota est ejus *Hist. de Gestis Alexandri M.* Ex ea tamen *lib. 1. et 2.*, ac initium 6. desid. Opus istud diu latuit, quod multo post instauratas litteras casu inventum fuit, sed mancum. Valde dubitatum fuit, an Opus istud esset antiqui Scriptoris, cujus nomen praeferebat: cum *Curtii*, et multo minus hujus *Historiae*, vix ullus ex antiquis mentionem fecerit, ut nonnulli ex Criticis dictitabant. Verum *Curtium Rufum* memorat Tacitus *lib. 11. Ann.* plura de eo narrans. Meminerunt etiam Suet., et Plin. Caecilius, licet de ejus *Hist.* sileant. Consulare habuit imperium, et triumphi insignibus ornatus fuit sub Claudio. Valde senex obiit in Africa, quam gubernabat. Ejus vitae, et fortunae cursus praenunciatus ei fuit a Figura quadam phantastica muliebris formae, quae se *Africam* vocabat. Vossius contendit, sub Vespasiano, non sub Hadriano *Historiam* texuisse, ejusque stylum, ut Augusti aevo dignum, laudat. Si ita est, oportet eum diu-

tissime vixisse, vel verum non esse, sub Claudio Consulari imperio functum fuisse.

CY

Cyneas, Orator insignis, Pyrrhi Epirotarum regis ad Senatum Rom. legatus post medium Seculum 5. V. C. Vix diem unum Romae commoratus, Senatores omnes, et circumfusam plebem propriis nominibus salutavit. Ita Sen. in *lib. 1. Controv. Prooemio*. Vide Plin. *l. 7. H. N. c. 24*. Si quis ex me quaereret, quid censeam de mirabili *Cyneae* memoria, de qua Seneca? dicerem. 1. me non dubitare de singulari *Cyneae* memoria. 2. Senecam de re, a se non visa, et quae multo ante eum contigit, testari. 3. Senecam nihil dicere de Nomenclatore, quem habere potuit, qui ei nomina salutandorum suggereret. 4. potuisse, antequam Romam ingrederetur, Senatorum nomina, et eorum in Senatu ordinem nosse. Demum adderem, eos qui admirationem narrationibus suis excitare volunt, saepe numero hyperbole uti. Scripsit de *re militari*, ut Pyrrhus etiam: quod indicat Cic. in *Epist. ad Paetum lib. 9. Famil.* Vide *Eloquentia* in *E*.

S. *Cyprianus*, primum Ethnicus, et Magus, postea Christianus, et Christi Martyr, passus una cum S. Justina Christ. Virgine, quam deperibat, et magicis artibus ad sui amorem allicere tentabat. Agnovit *Cyprianus* ex Daemone nihil valere Magicas artes contra eam, quae Christianis sacris initiata, et Christi Crucis signo munita erat contra diabolicas insidias, et illecebras voluptatis.

S. *Cyprianus*, Carthagin. Praesul in Africa doctiss., et eloquentiss., ac gloriosus Christi M. sub Valeriano, et Gallieno ad an. Christi 258. Ejus *OO.* sunt notissima, et laudata a Lactantio, SS. Hier. August., et aliis PP. A Novatianis multa passus fuit, in Novati Schismate, contra quod complures scripsit *Epistolas* ad S. Cornelium Rom. Pontif. eum roborans, et consolans, Schismatis contra eum excitati initio, calumnias etiam contra S. Pontif. sparsas refellens. Vide *Caecilius*. Non omnia S. *Cypriani OO* ad nos pervenerunt. De ejus dissidio cum S. Stephano Rom. Pont. vide Hist. Eccles. Forsitan S. *Cyprianus*, et Africani Episcopi, qui contendebant, iterandum baptisma ab haereticis collatum, noverant, in Africa indebitam formam, vel materiam, ut nihil dicam de recta *intentione*, ut Theologi loquuntur, ab haereticis adhiberi in baptismate: quod de multis haereticis nostrae aetatis novimus. Cum adhuc Ethnicus esset, Rhetoricam Carthagine publice docuit.

S. *Cyrillus*, Hierosolymorum Praesul, antea Catecheseon celebris in Hierosolymitana Ecclesia magister, qui baptizandos, et recens baptizatos Christianis dogmatibus erudiebat. Exstant plures *Catecheses* ad illuminatos, quae ab eo adhuc adolescente fuerunt lucubratae, quorum antiquae versiones Latinae desid. Multa ab Arianis, quos oppugnabat sub Constantio Arianis favente, passus est. A sede sua, et Hierosolymis ejectus, et in exsilium actus, postea fuit Ecclesiae

quae restitutus sub S. Damaso Papa, et Theod. M., in qua pacifice vixit usque ad an. 386, quo anno plenus meritis postremum diem obiit. Multa edidit, quae *Cyrillia* appellabantur, et S. Hieron. aetate legebantur, quorum pauca ad nos pervenerunt. Vide S. Hier. in *Scriptorib. Eccl.*, et Bellarminum. Non confundendus cum S. Cyrillo Alexandrino, Haereticorum, Nestorianorum praesertim, debellatore strenuo, qui post Honorii excessum floruit, doctrina, et sanctitate usque ad an. Christi 444: licet, Honorio imperante, jam fuerit Alexandrinus Patriarcha creatus, et doctrina sua clarus.

Corollarium XIV.

Ante inventam ab Spurio Carbilio Gramm. litteram *G*, *C* littera inserviebat scripturae vocum, quae cum sono *G* efferebantur, et antiqui Rom. scribebant *Cnejus* pro *Gnejus*, *Cnavus* pro *Gnavus*, *Maeistratus*, vel *Macestratus* pro *Magistratus*, *Arcentum* pro *Argentum*. Respondebat etiam Graecorum litterae *K*, et eadem vi pronunciabatur, cum sequeretur vocalis *i*, aut *e*, ac cum post illam sequebantur *a*, *o*, *u*. Quamobrem in verbo *Dico*, exempli gratia, secunda persona, et tertia singularis, ac prima, et 2. pluralis non pronunciabantur, ut nunc, sono geminae *s*, vel *z*, *Dissis*, *Dizis*; sed sono *K*, *Dikis*, *Dikit* cet. Idem dic de dictionibus, in quibus post *C* sequebatur, vel diphthongus *ae*, vel *oe*. Vis pronunciationis antiquae litterae *C* agnoscitur ex pronunciatione imperativi *Dic*, *Duc*, *Fac*, et dictionum *Nec*, *Lac*, *Hic*, *Haec*, *Sic*: in quibus non *Dis*, *Dus*, *Fas*, nec *Diz*, *Duz*, *Faz*, ne nunc quidem pronunciatur, sed tanquam si *K* in fine posita esset, vel *Q*: sic *Dik*, *Duk*, *Fak*, vel *Dig*, *Dug*, *Fag*. Vide quae de littera *K*, et *Q*. postea suis locis dicuntur. Litt. *C* utebantur Rom. ad centenarium numerum, ad nomen, et praenomen *Cajus* indicandum: verum per *C* conversam sic Ͻ. ad *Cajae* praenomen. Item litt. C. tabellis Judicum, vel Suffragatorum inscripta indicabat *condemno*, ut littera *A* *Absolvo*, et *N L* *Non liquet*. Saepe nomina, quae scribenda erant per duplicem *S*, vel per *Ti* ante vocalem scripta leguntur per *C*, ut *Pacienus* pro *Passienus*, *Cacius* pro *Cassius*, et contra, unde oritur confusio in Auctorum nominibus.

DA

S. *Damasus*, Rom. Pontifex, Hispanus genere, et patria (a), Vir doctrina, et sanctitate Romae illustris, Romanae Cathedrae admotus fuit cadente Seculo 4. Eccl. Plura edidit versu, et pedibus solu-

---

(a) *Vide hac de re doctiss.* Dissert. *V. Cl. DD. Francisci Perezii Bajerii, Archidiaconi Valentini, olim Reg. Infantum Hisp. Studiis praepositi, Orbi litterario ex variis Operibus, quibus Antiquitates, et Linguas Orient. illustravit, notissimi, nunc Regiae Matrit. Bibliothecae Praefecti.*

ta Oratione, quorum pleraque desid., ut libelli de *Virginitate*, soluta, et pedibus nexa Oratione, citati a S. Hier. in *Epist. ad Eustochium*: *Summa voluminum quorundam utriusque Testamenti*, hexametris versibus breviter comprehensorum, et Acta MM. Rom. Petri Exorcistae, et Marcellini. *Libellus de munificentia Constantini M.*, a Baronio laudatus, et *Carmm. in Psalterium*. Ab Epist. habuit S. Hieron., qui ejus hortatu Sacram Paginam Scriptis suis illustravit, Vulgatae, antiquae Latinae praesertim, emendatione, et cum Graecis, ac Latinis emendatioribus exemplaribus collatione. Sub eo celebrata fuerunt varia Concilia, (inter quae Secundum Oecumenicum adversus Macedonianos), quibus, et haereses damnatae sunt, et disciplina Ecclesiastica stabilita. Obiit sanctissime, imperante Theodosio Seniore, cui fuit cariss. an. Christi 384. Pontif. an. 18. fere Octogenarius.

Daemoniaci, haeretici (qui docebant cum Origenistis, Daemones post mundi finem salvandos) decies interdiu Daemones invocabant, et adorabant. Hujus sectae sunt nonnulli, ex Lutheri Schola orti. Ita Annatus in *Apparatu*.

S. *Damianus* M., *S. Cosmae* frater, Arabs, insignis Medicus, passus pro Christo sub Diocletiano.

Damophilus, Sophista scripsit ad Lollium Max. de Vita Priscorum.

Daphnis (Lotatius), Gramm. servus olim, quem Q. Catulus 200. mil. nummum emit, et ob suam doctrinam manumisit. Ita Suet. *de Ill. Grammat.*

DE

Decianus (C), Orator, P. Furium, inquinatissimae vitae civem Rom. pro rostris accusavit. Ejus Or. desid.

Decianus, Hisp. Poeta Emeritensis. Vide Mart. *l. 1. Epigr.* ad Licinianum. Eum suum vocat Mart., et multis ornat laudibus variis *Epigram. lib. 1.*, quibus indicat, eum, et virum probum, et omnibus instructum artibus fuisse. Ei dedicat *2. lib. Epigram.*

Decimus (Laelius), a Quint. *l. 8. doctus*, et *Atticus Romanus l. 12. Instit.* appellatur.

Decinius, Orator, de cujus *Orat.* pro Voluseno Catulo meminit Quint. *l. 10. Instit.* Haec, et aliae ejus *Orat.* desid.

Decius, Poeta Satyr. sub Theod. M., et filiis, de quo Claudius Rutilius in *Itiner.* Fuit Lucilli, Viri consularis fil., et non liquet, an is sit *Decius*, quem Macrob. interlocutorem fecit in *Saturn.*

Declamatores. Innumerae veterum Latinae Declamationes perierunt. Seneca pater multas Sententias ex eis affert in libris *Controversiarum*, *Declamationum*, et *Suasoriarum*. In *Prooemio libri*, mihi, *10. Controv.* memorat insignes 4. *Declamatores*, aliis omnibus praeferendos, Porcium Latronem, Fuscum, Albucium, et Gallionem. *Declamationes* erant veluti praeludia, sive exercitationes Academicae, quas etiam *Scholasticas* vocabant, de fictis argumentis ad veras caussas postea in foro, et judiciis facilius, et perfectius agendas, et oran-

das. Exercitationes istae, quibus privatae Academiae nunc respondent, habebantur in aedibus primariorum virorum Urbis, vel praecipuorum Oratorum. Nullae, quod sciam, ex *Declamationibus*, quas commemorat Seneca, integrae ad nos pervenerunt: quod dictum volo pro *Declamationibus*, quae in decursu hujus *Syllabi* ex testimonio Senecae proferam.

Deillius (Q), Rhetor, Orator, et Historicus, cujus mentionem facit Sen. in *Suas*. Messalla Corvinus eum appellabat insignem transfugam belli Civilis inter Octavium, et M. Ant. Nunc enim sub uno, nunc sub alio militabat, imitatus Moenam, sive Mendorum, Pomp. M. Libertum ditiss., et audaciss., qui cum parte classis Sexti, Pompei Magni filii, ad C. J. Caesarem defecit, et sequenti anno ad Sextum rediit, et tandem, post paucos menses, iterum se Caesari adjunxit. *Deillius* fuit Scriptor impudicarum *Epistol.* ad Cleopatram, Aegypti reginam, quae merito perierunt. Dicitur, eum sui temporis Historiam lucubrasse, quae etiam intercidit. A nonnullis perperam *Delius* appellatur. Ad *Delium* quemdam est *Ode* 3. *lib.* 2. *Hor.* Forsitan Horatius poetica libertate, ut *Julum* appellavit M. Antonii filium, *Julium* in *Ode* ad eum, ita Deillium *Delium* fecit, detracta ex nomine una, aut altera littera.

Corollarium I.

Deistae, ut vocant, quibus prima 4. Ecclesiae Secula non caruerunt, Athei larvati sub *Deistarum* persona a multis creduntur. Deistae hodierni revelatam Religionem evertere connituntur, et nonnulli ex his, qui, et Christianorum, et Philosophorum nomen affectant, Christi Religionem Mahumedanae, et Mosaicae postponunt insigni impudentia. Scriptis suis innumeris pestilentissimis, suppresso nomine, probare contendunt, (in quo veteres *Deistas*, et Anomaeos haereticos imitantur) ad salutem necessarium aliud non esse, quam unum Deum confiteri, et colere; putantque, quovis cultu Deum esse contentum, omnes leges, et praecepta Christ. Religionis contemnentes, atque ea fanaticorum hominum inventa aestimantes. Animorum immortalitatem, et divinam Providentiam cum Epicuro fere omnes rejiciunt, vel in dubium vocant, seque belluis pares facere non erubescunt. Hoc tamen infeliciores se belluis existimant, quod sine conscientiae remorsu voluptatibus sensuum indulgere, et fraena laxare non possint. In his, quae scribunt, miras vertigines patiuntur, vix sibi constantes. Diruunt nempe, quae aedificarant, et mutant saepe quadrata rotundis: nunc bona, nunc mala: nunc vera, nunc falsa eadem asserentes. Nihilominus, licet tenebris plusquam cimmeriis involuti, caligent, ac vitiis omnibus habenas laxent, finem ultimum humanarum actionum in corporeis voluptatibus statuentes, natos se jactant, ut veteres Epicuraei ad Seculum illuminandum, et emendandum. Taedet hanc sentinam amplius movere. Sinamus, eos suam Philosophiam extollere: expultricem tenebrarum eam appellare: unos Orbis ma-

gistros, circitorum more, confidenter popello sese venditare. Ranae sunt clamantes in paludibus limosis. Strepitum facere possunt: doctrinam verae Sapientiae insinuare non possunt (Ita S. Aug. Serm. 95.) Vide Q. Mod. Censorini *Dissert. 5. in Paradoxis de Vita, et Morte Lat. linguae*. Illud puto, Epicuraeis prisci, et nostri aevi parum placuisse, quod voluptatis assertor Epicurus, cujus sententias saepe affert Seneca in *Epistolis*, libros suos omnes oleribus, et pomis, vilibusque aliis cibis repleverit, eisdemque doceat vivendum. Vide *Epicuraei* in *E.*, et Suidam verbo Αιρεσις: ubi narrat, quid Litii in Creta contra Epicuraeos decreverint, legi dignum. En Silii Italici contra Epicuraeos in omnium templorum foribus scribenda Carmina.

Quippe nec ira Deum tantum, nec tela, nec hostes,
Quantum sola noces animis illapsa voluptas.
Ebrietas tibi fida comes, tibi luxus, et atris
Circum te semper volitans infamia pennis.

Demetrius, Phil. Hujus *librum de Concordia* misit Tullius ad Atticum. V. *Epist. 16. lib. 8.*, et *21. lib. 9. Epistt.* ad Atticum. Hic *liber* desid.

Demetrius, Cynicus Phil., et Orator, cujus meminit Tac. *l. 4. Hist.*, et Sen. de *Benef. l. 7. c. 1. 8.*, et *9.* maximis eum ornans encomiis. Floruit sub C. Caligula, qui, cum ei per internuncium magnam auri vim offerret, ut rem injustam patraret; magna cum libertate respondit, internuncium a se rejiciens: *Si Caesar me tentare constituerat, toto eram experiendus imperio*. Ejus Scripta desid.

Demetrius, Phil. item Cynicus, ac, ut puto, a praeced. diversus, sub Nerone floruit usque ad Vespas., qui eum exsulare jussit ob effraenatam linguam. *Demetrius*, cognito Vespasiani decreto, dictitabat gregalibus suis, nolle se Vespasiano obedire. Quod sciens Vespas. ad eum lictorem misit, qui ei renunciaret Imperatoris nomine = . Videris, Demetri, velle me cogere ad te occidendum. Verum ego canem latrantem non occido = . De eo saltationem, et celebrem saltatorem, sub Nerone contemnente, vide Cael. Rhodig. *l. 5. c. 3. lect. antiqu.*

Demetrius, Poeta, Horatio coaevus. Eum *Simium* appellat Hor., vel, quod corpore deformis esset, vel, quod alios imitari studeret, ut risum excitaret, vel tandem, quia Poetas celebres Calvum, et Catullum male imitaretur. Ejus *Poemata* latent, vel perierunt.

Corollarium II.

Denarius, Romanus nummus erat argenteus, qui 10. asses valebat. Nummus aureus Romanorum constabat *25. denariis*.

Designatianus, tanquam Scriptor Medicus citatur a Marcello, Theodosii M. Archiatro: a quo etiam consulebatur in dubiis suis. Vide *Marcellus* in *M.*

Dexter (Flav. Lucius), Hisp. Hist., S. Paciani Episcopi Barci. non. doctissimi, filius, Praef. pr. sub Honorio in fine 4. Eccl. Seculi.

Ad eum sunt directae *leges* 53., et 54. *de Cursu publico* ab Honorio, et Arcadio latae an. Christi 395. Item l. ultima: *siquis pecunias conflaverit*, et *l.* 5. *de Executoribus* in *Cod. Theod.* Fuit amicitia junctus cum S. Hieron., qui ejus suasu scripsit Lib. de *Viris illustribus*, seu de *Scriptoribus Eccles.*, quem *Dextro* dicavit. Idem S. Doctor mentionem facit *Omnimodae Historiae*, a *Dextro* compositae, et ad S. Hieron. directae: quam tamen S. Doctor nondum viderat. *Dextri Chronicon*, vel quod sub *Dextri* nomine apparuit in fine 16. Seculi, in quo plura Hispanis gloriosa continentur, magnas lites inter eruditos Hispanos excitavit, aliis contendentibus, legitimum esse *Dextri* foetum, aliis negantibus. Multa scripta fuerunt pro, et contra hoc *Chronicōn*. Per integrum ferme seculum anceps fuit inter viros litteratos de hac re judicium. Tandem caussam vicisse videntur, qui *Chronicon* oppugnabant. Qui de hoc negotio fuse disputata noscere velit, adeat Opus, quod edidimus Barcinone multis ab hinc annis, cui titulus: *Nomina, et Acta Episcopornm Barcinon. ad Historiae, et Chronologiae rationem revocata*, dicatum doctiss. Barcin. Episcopo DD. Ascensio Sales, cujus jussu, et expensis fuit Opus istud luce publica donatum: In eo, quantum in nobis fuit, singulari *Dissertatione* a nota impostoris vindicavimus Hieronymum Roman de la Higuera, cui *Chronicon* illud tribuitur. Ostendimus etiam *Dissert.* altera contra virum eruditiss. DD. Gregorium Majansium, S. Severum, quem, ut Episc. suum colunt Barcinōn. diversum fuisse a Ravennate, et Martyrem occubuisse clavo trabali ejus temporibus infixo.

DI

Corollarium III.

Diaria, sive Ephemerides Romanae Urbis, (in quibus, quae Romae diebus singulis contingebant, notabantur) fere omnia periere. Supersunt solum fragmenta a viris eruditis collecta, et edita in *Thesauro Inscriptionum antiquarum Roman.* Ex his fragm. intelligitur, a Romanis etiam minutissima quaeque notari solita, et in *Diaria* referri: si tonabat: si fulgurabat: si grandinabat: si ningebat; si pluebat: si sudum: si rixa erat, vel si homicidium aliquod patrabatur, et quo in loco Urbis: si quis accusabatur, a quo: et de quo: a quo defendebatur: quot Judicum suffragiis esset absolutus, et quot sententiis damnatus; quisnam ad Consulatum, vel Magistratum alium eligeretur: quisnam paludatus ad bellum auspicato exiret, et quisnam ad provinciam gubernandam ex Urbe egrederetur, cet. Vide *Ephemerides* in *E. Acta* in *A.* Cic. in altera ex *Epist.* notat, nescio, quem eo, quod ad se res frivolas Urbis scriberet, quae in Diaria referebantur.

Corollarium IV.

Dictator, Romae eligebatur ad 6. menses, ultra quos nefas erat, vel diem unum, imperium Dictatorium, quod supra magistratus omnes erat, et veluti regale, prorogare. Eligi autem solebat, cum magnum aliquod periculum Reip. imminebat, eique incumbebat, curare, ne

Respub. detrimentum caperet. Ab antiquis Romanis populi Magister dicebatur. Ita Varro, et Titus Livius. Eligebantur autem Viri doctrina, et militari arte clari, qui praecipua in Rep. munia obierant.

Didymus, Gramm. Alexand. Χαλκέντερος, ob infatigabile studium, dictus, Romae docuit, et innumeros libros, plerosque, de rebus inutilibus edidit. Ad 4000. numerat Sen. *Epist. 89.*, ubi inutilia nonnulla in illis tractata indicat. Fuit salsamentarii filius, vixitque usquè ad Aug. aetatem. De eo praeter Sen. meminit Quint. *l. 1.*, ubi de *Orthographia*. Ejus *Scripta* ad nos non perven. Fuit *Didymus* alter Poeta, et Neronis Musicus insignis praeter alios incertae aetatis.

Didymus, Doctor Christianus, Origenis auditor, ab an. 5. aetatis luminibus orbatus. Eum magistrum habere voluit S. Hier., qui *Didymum videntem* ob magnum suum ingenium, et doctrinam appellabat. Scholae Alexandrinae post Orig. praefuit, Origenis erroribus, priusquam damnarentur, imbutus. S. Antonius M. eum Alexandriae concionantem audiens, *Beatum* appellavit, eumdemque solatus est, cum quereretur de sua caecitate. *Didymi* Scripta in Lat. versa non pauca desid.

Diocletianus (Valer.), Imper. litterarum, ac litteratorum Ethnic. fautor, et Christianorum barbarus insectator, Salonis in Dalmatia natus. In thermis suis biblioth. construxit. Imperio se abdicavit, ut vitam privatam ageret, nomen Philosophi, omnia despicientis, affectans. Vide Vopiscum in *Aureliano*. Supersunt Inscriptiones aliquae, et Rescripta Dioclet., quae ejus odium in Christ. declarant. In una Aegypto dicuntur ejus jussu 144. millia Christianorum occisa, et 700. millia acta in exsilium. Fuit superbissimus, et *Jovius* voluit appellari, seu Jovis filius. Cum Aprum Praef. pr. manu sua occidit, dixit: *Gloriare Aper*: *Aeneae magni dextra cadis*. Imperavit ann. 20.

Diodorus, Siculus, Histor. insignis sub Jul Caes., et Augusto. Romae scripsit *Bibliot.* suam *Historicam* Graece *40. libb.*, quorum solum 15. habemus. C. Plin. Secundus eum laudat, et caeteris Graecis Histor. in nonnullis praefert. Versio Lat. confestim, ut arbitror, facta, desid.: quae legitur recens, integra non est, uti neque *Biblioth. Graeca* ab eo edita.

Diodorus, Epicur. Phil., sibi gulam praecidit: quod factum perperam laudatur a Sen. de *Vita beata c. 19.*, ubi illum *beatum* appellat, ac plenum bona conscientia.

Diodorus, Rhetor, Metelli Nepotis magister. Metellus, ejus, vita functi, sepulchro sculpi corvum jussit, quem cum videret Cicero, dixit: *Justa retributio facta est: Metellum enim volare docuit, non orare*. Erat nempe Metellus valde levis, et inconstans in dictis suis. Ita Plut. in *Apophtheg.*

Diodorus, Alexandrinus patria, Pollionis Philosophi filius. Floruit sub Adriano. Ita Suidas.

Diodorus, bini Oratores Lydi, seu in Lydia nati ejusdem nomi-

nis, qui sub Tiberio florebant, de quibus agit Strabo.

Diodorus, Stoicus, Phil., cujus alumnus Cicero Romae fuit, et a quo Cic. Dialecticam didicit, teste ipso Cicerone in *Bruto*, ubi etiam testatur, apud se vixisse, et obiisse. In *Tusc. QQ.* tradit, eum caecum fuisse. De eo fit mentio in *Dialogo de Oratoribus*.

Diodorus, Tharsen. Episc. de cujus Operibus Theologicis, quae desiderantur, meminit Suidas.

Diogenes, Phil. Stoicus, Carneadis, et Critolai in Legatione Romana Socius. V. *Carneades* in *C*.

Diogenes, Orator, ingenio, forensi eloquentia, et suavitate praestans, de quo Ammianus Marcellinus.

Diogenes, *Laertius* dictus, scripsit *Vitas*, et *Dogmata Philosophorum*. Floruit, imperante Antonino Pio.

Dion, Phil., cujus meminit Cic. in *Epist. ad Paetum*. Is videtur ei quaestionem aliquam ridiculam proposuise.

Dion, *Prussaeus*, *Chrysostomus*, etiam dictus sub Trajano, cui carus fuit ob suam doctrinam. Scripsit de comae laudibus. In *libris de Regno* testatur, se mendici habitu multas terras peragrasse: panem a quibusque obviis, cum ei deerat viaticum, rogasse, et pugillares secum detulisse, in quibus notatu digna litteris consignaret.

Dionysius, Gramm. ab Epistt. Trajani, et Biblioth. Ulpiae Praef. citatur a Gel. *l. 9.* tanquam Scriptor de *Figuris verborum*. Forsitan hic est *Dionysius* Sophista, de quo verbo *Heliodorus* in lit. *H*. Ille Chaeremonem Phil. praeceptorem habuit.

S. *Dionysius*, omni generae doctrinae instructus, alter ex Areopagitis, Athenis a S. Paullo ad Christi fidem adductus. Fuit insignis Astron., qui ex eclipsi solari, quae moriente Christo, contigit, Auctoris naturae passionem, vel mundi dissolutionem agnovit. Atheniensis Praesul ab Apostolo ordinatus, et postea a S. Clemente Papa, Roma Lutetiam Parisiorum missus, primus Gallorum Apostolus, et Episcopus creatus fuit, si vera Gallici Historici narrant. Scripsit sublimia Theologiae Opera, quae exstant; de quibus tamen inter Criticos litigatur: utrum supposititia, anve genuina S. *Dionysii* sint? Centenario major insignis martyrii laurea fuit coronatus, ineunte 2. Eccl. Seculo.

S. *Dionysius*, R. Pont. electus an. Christi 260, et Martyr. Scripsit doctam *Epist. contra Sabellianos*, cujus fragm. exstat apud S. Athanasium. De *Dionysiis* Corinthio, et Alexandrino viris doctiss. Vide Annatum in *Apparatu tom. 1. lib. 4.*

Dionysius, vir litteratus, Ciceroni, et Attico carus. Cicero in *Epist.* ad Atticum *14. lib. 4.* rogat Atticum, ut eum hortetur, ad se venire, ut filium Marcum, et se posset erudire. In *Epist.* tamen ad eundem Atticum *lib. 9.* indicat Cicero, se injuria violatum a *Dionysio*, ac in aliis *Epist.* eum ingratum vocat, ac ineptum dicit docendis filio, et nepoti. Ciceronis bibliothecam curabat, ex qua mul-

tos libros surripiens aufugit. Fuerat Ciceronis servus, nisi si alius Dionysius fuerit ab eo, de quo loquitur Cic. *Epist.* 77. *lib.* 13. ad Famil., in qua, et fugam *Dionysii*, et ejus furtum Sulpicio narrat dicens, rem parvam esse, sed dolorem suum magnum esse, rogatque Sulpicium, ut *Dionysium*, qui in ejus provinciam, Roma aufugiens, se receperat, capiat, et ad se remittat.

Dionysius, praecedentis forsitan fil. Declamator, cujus meminit Sen. in *Controv.* de eo dicens, elegantem magis, quam vehementem in declamando fuisse.

Dionysius, Halicarn. Alexandri cujusdam filius, *Historias Antiquit. Romanarum* scripsit Romae, ubi 22. an. commoratus, linguam Rom. perfecte didicerat. Graece tamen suas *Hist.* scripsit, ut res Romanae Graecis, Latini serm. parum gnaris, ignotae non essent. Scripsit etiam de *Characteribus antiquorum Oratorum*, ac *de compositione Orationis*, et *Elocutione*. Floruit sub Aug. Verisimile est, ejus *Histt.* fuisse etiam Lat. serm. tunc editas pro Romanis, quorum plerique Graeci sermonis ignari erant, et Graecum sermonem non amabant. Vide *Appianus* in *A.* Versio antiqua lat. *Dionysii* Operum desid., nec nunc integras ejus Historias Graeco sermone habemus.

Dionysius, Medicinae celebris Professor, ad quem Symmachus Urbis Praef. juvenes mittebat, ut ab eo in arte Medica erudirentur. Vide *Epist.* 4. *lib.* 9. inter Symmachi *Epist.* In ea indicatur, *Dionysium* hunc magna doctrinae fama claruisse.

Dioscorides, Anazarbaeus, magnus Botanicus, M. Antonii, et Cleopatrae familiaris. Exstant non pauca ejus de herbis, et plantis Opera. Alia, siqua edidit de Medicina, perierunt, vel latent.

Diphilus, celebris Architectus, sed valde tardus in aedificiis coeptis absolvendis, unde natum Adagium, quo utitur Cicero *Epistola* 1. *ad Q. Fratrem lib.* 3., *Diphilo tardior* de eo, qui piger est in coeptis absolvendis. Forsitan hic erat Augusti Architectus, de quo dictum verbo *Cassius* in *C*, ubi de *Severo Cassio*. De *Diphilo* quodam, architecto aedificii fratris, loquitur Cicero in *Epist. citata ad Q. Fratrem*: in qua illum non modo tardum appellat, et *Diphilo* alio tardiorem, sed etiam parum peritum in arte sua fuisse, indicat.

Diphilus, Poeta Tragicus, qui, teste Cicerone in *Epist.* ad Atticum, petulanter, Apollinaribus ludis, in Pompejum M. invectus est, dicens in *Tragoedia* sua: *nostra miseria, tu es Magnus*. Diversus hic *Diphilus* est a Poeta ejusdem nominis, qui integrum *Poema* in Boedam Phil. concinnavit, de quo Interpres Aristophanis in *Nebulis*. Forsitan hujus meminit Plautus in *Casinae Prologo*, et Terentius in *Adelphis*, ac Athenaeus. Horum *Diphilorum* Poemata desid. Vide Caelium Rhod. *Lect. Antiq. lib.* 15. *cap.* 24.

Corollarium V.

Diphthongus. Hujus in Lat. sermone necessitas dignoscitur ex confusione, quae esset in multis vocabulis, si *Diphthongo* non scribe-

rentur, ut in *Equus*, et *Aequus*: in *Aes*, et *Es*, et multis aliis, quae sine *Diphthongo* diversam habent significationem, quam cum *Diphthongo*. Olim *Dipthongi* duplici sono efferebantur (et icirco *Diphthongi* dictae) more Gallorum in suis vocabulis: qua in re nulla Romanensis lingua Romanorum antiquam pronunciationem magis, quam lingua vernacula Gallorum, servavit. Nunc autem *Diphthongorum* pronunciatio in Latino sermone extra Galliam penitus intercidit, et inter Gallos in paucis vocabulis observatur. Veteres Romani sine *Diphthongo* scribebant, et pronunciabant multa, quae postea cum *Diphthongo*, seu duplici vocali scripta sunt, ut *Fecundus*, *Femina*, *Felix*, *Fetus*, *Fenus*, cet. multa item cum *Diphthongo*, quae nunc simplici vocali scribuntur. Vide in littera *S.* verbo *Scripta*.

Disarius, insignis Romae Medicus, laudatus a Symmacho in *Epist.*, et a Macrobio in *Saturnalibus*.

Corollarium VI.

Disciplinae liberales. De earum utilitate, et inutilitate, cum ad virtutem non conferunt, vide Senecam *Ep. 89.*, in qua de singulis disciplinis agit. Utrum Romulus ingenuas disciplinas discere Romanis permiserit? Vide *Romulus* in *R.* Discipuli a discendis disciplinis dicti, quando *Auditores* dici coeperint? Vide *Latro* in *L.*

Divini, seu Vates fatidici. Plures Romae, praeter Ciceronem, de *Divinatione* scripsisse, quorum libri perierunt, indubitatum est. Vide *Augures*, *Aruspices* in *A.* De libris superstitiosis, et vanis, quorum plures, ut puto, divinationibus referti erant, a novis Christianis, praedicante S. Paullo, Ephesi combustis, quorum pretia ad 50. millia denariorum ascendebant, vide *Acta Apost. c. 19.* Inter hos libros, multos Latino sermone scriptos fuisse crediderim: tum quod multi Romani ubique essent: tum etiam, quia Romana lingua jam tunc valde communis in Roman. provinciis erat.

Divitiae, Romanorum, vide *Aerarium* in *A*: *Familiae* in *F*: *Crassus* in *C*: *Lucullus* in *L*: *Seneca* in *S*: *Theatrum*, *Thermae* in *T*.

DO

Dolabella (CN), Ciceronis gener, Orator, et Cos. Accusavit Appium Pulchrum majestatis, qui absolutus evasit. Vide Cic. *Epist.* ad *Famil. l. 3.* CN. Dolabella repudiavit Tulliolam uxorem, Cic. filiam, quae postea Crassipedi nupsit. Bini fuerunt *Dolabellae* cum eodem praenomine, forsitan Pater, et filius. Alter ex his accusavit C. J. Caesarem, teste Paediano, et in sua *Orat.* vocabat C. J. Caesarem: *Pellicem Regis* (a) *Nicomedis uxoris, et spondam interiorem regiae lecticae*.

(a) *Convicia, et Contumeliae, quibus se invicem* Orationibus *suis Romani primarii dehonestabant, atque proscindebant Augusti aevo, palam facere mihi videntur, eos non tam urbanos tunc fuisse, ut multi*

Haec *Oratio*, et ea, qua Appium accusavit, ut aliae ab eo habitae desid. Accusatus etiam fuit *Dolabella* a nonnullis, inter alios a C. J. Caes. valde juvene. Vide *Caesar* in *C*. De *Dolabellae Oratione* in M. Ant. Vide Cic. *Philip. 2.*

Domitianus (Flav.), Rom. Imperator, Vespasiani fil., et Titi item Imperat., frater natu minor, Patri, et Fratri moribus valde dissimilis. Fuit ab Scriptoribus sui temporis tanquam Poeta praestantissimus commendatus, assentatorie magis, quam vere. Ille Poetae nomen mire affectabat, et talis videri ambiebat, vel sua, vel aliena Poemata publice recitans in doctorum hominum conventibus, aliorum Poetarum more, ac praeterea Poetis favebat. Ei assentatur Quintil. *l. 10.*, ubi de *Copia verborum*, ut etiam Val. Mart. in multis *Epigramm.* Scripsit Domitianus ad Amicum *lib. de Capillorum cura*, qui desid. Illud, inter alia multa parum digna commendatione, in eo laudandum, quod bibliothecas, incendio Romae consumtas, impensissime reparaverit, missis Alexandriam, et ad alias civitates, qui exemplaria illic describerent, et designatis Viris doctis, qui libros ad se missos emendarent, priusquam in bibliothecis ponerentur. Legem etiam tulit prudentissimam de non castrandis pueris. Alia laude digna, initio regiminis ab eo gesta, videri possunt in Suet. ejus *Vitam* scribente. Omnibus invisus ob suam crudelitatem, (qua etiam in sanguine conjunctos saeviit) in suo cubiculo a conjuratis fuit occisus an. Christi 96. Imperii an. 15. Ejus Acta a Nerva fuerunt rescissa. Christianos, instigante Appollonio Thianaeo Philos., multum vexavit. V. *Apollonius* in *A*: *Quintilianus* in *Q*.

Domitius (CN.), Ahenobarbus, Orator, accusavit CN. Saturninum adolescentem. Vide *Epist. M. Caelii ad Cic. lib. 8. Epist. Famil. Ciceronis*. Repulsam passus fuit in Auguratus petitione. Ita ibidem Caelius ad Cic.

---

putant, ac ab eis bonum gustum in civili, seu politica conversatione neutiquam petendum esse. Romani Christiani multo magis urbani, etiam in barbaris seculis fuerunt, quam fuerint Ethnici in seculis politioribus. Vide Ciceronis Orat. *in L.* Pisonem, *conviciis, etiam ex faece vulgi mutuatis, refertam; vide item* Philippicas, *seu* Orationes *Cic.* in M. Ant.*; ac etiam verbo* Curio *in* C. *Sunt nunc, et fuerunt simultates. Verum res verbis magis urbanis transiguntur. Ex quo Romani ab iis, quos ipsi barbaros appellabant, quosque barbaris modis cruciabant, et necabant, Christianos mores didicerunt, et induerunt, multo humaniores, et politiores, tum verbis, tum factis redditi fuerunt: quod illuminati hujus seculi Antichristiani Philosophi cum illuminatrice sua Philosophia nondum viderant, vel vidisse dissimulant, ne fateantur Christi Religionem, etiam in Politicis, mundum emendasse, multumque humanae Societati profuisse.*

Domitius, Poeta Epigr. et Gramm. illustris. De eo, tanquam de Viro insignis doctrinae loquitur Gel. *l. 18. c. 7. NN.* Ejus Scripta desid.

Domitius, Afer, quem senem Quintilianus juvenis coluit. Scripsit binos *libb.* de *testibus interrogandis*, sive de *Officio Oratoris*. Vide Quintil. *l. 5. c. 1. Instit.* Hi libb. desid.

Domitius, Histor. De eo fit mentio, et citatur ejus *liber Histor.* in Fragm. Historicorum collectione.

Donatus (Aelius), Gramm. Romae celebris vertente Seculo 4. Ecclesiae, S. Hieronymi magister in litteris humanioribus circa an. Christi 354. Grammaticae Canones edidit, et *Commentarios in Terentium*, et *Virgilium*. Opera, quae *Donato* tribuuntur, mutila, et interpolata creduntur a Criticis. S. Hieron. de eo tanquam de magistro suo meminit in *Chron. Eusebii* ad an. Christi 360., ac in priore *Apologia* in Ruffinum, de eo, et de ejus *Comment.* verba facit.

Donatus (Tib. Cl.), Aelio junior, in Virgil. quaedam scripsit, et de Ero, Virg. liberto, nonnulla tradidit. Ejus *Commentarii* in *Bucolica Virg.* interciderunt, ut etiam plura ex *Comment.* in *libros Aeneidos*. Quae supersunt, inventa dicuntur a Joviano Pontano.

Donatus, Christianus litteratus, Afer, si ejus ambitum, et philautiam excipias, vir bene moratus. Nihilominus multas turbas in Africa excitavit sectatus Donatum a casis nigris, Schismatis in Caecilianum Carthagin. Episcopum Auctorem. *Donatistae* Schismatici non parum fatigarunt scriptis, et querimoniis suis Rom. Imperatt., et Ecclesiam. Tandem fracti fuerunt S. Augustini lucubrationibus, et Constantis Imperat. armis. *Donatistarum* scripta pro suo Schismate pauca supersunt, in Fragm. aliquot conservata. Non solum fuerunt schismatici, sed etiam haeretici. Docebant enim solos bonos esse in Ecclesia, et rebaptizandos Catholicos, qui ad eos transibant, putantes, baptisma, et sacramenta alia, a malis ministris collata, invalida esse. Coepit Schisma sub Constantino M., et Melchiade Rom. P. an. Christi 313. S. Aug. saepe cum illis publice disputavit, et eos obmutescere fecit, ut etiam Alipius, S. Aug. discipulus. V. *Marcellinus* in *M.*

Dossennus, videtur insignis Phil. fuisse; nam L. Sen. *Epist. 90.* meminit versus, ejus sepulchro inscripti, qui est hujusmodi.

Hospes resiste, et Sophiam Dossenni lege.

Dositheus, S. Petro, primo Christi Vicario, Romae sedente, et Nerone imperante, impia dogmata per Urbem spargebat. Inter alia, nullum Spiritum, nullum Angelum, sed omnia corpus esse: nullam post mortem nobis superesse vitam: nullam exspectandam resurrectionem: nullum judicium futurum: quos errores hoc seculo Materialistae, quos vocant, et novi Phil. instaurarunt.

DR

Dracontius, Poeta, Hisp. Presbyter, qui sub Honorio, et post ejus excessum floruit. Exstat ejus *Hexaemeron* versibus heroicis, seu de Mundi fabrica, et Carmen Elegiacum ei adjunctum ad Theodosium

Juniorem. *Hexaemeron* affectum reliquit, quod supplevisse dicitur Eugenius 2. Toletanus Praesul. Ad *Dracontium* quemdam, qui temporibus turbidis volebat se Episcopatu abdicare, exstat S. Athanasii Epist. Ab his duobus diversus est *Dracontius*, quem Palladius virum gloriosum, et mirabilem appellabat in *Lausiaca Historia*.

Drepanus, Rhetor, et Poeta, qui flor. sub finem 4. Eccl. Sec. Ita Ricciol. Is fuit *Lat. Drepanus Pacatus*, qui Panegyricum dixit Theod. M. Imp. Ad eum sunt nonnulla Ausonii Carmina, quib. eum laudat. *Drepani* autem *Carmina* desid.

Drossenus, Poeta *Attellanarum* Scriptor. Plin. Histor. affert nonnulla hujus Carmina. Laudatur etiam ab Hor., et Seneca. Nonnulli *Dorsennum* eum appellarunt.

Drussus (Livius), magnus Jurisconsultus, qui populo Rom. Jus interpretabatur, et id discere cupientibus monumenta reliquit, teste Val. Max. *l. 8. c. 7.*, qui addit, senem illum a Natura factum, et a Fortuna caecum: neutram tamen interpellare valuisse, ne animo valeret, et vigeret. De eo narrat Cic. *lib. 5. Tusc. QQ.* ejus domum compleri solitam a consultoribus, qui caecum hunc ducem optabant, et libenter sequebantur sine metu errandi in suorum negotiorum, etiam obscurorum, et difficilium expeditione.

Drussus (M. Liv.), Trib. pl. vir eloquens, qui Gracchorum Leges iterum vigere fecit, et Consuli L. Philippo, qui ei resistebat, non modo parum honorifice respondit, sed, et eum in carcerem adeo violenter praecipitem egit, ut multus sanguis ex ejus naribus defluxerit. Occisus fuit, cum domum ingrederetur suam, a Vario quodam, forsitan jussu Senatus, quem in Consule despexerat, et violarat. Vide Val. Max. *l. 9. c. 5.*

Drussus (Claudius), Tiberii Neronis, et Liviae filius, Augusti privignus. Vicit Rhaetos, et Vindelicos. Laudatur ab Horatio *Ode 3. lib. 4.* ejus militaris virtus, et doctrina sub Augusti institutione, et cura.

Drussus (C), citatur tanquam Historicus, scriptor rerum Augusti a Suet. in *Vita Augusti c. 94.* Ignoro, an is praecedentis filius fuerit. Inter *Historicorum Fragmm. Historiae Drussi* fragm. invenitur.

DU

Duellius, sive *Duillius*, qui postea *Bellius*, et *Billius*, idest *Bellicosus* vocatus fuit. De columna rostrata ei in foro posita ob devictos navali pugna Carthaginenses, vide Quint. *Instit. Orat. lib. 1.*, Ciaconium, et alios, qui Inscriptionem in ea positam, quae plures antiquae Latinitatis reliquias continet, illustrarunt.

Duronius, Trib. pl., et Orator. De ejus *Orat.* contra legem sumtuariam, cujus transgressor fuit, et in judicio damnatus, vide Val. Max. *l. 2. c. 9.*

Corollarium VII.

Littera *D* magnam affinitatem habet cum littera *T*: quinimmo, ut littera *G* est diminutivum soni litterae *C*, ita littera *D* immi-

nuit sonum asperum litterae *T*, ut colligitur ex Quintil. Quod favet iis, qui putant *T* Graecum pronunciandum, ut *D* in Graecis vocibus πάντα, λέοντος, ut suavius edantur voces illae, et similes. Jam vero caussa praefatae affinitatis in Latino sermone, indiferenter scribebatur antiquitus *At*, et *Ad*: *Set*, et *Sed*; *Ed*, et *Et*: *Quit*, et *Quid*: *Haut*, et *Haud*: *Adque*, et *Atque*, ut observatur in antiquis Inscriptionibus. Postea tamen ob variam significationem complurium ex his vocibus, diversis scriptae sunt litteris, et constantior Orthographia servata est, unicuique voci propriam ex his duabus consonantibus tribuens. Illud mirum, antiquos Latinos saepe vocabula per *D* finisse, ut videre est in Inscriptione columnae rostratae C. Duillii, et in 12. Tabularum legibus. In illa enim legitur: *Altod*, *Marid*, *Dictatored*, *Praedad*, *Navaled* cet. pro *Alto*, *Maris*, *Dictatores*, *Praedas*, *Navales*: quod indicat, forsitan *D* ita pronunciasse antiquos, ut ad sonum vergeret pronunciationis litterae *S* in fine: et idcirco postea loco *D* apposita fuit *S*, quod constanter est deinceps servatum. Littera *D* Romani utebantur ad indicandum numerum quingentesimum, et praenomen *Decius*, *Divus*: item *Decurio*, *Decimus*, *Dictator*, *Dedicavit*, *Deus*, *Devotus*, alia in *Inscript.*

EB

EBion, haeresiarcha 1. Ecclesiae Seculo notus sub S. Cleto R. Pont., et Tito Imper., vir magnae facundiae, qui Sacros libros omnes, praeter S. Matthaei Evangelium, rejiciebat, et errores alios, quos Cerinthus docuit, contra Christi divinitatem, et pro legalium observantia, promovebat. Contra eum, et Cerinthum scripsit suum Evang. S. Joan. Apostolus.

EG

Egesippus, seu *Hegesippus*, primus Eccles. Historicus post S. Lucam. Edidit 5. *libb.* ex quibus supersunt nonnulla fragm. Eum imitatus est Euseb. Caesareensis. Romae vixit sub M. Antonino Imp., et sub SS. Pontiff. Aniceto, Sotero, et Eleuterio.

Egnatius, scripsit *Rerum Natur. lib. unum* citatum a Macrob. *l.* 6. *Saturn. c.* 5.

EL

Elcaesei, haeretici initio 3. Eccl. Sec. Auctore Elcaeo, qui inter errores alios, docebant, in lectione Sacrarum Scripturarum positam gratiae plenitudinem, et peccatorum remissionem. Pietatem affectabant, et Magiae studebant. Hanc sectam propagavit Sampscus quidam, a quo *Sampsei* etiam dicti. De hac haeresi Orig., et S. Aug. meminere.

Elis, antiquus Gramm., cujus *Comment.* citantur a Gel. *l.* 13. *c.* 14. *Noctium Atticarum*.

Elephantis, Poetria, de qua Mart. *Epigr.* ad Sabellum *l.* 12., Impudica Carm. edidit, quae non exstant.

Elpidius, Hisp. Rhetor, Priscillianismi per Hispaniam propagator, Priscilliani, et Agapes una cum Macario Aegyptio magister in doctrina Gnosticorum, et Fatalistarum. *Elpidii* scripta perierunt.

Corollarium I.

Eloquentia. Ejus difficultatem exaggerat Cicero in *Bruto* dicens, rem unam esse omnium difficillimam. Idem dicit *l. 1. de Orat.* initio. Dicit etiam, magna praemia eloquentibus Romae proposita fuisse ad opes, ad honores, ad plausum, et dignitates. Revera olim Romae sine *Eloquentia* magnos honores, et potentiam, sive auctoritatem consecutum neminem testatur etiam Auctor *Dial. de Oratoribus*. Si id verum (, ut verum existimo,) qui Dictatoriam, Consularem, Censoriam, Praetoriam, Tribunitiam potestatem, aliosque Magistratus, vel Sacros, vel Civiles, sive Romae, sive in provinciis impetrabant, *Eloquentiae*, sive Artis Oratoriae expertes non erant, omnesque numerandi inter Litteratos. Illud mirum in Romanis, qui dignitates in Repub. obtinebant; eos nempe non solum Eloquentia civili, et militari praeditos, sed, et militari disciplina, et Jurisprudentia (praesertim, qui, vel Judices, vel Praef. praet., vel Trib. pl., vel Censores erant) ornatos fuisse praeter alias disciplinas, quae cum praefatis conjunctionem, vel societatem habent. Quae mihi tantum non persuadent, primarios Romanos longe doctiores primariis Athenien. fuisse, postquam litteras excolere magno studio Romani coeperunt. Pyrrhus, Epirotarum Rex, tanti *Eloquentiam* Cyneae faciebat, tantosque ex ea fructus capiebat, ut secum hunc virum duceret, cujus *Eloquentia*, testabatur, plures se urbes, quam ferro, in potestatem suam redegisse. Cum enim urbem aliquam armis expugnare nequibat, mittendo *Cyneam* Oratorem suum, eam ejus verbis subigebat. V. Sen. in *Prooemio lib. 3. Controv.*, ubi de Cassii Severi Eloquentia. Vide *Declamatores* in *D*: *Oratores* in *O*: Eloquentiam forensem *Caninam facundiam* Appius appellabat, teste S. Hieron. variis in *Epistolis*.

Elvidius, sive *Helvidius*, haeresiarcha, negabat perpetuam Dei Genitricis Mariae Virginitatem. Refutatus fuit a S. Hier., et a S. Ildefonso Tolet. Antistite, cui gratias egit, nomine B. Virginis, Sancta Leocadia, Virgo Toletana, et ipsa B. Virgo coelesti veste Sacerdotali eum donavit ob defensam suam perpetuam Virginitatem.

Elymas, Judaeus Magus, *Bar-Jesu* dictus, a S. Paullo coram Proconsule Rom. Sergio Paullo, viro prudente, acriter objurgatus, et mirabiliter excaecatus. Vide *Acta Apost. c. 13.*

EN

Encolpius, Hist., qui scripsit *Vitam Severi Alexandri* Imp. citatam a Lampridio. Haec *Vita* desid.

Encratitae, haeretici, sic appellati ab abstinentia a cibis, et matrimonio. Dicti etiam *Severiani* a Tatiano propagati, aucti a Severo. Ita S. Hier.

Ennius, antiquus Lat. Poeta, Rudiis in Apulia natus. Florebat

an. 169. ante Christ. aeram. Ita Ricciol: Obiit septuagenarius, an. V.C. 585. Ita Cic. *de Senect.* Scripsit Lat. versibus *Annales Rom.*: ex quibus non multa supersunt. In illis sese ostendit magno ingenio praeditum, sed arte rudem. Multa sumpsit ex Naevio, teste Cicerone in *Bruto*, ubi ait *sumpsit, si fatetur; si autem neget, surripuit*. Ipse de se ajebat, tria corda habere, quia Osce, Graece, et Latine loquebatur. Jactabat etiam homo vanus, Homeri animam in se transmigrasse. Virg., qui ex luto *Ennii* plures auri particulas se collegisse affirmabat, non pauca ex *Ennio* mutuavit, ea meliora reddens. Praeter *Ann.* scripsit *Satyras*, *Comoedias*, et *Tragoedias* citatas ab antiquis Grammaticis, ex quibus *Alcestis* citatur a Fulg. Grammat., et a Cicerone *Epist. 6. l. 7. Famil. Medea*, ex qua aliquot versus affert de iis, qui procul a patria vivunt, et *l. 1. de Orat.* adducit 3. versus ex *Trag.* Enniana, in qua Apollo loquitur. Transtulit ex Graeco in Lat. Homeri, ac Evhemeri Opera, ediditque *Hist. sacram*, quam citat Lact. *l. 1. Divin. Instit.* Scripsisse demum dicitur 3. Opera Didascalica, quorum unum *Phagetica*: alterum *Protrepticus*: *Praecepta* alterum inscribebatur; quae omnia desid. Cic. in Operib. suis saepe versus *Ennii* citat. *Lib. 1. de Divin.* citat versus, in quibus negat *Ennius* Deorum de rebus humanis curam, et alios, in quibus pessime *Ennius* de Auguriis, Auspiciis, Astrologorum, et Conjectorum divinationibus sentit, eos superstitiosos vates, inertes, insanos, et famelicos vocans. In lib. *de Oratore perfecto* citat Ennii versum, quem hiantem dicit ex Opere in laudem Scipionis edito. Illud mirum, a Cicerone summum Epicum Poetam appellari. Militavit sub Scipione Africano, cui carus admodum fuit: adeo, ut in sepulchro suo jusserit Scipio ille antiquior *Ennii* statuam poni. Ita Plin. *l. 7. H. N.*, et Cic. *pro Archia* ait, nonnullos arbitratos, *Ennium* vita functum Scipionis sepulchro illatum fuisse. V. Val. Max. *l. 8. c. 14. Ennii* est illud.

Aspicite, o Cives, senis Ennii imagini' formam.
Hic vestrum panxit maxima facta patrum:

quos versos *Ennii* affert Cic. *Tusc. QQ. l. 1.* et Distichon aliud ejusdem, quod forsitan optabat sepulchro suo inscribi:

Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu (a)
Faxit. cur? volito vivu' per ora virum:

Obiisse dicitur morbo articulari ex immodico vini usu.

Ennius alter, junior, professione Gramm. De eo Suet. de *Illustr. Gramm.* ait, de Litteris, Syllabis, et augurandi Arte scripsisse. Haec autem desid.

EP

Epaphroditus, celebris Romae Gramm.; qui usque ad Nervam Imper. vixit. Bibliot. habuit ad 30. millia selectorum librorum conti-

(a) *Alii legunt, et legendum contendunt* Fletu.

nentem. Ita Suidas. Ignoro, an is fuerit *Epaphroditus*, Neroni familiaris, cujus servus fuit Epictetus Phil.

Epaphus, vir multae lectionis: citatur a Macrobio in *Saturn.*

Corollarium II.

Ephemerides Ecclesiasticae, sive Acta Christianorum diurna. In his Martyrum nomina, passiones, et facta memorabilia priscorum Christianorum scribebantur a Notariis, qui Diaconi fere erant, a Rom. Pontiff. ad id delecti primis Eccl. Seculis. Ab his notabantur etiam in *Ephemeridibus* Praesulum Ecclesiarum electiones: templorum consecrationes: baptizandorum, baptizatorum, et sacris initiatorum numerus: fidelium eleemosinae, et donaria: Poenitentium reconciliationes: segregatorum ab Ecclesia nomina, Synodorum celebrationes, et alia: ex quibus postea *Annales Ecclesiastici*, et *Historiae*, pace Ecclesiae reddita, confectae fuerunt. Verum multae ex his Scripturis perierunt ab Ethnicis igni traditae: qua de re queritur Prudentius *Peristephanon lib.* 1. Vide in *H* verbo *Historici*.

Epicadus (Corn.), Syllae libertus, et nobilis Gramm. scripsit de *Metris*, ac perfecit, supplevitque libros, quos L. Corn. Sylla scripserat, et affectos reliquerat de rebus suis. Ita Suet. de *Ill. Gramm.*

Epictetus, Orator, et Caussidicus, Symmacho Praef. Urbis, viro doctiss. carus. Ob linguam forsitan inconsultam, jussu Carterii, Praetoris urbani, caruit foro. Ad Carterium est *Epist.* Symmachi *31. l. 9.*, veniam pro *Epicteto* orans, et poscens, ut Oratoris munus ei reddatur, utque ei liceat caussas agere: quod nescio, an impetrarit?

Epictetus, Hieropolita, Phil. Stoicus Romae magni nominis. Cum Domitiani edicto Philosophi Roma, et ex tota Italia ejecti fuerunt, ei Romae manere concessum fuit. In tanta erat doctrinae opinione, ut ejus lucerna fictilis tribus drachmarum millibus empta fuerit. Ita Lucianus Syrus. Ejus moralia Praecepta, Christiano Phil. non indigna leguntur. Reliquit duos versus Graecos, qui ejus sepulchro inscribi poterant, in quibus ait, se servum fuisse, trunco corpore, pauperie pressum, et carum superis. Vide Gellium *lib. 2. c. 18.*, et *lib. 15. c. 11.*, ubi de *Epicteto* agit. Vide *Arrianus* in littera *A*. Dicere solebat, Animas imperitorum habere corpus pro carcere; peritorum autem pro domo. Si christianus fuisset, ut arbitror, contrariam *sententiam* protulisset. Sanctus enim Paullus, vir sapientissimus, et peritissimus, corpus pro carcere, et pro sepulchro etiam, videtur habuisse.

Epicurei Philosophi, S. C. Roma ejecti: qua in Re Romani sunt imitati Messenios in Arcadia, qui Epicureos, veluti pestes adolescentum, propter mollitiem, et impietatem, ante Solis occasum agro Messenio abire jusserunt, ac totam Urbem cum templis a Magistratibus, et Sacerdotibus purgari decreverunt. Ita Suidas verbo *Epicurus* Vide etiam dicta in hoc *Syllabo* verbo *Deistae* in *D*. Sunt, qui putent, *Epicuraeos* finem ultimum posuisse non in Corporis, sed in Ani-

mi voluptatibus, et opinionem de corporeis voluptatibus esse Aristippi Philosophi Cyrenaici, de quo Horat. in *Satyris*, eum cum Cynico Diogene loquentem inducens.

Epiphanius, Salaminae Episc., Graecae, Latinae, Hebraicae, Syriacae, et Aegyptiae linguae peritus, qui floruit in fine 4. Sec. Eccl. Plurima contra haeret. scripsit, commendata a SS. Hieron., Augustino, et Eccles. Historicis. Petavius, deperdita antiqua Lat. versione, Opera ejus Graeca in Latinum vertit, ac notis illustravit. Crediderim multa alia scripsisse, quae ad nos non pervenerunt. Fuit Romae S. Paullae hospes. Ita S. Hier. in *S. Paullae Epitaphio* ad Eustochium. Ad S. Hieron. Latinam scripsit *Epistolam*, in qua disserit de Origenistarum erroribus a Theophilo Alexand. refutatis.

Corollarium III.

Episcopi, in Oriente, et Occidente (primis praesertim 4. Eccl. Seculis, seu ante Honorii obitum) humanis, et divinis litteris instructi fuerunt, ut possent, secundum S. Paulli monitum in *Epist. ad Titum*, et *Timotheum*, populos docere, et eos, qui contradicebant arguere. Post Constantinum, et eo imperante, oportebat eos in Jure Rom., et Latino sermone, quo leges Romanae scriptae erant, versatos esse: quia a Judicio Seculari licebat ad Episcopale appellare, cui standum erat, ut constat ex legibus Constantini M., quae in *Cod. Theod.* leguntur. Vide *Pontifices* in *P.*

Corollarium IV.

Epistolae Latinae innumerae Vet. Romanorum, tum Ethnicorum, tum Christ. de rebus gravissimis, et ad disciplinas spectantibus perierunt: quae si superessent multum lucis accederet rebus dubiis in Hist. Rom. Plin. narrat *l. 7. H. N. c. 25.*, J. Caes. captis post pugnam Phars. Epistolarum CN. Pomp. scriniis, ea cremasse, quin *Epistt.* legeret. *Epistolae* Decretales Roman. Pont. antiquiorum usque ad Syricium, si nonnullas excipias, supposititiae a Criticis censentur, licet illae complura ad dogmata, et disciplinam Eccl. spectantia contineant. Eae nihilominus a viris doctissimis, ut legitimae defenduntur, licet in nonnullis parvi momenti depravatae credantur ex librariorum, vel ignorantia, vel audacia. De *Epistolis*, quas antiquitus Christianis alio proficiscentibus Episcopi proprii dabant, et *Formatae* appellabantur: vide Cabassutium de *Conc. Carthag. 5.* disserentem. Eas Graeci *Canonicas*, et *Pacificas* appellabant.

Eprius (M), Orator, Paeti Traseae accusator. Vide *Trasea* in *T.*

EQ

Corollarium V.

Equestris Ordo antiquorum Rom. erat veluti Seminarium Senatorum. Nemo huic ordini adscriptus erat, qui censum annuum 400. H.S., seu 10000. Scutorum non haberet. Vide *Judices* in *J.* Solis Equitibus, et Senatoribus jus aureum annulum gestandi competebat.

Erotes, librarius, et libertus Virgilii in Poesi versatus. De eo dicitur in antiqua Virgilii *Vita*, Virgilii nonnullos *Aeneidos* versus complevisse.

Eruscius, Orator, Accusator Roscii Amerini a Cicerone defensi. De eo fit mentio in *Orat.* Ciceronis pro Roscio. Eruscii *Actio* desid.

ES

Eserninus, Rhet., de quo Sen. in *Contr.* praesertim in *Prooemio l.* 4. Erat Nepos, et discip. Asinii Pollionis, et, adhuc puer, magnam de se spem ingenio suo fecit.

ET

Etymologia. De ea multa, a Grammaticis accepta Q. Moder. Censorinus *Dissert.* 3. in *Parad. de Vita, et morte Lat. linguae*.

EV

Evangelus, alter ex interlocutoribus in Macr. *Saturn.* Erat Medicus eruditiss., sed maledicae, et procacis in omnes linguae. Ita Macr. *l.* 1.

Euchetae, sive *Euchitae*, *Psalliani* etiam dicti, haeretici ex Manete orti, pari cum Gnosticis impudentia, et impietate. Affectabant jugem Orationem, qua putabant se inpeccabiles evadere. Eorum scripta perierunt. Verum eorum errores instaurati fuerunt posterioribus Seculis.

Eudoxia, *Athenais* olim dicta, Graeca, et Latina Poetria, Theodosii junioris uxor, quae doctrina claruit, vivente Honorio. Ejus pater Leontius, insignis Phil., a quo erudita fuerat, eam exhaeredavit, bona sua inter filios distribuens, et dicens, satis filiae futuram pulchritudinem, et doctrinam ad felicem fortunam sibi procurandam. Cum de hac injuria apud S. Pulcheriam quereretur, ita sibi hanc eloquentia sua conciliavit, ut fratri Caesari Theodosio suaserit, eam in uxorem ducere, quod factum fuit. V. *Paullinus* in *P.* Dicitur versu heroico bella mariti in Persas scripsisse.

Eufraces, Phil. Stoicus, Adriano Imp. familiaris, qui taedio senectutis, et morbi, sibi, hausta cicuta, mortem conscivit, non repugnante Adriano.

Eugenius, Tyrannus, ex Gramm. Imperator factus ab Arbogaste. Victus fuit cum suo exercitu prope Aquilejam a Theod. M., et trucidatus Theod. jussu an. Christi 394. De hac victoria Claudianus in *Panegyr.*

Eulogius, sive *Eclogius*, Vitellii R. Imp. libertus. In gratiam patroni *lib.* edidit de *stemmate Gentis Vitelliae*. Ita Suet. in *Vitellio*. Hic *liber* desid.

Eulogius, Carthag. Rhetor, S. Aug. discipulus. Somniavit sibi apparere S. Aug. Mediolani tunc degentem, qui ei exposuit Ciceronis locum difficilem, quem in schola explicare debebat. Ita S. Aug. in *libro de cura pro mortuis*. Ejus est disputatio in Somnium Scipionis ab And. Schotto primum edita e vetusto codice Gemblacensi.

Eumenius, Rhetor, Constantii Chlori, patris Constantini M. Sacrae

memoriae magister, Scholis Clivien.. a Chloro praefectus. Superest hujus *Oratio* Belgii Praesidi dicta de *instaurandis Cliviensibus Scholis*, pro quibus offert annuum suum minerval: summam nempe 600. mil. numorum. Aliae *Orationes Panegyricae* ei tribuuntur Constantino M., et Constantio dictae.

Eumenius, praecedentis avus, Romae doctrinae clarus, qui octogenarius Belgicam juventutem in Scholis Clivien. erudiebat: quod de eo ejus nepos in *Oratione* praefata narrat. Sunt tamen, qui putent, non de Cliviensibus, sed Augusto-dunensibus Scholis in ea *Oratione* agi, et typographico errore illam *Orationem* depravatam esse.

Eunapius, praeter *Vitas Sophistarum, et Philoss.* sui temporis, quae exstant, scripsit *Chronicorum lib. 14.* a Caesare Claudio ad Honorium, qui libri desid. Ethnicae superstitioni addictiss. laudat Apostatam Julianum, et multa mala de Constantino M., et Christianis dicit. V. *Ablavius* in *A*.

Eunomia, docta Christiana Virgo, *Nazarii* filia. V. *Nazarius* in *N*.

Eunomius, Arianus, acer, et versutus disputator, qui Theod. M. Arianis conciliare frustra tentavit.

Evodius, Rhodius, Poeta Epicus, cujus Opera tempore Suidae, qui de eo meminit, jam perierant, vel latebant.

Evodius, Africanus Praesul, S. Aug. discipulus, quem S. Doctor interrogantem inducit in *Dial. de libero arbitrio*, quem tribus libris edidit. Is alter ex Episcopis fuit, qui contra Pelagium scripserunt ad Rom. Pontif., et in Conc. Carthagin. Pelagii errores damnarunt, imperante Honorio. Scripsisse perhibetur *de Miraculis* per S. Stephani Protomartyris reliquias Uzali editis. De eo mentionem facit S. Aug. *lib. 22. de Civit. Dei c. 8.*

Euphorbius, Jubae regis Mauritaniae Medicus, Antonii Musae, Augusti Medici frater. Plin. *l. 25. c. 7.*

Euphrates, seu *Eufrates*, Phil. Platonicus insignis, qui Romae docebat Plinii Caecilii aetate. Laudatur a Plinio *lib. 1. Epist. 10.* Ejus auditor Plin. Caec. fuit. Forsitan hic est *Eufrates*, de quo antea, qui primum Platonicus erat, et postea Stoicis potuit adhaerere.

Eusebius, Medicus laudatus a Symmacho in *Epistolis*.

Eusebius, Rhetor facundus, et eruditus, *doctrinae latialis*, ut ait Macrobius, non inscius, et inter Graecos omnes praestans. Erat alter ex Interlocutoribus in Macrobii *Saturn.* De eo Macrob. *l. 1.*

S. *Eusebius*, natione Sardus, Vercellensis Praesul doctiss. qui pro Nicaena fide multa mala sustinuit, multifariam vexatus sub Arianis Principibus. Cum exsularet, scripsit ad Ecclesiam Vercel. salutarem *Epistolam*, qua oves suas solabatur, et in fide confirmabat. Affuit variis Conventibus Episcoporum, et legitimis Conciliis, in quibus Arianis constanter restitit. Post confirmatos in Oriente Catholicos contra astus Arianorum, monitis, et scriptis suis, Vercellas demum rediit, et tunc lugubres vestes Italia exuit, ac non multo post ipse

sanctissime obiit sub Valentiniano, et Valente Imperatt. an. Christi 370. Origenis, et Eusebii Caesareen. Scripta non pauca in Lat. vertit, rejectis, quae Catholico dogmati parum consentanea sibi videbantur, Vercellis religiose asservatur Evangeliorum Codex a *S. Eusebio* scriptus.

Eusebius, Caesareen. Praesul, scriptis suis notissimus, et Arii fautor. Aegre damnavit in Conc. Nicaeno Arii errores, quibus postea clam adhaesisse dicitur. Fuit Vir doctiss. Graece, et Latine eruditus. Scripsit, praeter plura alia, *Constanstini M. Vitam*, in qua altum silentium de actis in Synodo Nicaena, cui Constantinus interfuit, contra Arianos, et de Filii Dei divinitate in ea definitis. Obiit an. Christi 340. Nicephorus Callistus, et Graeci alii Scriptores probant, eum, ut Arianis faveret, falsa scripsisse de Baptismo M. Constantini.

Eucremon, Declamator levis, sed dulcis. Ita M. Sen. in *Controv.*

Eustathius, ut vir doctus, et eruditus laudatur a Macrobio in *Saturn. l. 1. c. 5.* Est alter ex interlocutoribus in *Saturn.*

Eusthenus, sive *Euthenius*, Dioclet. Imp. ab Epistolis, scripsit *Vitas Diocletiani, Maximiani, Constantii Chlori, et Galerii*. Citatur ab Spartiano.

Eustochium, virgo Rom. nobiliss. Sanctae Paullae filia, a S. Hieron. in Sacris praesertim litteris erudita. Ad eam sunt plures S. Hieron. *Epistt.*, et *Epitaphium Matris Paullae*.

Eustochius, Cappadox, scripsit ad Constantem Caesarem de *Cappadociae, et aliarum gentium antiquitate*.

Eutropius, tanquam Scriptor Medicus citatur a Marcello ejus aequali.

Eutropius (Flav.), Hist. sub Valentiniano I. Interfuit Parthicae expeditioni cum Juliano Apostata. Scripsit Hist. Rom. *10. libb.*, brevi stylo, ab V. C. ad Juliani e vita excessum. Multa decerpsit ex libris Historiarum Sallustii, qui interciderunt, ut etiam ex libris T. Livii, qui nondum comparuerunt, ex quibus multa, alias ignota, narrat, et idcirco magni est aestimanda ejus Historia. *Eutropii* Latina Historia in Graecum versa fuit a quodam Paeania, vel Paeanio. Opus suum *Eutropius Breviarium* inscripsit. Fuit Sophista Italus, et ab *Epist.* Constantini M. Vivebat adhuc sub Valente.

NOTA.

Sunt, qui hunc confundant cum Eutropio, qui an. Christi 380, fuit Procos. Asiae, et Praef. pr., de quo Libanius in *Epist. ad Themistium*, et Greg. Nazianz., qui *Epist. 137.* eum *Magnum* appellat, et fautorem suum. Non liquet, an is sit *Eutropius*, in quem invehitur Claudianus, Stiliconis assentator *lib. 2. Eutropius* iste fuit Cos. licet Eunuchus esset: quod, ut magnum prodigium exaggerat versibus suis Claudianus.

EX

Corollarium VI.

Exsules. Plures Romanos litteratos ex antiquis *Exsules* fuisse, in decursu hujus *Syllabi* indicatur. Eorum multa Opera exstant, multa

perierunt. Exsilii poena ignominiosa inter Romanos non erat. Inter Graecos, maxime inter Athenienses, erat gloriosa: cum, barbara, et iniqua Ostracismi lege, viri virtutibus supra caeteros eminentes ex urbe pellerentur. Apud Romanos, quamvis lex illa lata non esset; vel odio, vel invidentia, vel civium factionibus, saepe viri, sanguinis splendore, militari virtute, aut doctrina clarissimi, exsilio multabantur, ut accidit Coruncano, Fabricio, Scipioni, Metello, Mario, Naevio, Varroni, Nigidio, Ciceroni, M. Marcello, Ovidio, Cassio Parmensi, Senecae, Juvenali, aliis innumeris. Quo differant, Exsilium, Deportatio, et Relegatio. Vide Jurisconsultos, qui de *Exsilio* agunt. Vide etiam *Athenas* in litt. *A*.

Exsuperantius (Jul.), *Historiam* scripsit de Marii Lepidi, et Sertorii bellis civilibus. Ejus aetas incerta est. Nonnulli putant *Exsuperantii* libellum esse Epitomen *Historiarum Sallustii*, quae desid.

Corollarium VII.

Propter affinitatem, quam in pronunciatione apud antiquos Romanos habebant litterae *E*, et *O*, consignata indifferenter inveniuntur in priscis Operibus Latinis, et Inscriptionibus multa vocabula per *E*, et per *O*: inter quae *Vertex*, et *Vortex*, *Vorsus*, et *Versus*, *Advorsum*, et *Adversum*, *Advorto*, et *Adverto* cum derivatis: Item *Benus* pro *Bonus*, *Helus* pro *Olus*, *Hemo* pro *Homo*, *Vostrum* pro *Vestrum*. Quae nunc per *E* plurali numero scribuntur ex Nominibus, tertiae praesertim declinationis, ut *Noctes*, *Urbes*, *Omnes*, saepe Rom. antiqui per *ei* scribebant *Omneis*, *Nocteis*, *Urbeis*.

FA

Fabianus (Papyrius), Rhetor, et Phil. commendatus a M. Sen. in *Controv. lib. 2. Prooemio*, qui saepe ejus declamantis sententias refert. Multa item de eo L. Seneca *Epist.* mihi 101., in qua fit mentio de *Fabiani* libris, *Civilia* inscriptis, vindicatque *Fabianum*, cujus Stylum, *Epist.* sua ad Sen., notaverat Lucilius. Illic Seneca tradit, plures *libb. philosoph.* scriptos a *Fabiano*, quam a Cicerone. Verum hi *libri* desid., et Tullii libri philos. non pauci in omnium eruditorum manibus sunt. Juvat hic attexere, quae M. Sen. in *Controv.* de eo narrat. Eum scilicet adolescentem tantae opinionis in declamando fuisse, quantae postea in disputando. Declamabat sub Arellio, et sub Blando, Rom. Equite, sed diutius sub hoc. Vide *Silius* in *S.*

Fabiola, Rom. Matrona nobiliss., et in sacris litteris doctissima, quam eruditionem cum morum sanctimonia conjungebat. Vide S. Hier. in ejus *Epitaphio* ad Oceanum.

Fabius (Justus), Vir doctus, ad quem est *Dial. de Oratoribus*, vel Taciti, vel Quintil.

Fabius (M). In *Epist. Cic. ad Coelium l. 2. Epist. ad Famil.* laudantur ejus ingenium, summa doctrina, et modestia. Nescio, an is sit

Fabius Maximus Tullianus, 5. consulatibus clarus, de quo Val. Max. *lib. 5. c. 7.*

Fabricius (Vejento), scripsit libros, quos *Codicillorum* inscripsit, in quibus multa probra in Patricios, et Sacerdotes legebantur, ob quae accusatus sub Nerone, Italiam exsul reliquit, et ejus libri quaesiti, et reperti, Neronis jussu fuerunt combusti. Ita Tac. *Ann. l. 14.*

Fabricius (C), *Sapiens* a Romanis antiquis appellatus, teste Cic. de *Amicitia*. Missus fuit Orator a Senatu ad regem Pyrrhum, acturus cum eo de captivis recuperandis. Factus Cos. Pyrrhum vicit, an. V. C. 480., et partem regni, a Pyrrho oblatam, contempsit.

Facundinus, Libertus, Mathematicus sub Augusto, de quo Plin. in H. N. secundum Codicem Ricardianum, de obelisco Aegyptio, ab Augusto Soli erecto, et dicato loquens.

Falconius (Maetius), Orator, et Vir Consularis *Orationem* in Senatu habuit, cum electus fuit Tacitus Imperator. Illius *Orationis*, quae desid., Sentt. affert Vopiscus in *Tacito*.

Falix (C. Jul.), Graecae bibliot. Praef. Ita ex antiqua Inscriptione.

Corollarium I.

Familia. Inter Gentem, et *Familiam* hoc interest, quod *Gens* ad nomen: *Familia* ad cognomen refertur. Ita Sigonius in *lib.* de *Nominibus antiquorum Romanorum*. Ex eadem *gente* plures familiae originem ducebant. Sic ex gente Cornelia erant Scipiones, Dolabellae, Syllae Lentuli, Cinnae.

Familiae, Romanae nonnullae sub Honorio, et ante eam pro censu annuo habebant, teste Olympiodoro, illius aetatis Hist. 4. milliones aureorum, praeter frumentum, vinum, et alia, quae vendita ad tertiam partem praefatae summae ascendissent. Aliae ad millionem unum, et dimidium alterius: aliae unum millionem. Symmachus, Urbis Pref., qui ex Rom. ditioribus non erat, in filii Praetura binos milliones, et paullo post Maximus, alter ex Romanis, in Praetura filii 4. milliones aureorum expendit. Post captam, et praedatam ab Alarico Urbem, Probus, Alipii fil. Praetor renunciatus sub Joanne Tyranno an. Christi 424. millionem, et 200. millia nummorum aureorum dicitur expendisse. Hae expensae fiebant pro ludis, et spectaculis, quae populo in circo, theatris, et amphitheatris dabantur in laetitiae signum pro obtento magistratu: quem morem ex parte, et cum Christiana moderatione imitantur Veneti Senatores, cum Procuratores renunciantur. Symmachus in *Epistt.* amicis commendat ferarum capturam pro spectaculis edendis in filii Praetura. Ex his colligere licet, quam ingentes essent priscorum Rom. facultates, et quantus eorum luxus.

Fannius (Rhemnius), Gramm., et Poeta sub Constantino M. scripsit Grammaticam institutionem.

Fannius (C), Cos. cum Val. Messalla an. ante Christum 161. Sub ejus Consulatu lex Fannia sumptuaria pro conviviis moderandis la-

xa fuit. V. Gell. l. 2. c. 24. NN. De eo ait Cic. in *Bruto*, ut vita, etiam *Oratione*, durum, horridum, et incultum fuisse.

Fannius (Q. Rhemnius), *Palaemon* dictus, Vicentinus Gramm. diversus a Q. Rhemnio Fannio, de quo antea; sed ignoro, an diversus sit a Palaemone, de quo in littera *P*. Artem Grammat. scripsit, laudatam a Prisciano, quae inventa dicitur, carie confecta, a Joviano Pontano.

Fannius (C), (ut puto, diversus a praecedenti *C. Fannio*) *Annales* scripsit, cui inter Historicos Sallust. veritatem tribuit, ut Catoni brevitatem. Ita in *fragmm. l. 1. Histor.* Sallustii. Ignoro, an is sit

Fannius (C), alter ex interlocutoribus inductis a Cic. in *Dial. de Amicitia*. Verisimile est, eum fuisse *Fannium*, *M. Fannii* filium, Laelii generum, et Panaetii discipulum, de quo, ut arbitror, loquitur Cic. in *Bruto*, laudans, ut bonam, et nobilem *Orat.*, quam contra Gracchum *Fannius* quidam habuit.

Fannius (M), praecedentis pater, Cos. cum Domitio Aenobarbo, scripsit *Annales*, quos in compendium redegit Brutus. De his *Annal.* Cic. *Ep. 5. l. 12.* ad Atticum, *l. 1. de legibus*, *et 2. de Orat.* Verum, ut nihil dissimulem, forsitan in nonnullis hi *Annales* confunduntur cum *Annal. C. Fannii*, de quibus Sallustius. Cognominum similitudo, ac in Nominibus, vel Praenominibus immutatio, aut error, etiam levis, magnas offundit tenebras.

Fannius (C), Historicus praecedentibus aetate posterior, qui scripsit de crudelibus gestis Neronis. Floruit sub Trajano, et videtur Plinii Caecilii intimus amicus fuisse. Defiet namque Plin. ejus mortem *Epist. 5. et 9. lib. 5.* In *Epist. 5.* narrat somnium *Fannii*, quo imaginabatur, ad eum Neronem venisse, et in toro resedisse; promsisse primum librum, quem de ejus sceleribus ediderat: hunc, et alios duos libros revolvisse, et abiisse: quo somnio praesensit id, quod ei postea accidit.

Fannius (Quadratus), Poeta, quem *beatum* appellat Horatius, non sine morsu; eo quod ejus Poemata cum imagine Auctoris in Palatina Apollinis bibliot. reposita immerito fuissent. V. Hor. *l. 1. Sat. 14.* Poemata *Fannii* latent. Si ea invenirentur, docti Critici judicare possent, num Horat. livore aliquo affectus ea scripsisset. Poeta enim Poetam, ut Cantor Cantorem odisse solet secundum Hesiodum.

Corollarium II.

Fasti: Vide verbo *Flavius* infra. Diaria, seu Ephemerides Senatus, et Urbis, *Fasti* etiam vocabantur. Vide *Acta* in *A*. *Fasti dies* appellabantur apud antiquos Rom. illi, in quibus licebat lege agere, seu in quibus tria verba Praetor, *Do*, *Dico*, *Addico* fari poterat. *Nefasti*, quos nunc Curiales *Feriatos* vocant, illi, in quibus ea verba proferri a Praetore nefas erat, seu in quibus lege agi fas non erat. De *Fastis Capitolinis*, vide verbo *Flaccus*.

Faunius, Medicus, et Poeta Sec. 4. Eccl. Scripsit versu de *ponderibus*, et *mensuris*.

Favorinus, sive *Phavorinus*, Epicteti discipulus, Philos. Gallus magni nominis sub Hadriano Rom. Imper. Romae notus, quem cum multis aliis frequenter A. Gel. audiebat adolescens, et cujus dicta, pluraque ad eum spectantia refert non sine laude in NN. *Atticis*. Inter alia narrat, *libros* edidisse, in quibus laudabat Thersitem, et febrem quartanam. Hi libri desid. Dicere solebat, se tria in vita miratum fuisse: 1. quod Gallus cum esset, Graece loqui probe sciret: 2. quod Eunuchus cum esset, adulterii postulatus in judicio fuisset: 3. quod viveret, cum Imperatori exosus esset. Ita Philostratus. In Hadriani familiaritatem admissus, patienter tulit, quod verbum aliquod, a se dictum, ab Hadriano, ut barbarum notaretur, licet vere latinum esset. Ejus silentium mirantibus amicis, et eum interrogantibus, cur Imperatori non respondisset, illius vocabuli proprietatem ostendens? dixit Favorinus: *sinite eum sibi doctiorem caeteris videri, quando 30 legionibus imperat, eique praesto sunt*. De eo narratur etiam, Plutarcho synchrono infensum fuisse. Vide Cael. Rhod. *lect. antiq. l. 19. c. 22.*, et *lib. 2. c. 17.*, ubi dictum *Favorini* affert: *Nihil in terris magnum praeter hominem; nihil in homine magnum praeter mentem, et animum*. Plura edidit, quae interciderunt. Praeter superius indicata scripsit *lib. de Ventis*, quem citat Apulejus in *lib. de Mundo*. Gel. *l. 3. c. 19.* affert sent. *Favorini* de origine Vocabuli *Pancus*, contrariam sententiae C. Bassi de *orig. Vocabulorum Favorini Dissert.* cum Sexto Caecilio circa *leges 12. Tab.* narrat Gel. *l. 20. c. 1. NN.* Item *lib. 12. c. 1. Dissert.* aliam ejusdem tradit, qua nobili foeminae, discipuli uxori, quae filium recens pepererat, suadet, ut lacte proprio infantem nutriat. Diogenes Laertius in *Socratis Vita* citat *Favorini* cujusdam *Commentt.*, et *Hist. universalem*: sed puto alium ab hoc nostro fuisse. Vide verbo *Chaldaei* in *C*.

Faustinus, vir litteratus, quem Mart. *lib. 1. Epig.* hortatur, ut Scripta sua quamprimum edat. Ad eum mittit *lib. 3. Epigr.* orans, ut carmina sua contra invidos Criticos tueatur, et vindex eorum sit.

Faustinus (Parelius), vir eruditus, qui Virgilii plagia collecta edidit.

Faustus, Cornelii Syllae filius, Pompei M. gener, jussu J. Caesaris, devicto Pompejo, occisus. De ejus insigni bibliotheca, quam habebat in praedio, praediis Ciceronis proximo, meminit Cic. *Epist. 9. l. 4. ad Atticum*.

Faustinus, vulgo Gregorius Baeticus, Eliberitanae sedis Episc., vir doctus, Romae fautor schismatis Ursicini contra S. Damasum. Scripsit contra Arianos Opus, dicatum Gallae Placidiae, Honorii Imperat. sorori.

Faustus, Manichaeus haeret. plura pro erroribus Manetis scripsit, quae perierunt, exceptis fragmentis, et sententiis, quae in S. Aug. Operibus contra eum indicantur. Confundendus non est cum *Fausto* alio, Semipel. haereseos auctore, et propagatore post Honorium.

FE

Corollarium III.

Feciales erant Sacerdotes Ethnici, Romae a Numa instituti. Horum munus erat, jura belli, et pacis, ut etiam foederis, et induciarum Romanis praescribere: res ablatas a vicinis populis, vel sontes profugos reposcere, et de illatis pop. Romano injuriis queri: certa formula bellum indicere, si injuriae non sarcirentur spatio 30. dierum: tandem foedera per unum ex eis, qui *Pater patratus* vocabatur certo sacrificio, in quo sus foemina mactabatur, icebantur. Caduceum manu ferebant, cum ad hostes ibant, de pace, vel de induciis acturi: hastam vero jaciebant in terram hostilem, cum bellum indicebant. Haec initio Reipub; postea alio ritu usi sunt Romani, cum, propagato Imperio, in longinquos hostes, ac remotas gentes bellum decernebatur. Primum pauci *Feciales* erant: procedente tempore, ad 20. numerus eorum ascendit. Oportebat, eos in Jure belli, et pacis, et in moribus antiquis Romanorum versatos esse.

Felix (Laelius). Citatur a Gel. in *NN.* ejus *lib. ad Q. Mucium*, qui desid. Citatur etiam a Paullo Manutio in *Additamentis* ad Dictionarium Calepini verbo *Lex*, ubi de lege lata a Q. Hort. Dictatore.

Felix, Jurisconsultus, Judaeae Praeses, ad cujus tribunal ductus fuit Caesaream S. Paullus, ut judicaretur, accusatus a Judaeis Hierosolymitanis. Vide *Acta Apost. cap. 23.*, et *24.*; ubi, quae in hoc Judicio contigerunt, narrantur.

Felix (Minutius), natione Afer, insignis Romae Caussidicus Ethnicus, postea Christ. Floruit an. Christi 220., et scripsit *Apologiam* pro Christi Religione. Alia, siqua edidit, desiderantur.

Felix (Pollius), ad quem misit Statius *lib. 3. Sylvarum*, laudatur a facundia, et doctrina in *Epist.* Statii, ad eum. Videtur quietis, et tranquillitatis amans fuisse, ac ambitionis urbanae expers.

Fenestella, *Annalium* plurimos libros edidit, quorum fragm. nonnulla supersunt. Citatur *liber 22. Annal. Fenestellae* inter dicta *Fragmenta*. In illo loquebatur *Fenestella* de anno aetatis, quo Cicero oravit pro Roscio Amerino, qui annus, secundum *Fenestellam*, fuit 26., in quo errasse adnotavit Paedianus. Erravit etiam Corn. Nepos, qui 4. ex his annis suppressit, ut magis extolleret amici Ciceronis ingenium. Ita Gel. *l. 15. c. 28 Noctium Atticarum*. Scripsit etiam *Achaica*, et binos *lib. Epitomarum*, quae OO. desid.

Festus (Rufus), Avienus. Vide, quae de eo dicuntur Verbo *Avienus*. Ejus *Orae maritimae Descriptionem* integram non habemus. Superest solum *lib. 1.* cum multis lacunis, et in fine mancus est.

Festivus (Aurelianus), Histor., Aureliani Imp. libertus, scripsit

Firmi Tyranni *Historiam*, citatam a Vopisco, quae desid.

Festus, post Felicem, Judaeae Presaes, ad cujus tribunal reus adductus S. Paullus, tunc *Saulus* dictus, a Judaeis Hierosolymitanis, ad Caesarem appellavit. V. *Acta Apost. cap. 25.*

Festus (Pompejus), Gramm. satis notus, scripsit de *Verborum Latinorum Significatione*, in Epitomen redigens Verrium Flaccum praeclarum Gramm., qui fuse de eo argumento scripserat. *Festus* brevitati consulens, plura Verrii praetermisit, et Paullus Diaconus parem gratiam) vel injuriam *Festo* reddidit, plura *Festi* praetermittens in *Festi* compendio, quod edidit, Carolo M. proprietatis Latinae linguae restituendae, vel stabiliendae cupido dicatum. At ne integrum quidem *Festi Compendium*, a Paullo Diac. editum, habemus. Quod legitur coagmentatum est ex variis dispersis fragmentis, quae Viri eruditi unde unde collegerunt. Primus, vel inter primos, qui ea edidit, fuit Ant. Augustinus Tarracon. Praesul doctiss. Memini, me vidisse in biblioth. Domus probationis, olim Jesuitarum, Tarracone, Opus *Festi* primaevae editionis, cum varietate characterum, ad indicanda diversa fragmenta, quae connectebantur, et in eo multas interpositas lacunas. Eam editionem, ni fallor, curaverat Ant. ipse Augustinus. Multum referret, integrum *Festum*, et plurimum, Opus ipsum Verrii Flacci invenire ad plurium verborum Latinorum propriam significationem dignoscendam, quo antiqua Latinitas posset magis illustrari. Forsitan, ut alia olim latentia, in lucem haec Scripta integra tandem prodibunt.

FI

Fidentinus, Poeta Martiali coaevus. Eum notat Mart. *l. 1. Epig.* tanquam suorum Carminum plagiarium.

Figulus (C. Martius), Jurisconsultus, quem multi Romae de Jure consulebant. Is in Consulatus petitione repulsam passus, repulsae injuriam aegre ferens, Romanis se, ut antea consulentibus dicebat: *Consulere me scitis*: *Consulem facere nescitis*. Cicero de ejus patre loquitur *lib. 2. de legibus*.

Filistus, Orator, et mediocris Poeta, Virgilii obtrectator. Ita Donatus in *Virg. Vita*. Erat Aug. familiaris, a quo reprehensus fuit, eo quod Virgilio infensus esset,

Fimbria (C), Vir Consul. Orator non rudis in Jure Civili. De eo Cic. in *Bruto*, eum laudans, et notans. Ejus *Orationes* Cicero in pueritia legebat, quas in majori aetate vix reperire poterat. Loquitur etiam de *Fimbria lib. 3. de Officiis* tanquam de Judice in caussa M. Lutatii Pinthiae, Equitis Rom., ubi ejus dicta, homine sapiente, et prudentissimo digna, refert.

Firmicus (Jul.) *Maternus* dictus, qui videtur Astrologiae magis, quam Mathesi operam dedisse. Sub Constantio scripsit *libb. 8. de Mathesi*, quos libros Niger in Italiam attulit ex bibliotheca Constantinopolitana Turcarum Imperatoris, vel ex alia illius urbis biblio-

theca, Quae scripsit de Stellarum potestate, ex Chaldaeis, et Aegyptiis accepit. *Apologiam* edidit pro Astrologia ad Mavortium Lollianum Cos. an. Christi 355. Memorat *lib. 7.* Opus a se scriptum de *fine Vitae*, et *libro 4.* promittit 12. de *Secretis Astrologicis*. Scripsit parum proba Latinitate, fassus de se, parum in Latino sermone fuisse versatum. Sunt, qui dicant, hunc, Christianum factum, de *Errore profanarum Religionum* scripsisse ad filios Constantini M. Constantem, et Constantium ab an. 340. ad 350. Sunt etiam, qui tradant, hunc fuisse J. Firmicum Maternum, Mediolanen. Praesulem. Opus de errore *profan. Religionum* in *Bibliot. PP.* reperitur. Attamen incercertum est; utrum idem *Firmicus* sit, qui de *Mathesi* scripsit. Vide Baronium ad an. 340. Fuit Siculus, et Caussarum Patronus.

Corollarium IV.

Fiscus, quo ab Aerario differret apud Romanos, tradit Coelius Rhodig. *Lect. Antiq. lib. 10. c. 2.*, ubi multa de variis nummorum speciebus. Vide de *Fisco* a Trajano dictum insigne verbo *Trajanus* in *T.*

FL

Flaccus (Fulvius), Orator, caussam, accusatus, pro se dixit. Vide Val. Max. *l. 8. c. 4.*

Flaccus, Siculus scripsit de *Conditionibus agrorum Italiae*, cujus Operis ad rem agrariam spectantis pars aliqua tantum superest: initium puto satis mutilum. A Paullo Manutio in *Additamentis* ad Calepinum verbo *Limites* citatur *Flaccus Siculus* de *Agrorum limitibus*. Floruit post Domitianum, cujus *Edictum* citat. Non constat fueritne Ethnicus, an Christianus.

Flaccus (Verrius), celeb. Gramm. V. *Festus*. Gel. *l. 4. c. 5.* citat ejus *lib. 1. rerum memoria dignarum*. Scripsisse item dicitur de *Verbis obscuris Catonis; Carmina; Epist.*: quae omnia desid. Macrob. *l. 1. Saturn.*, ubi de *Feriis* agit, eum appellat Juris Pontificii peritissimum. Fuit Augusti nepotum magister. Ejus Schola publica, quae celebris Romae erat, in Palatium fuit translata, sestertiis centenis annuis ei ab Aug. assignatis. Ita Suet. *de Ill. Gramm.*, qui addit, statuam ei fuisse positam in inferiore parte fori contra hemicyclum, in quo *Fastos* a se ordinatos, et marmoribus incisos publicarat. Hi sunt *Fasti Capitolini*, in quibus res memorabiles continebantur ab ann. V. C. 120. ad an. 765. Inventi fuerunt Romae an. Christi 1547. in marmorum fragmentis, quae sub auspiciis Alexandri Card. Farnesii fuerunt in Capitolio posita.

Flaccus (Verginius), Rhetor, Persii magister, qui vixit Senecae, et Lucani temporibus.

Flaccus (Veranius), Scriptor, qui verbis obscuris, et intellectu parum facilibus utebatur in suis lucubrationibus. Nam Augustus reprehendens M. Antonii stylum minus perspicuum, interrogat eum, an Veranium Flaccum sibi proposuerit imitandum? Ita Suet. in *Octav. Aug. c. 86.*

Flaccus (Calpurnius), Rhetor, videtur collegisse *Declamationes 51.* Rhetorum minorum, quas cum Notis edidit ex antiquo Manuscripto Petrus Pithaeus. Alia ejus *OO.* desid.

Flaccus (Valer.), Poeta Heroicus, et Tragicus, qui floruit an. 80. aerae Christ. De eo Quintil. *l. 10.* ait: *Multum in Valerio Flacco, nuper amisimus.* Plura ejus Carm. desid. Scripsit *Argonautica*, Poema heroicum *libb. 8.*, Vespasiano dicatum, quod morte praeventus affectum reliquit. Dicitur etiam *Summaria libb. Hist. Nat. Plinii* confecisse. Obiit valde juvenis sub Domitiano, an. Christi *88. Val. Flacci libb.*, qui supersunt, 1. scilicet 2., 3.; et pars 4. inventi fuerunt a Poggio cum Asconii in Cicer. Orationes *Commentariis* in monasterio celebri S. Galli apud Helvetios. Martialis *Epig. ad eum lib. 1.* hortatur *Valerium Flaccum* amicum suum, ut ad forum se conferat, et caussas illic agat, ubi aera sonant, et vale dicat egentibus Musis, et sterilibus Poetarum cathedris, ubi *basia sola crepant*. Ex quo fas est conjicere, eum pauperem fuisse. Patavinus Poeta dicitur, quia valde juvenis ex Setia, Campaniae urbe, Patavium contendit, in qua urbe Poetica laude claruit, in heroico carmine Virgilio proximus.

Flaccus (Granius), Jurisconsultus, edidit *libb. de Jure Papyriano*, in quibus leges regiae Rom. continebantur, quarum non paucae post ejectos reges abolitae fuerunt. Hujus Flacciani Operis mentionem facit Paullus Jurisconsultus in Corpore Juris. Opus *Flacci* desid.

Corollarium V.

Flamines, seu inanium Deorum Sacerdotes, qui superstitiosum cultum curabant, et sacra faciebant, 3. primum a Numa rege fuerunt instituti: Dialis qui Jovis, Martialis, qui Martis, et Quirinalis, qui Romuli, seu Quirini, in Deorum numerum a Romanis relati, sacra curabat. His 3. duodecim alii sunt additi, aliorum Deorum sacris, crescente superstitione, procurandis, qui *Flamines minores* sunt dicti, et ex Plebe creari poterant. Tres primi, *majores* sunt appellati ex Patriciis lecti. Omnium praecipuus *Dialis*, qui lictore, sella curuli, ac veste praetexta utebatur, et jure suo in Senatum ingredi poterat. *Majoribus* ab Urbe discedere non licebat, ne sacra desererentur, nec poterant divortium facere. Alia satis curiosa, et ridicula de *Flamine*, et *Flaminica Diali*, vide apud Gel. *lib. 10. c. 15. Flamines* a flammeo capitis tegumento dicti, litterati esse debebant, ne sacra a rituum, et sacrorum disciplinae ignaris tractarentur. Diversis quippe Numinibus diversa sacrificia: et his diversae ceremoniae respondebant: nec unum Numen sacrificiis aliis, quam ei congruentibus propitiabatur. Noscere etiam debebant precum, dirarum, seu devotionum (*a*), lustrationum, evocationum, supplicationum, lectister-

---

(a) *Apud veteres Rom. Execrationes, sive Imprecationes, quibus ali-*

niorum, festorum dierum, aliarumque superstitionum rationem, et in ethnica Theologia oportebat esse versatos, ne quid extra ordinem fieret. Nec deerant libri rituales, qui sub Theod. seniore combusti fuerunt, abolitis Sacerdotum ethnicorum in toto Imperio Rom. Collegiis, quae suas bibliothecas habebant, et eorum proventibus fisco adjudicatis, dominante Christiana religione.

Flaminius (T.), bis Cos. eloquens, et Plebis fautor contra Patricios. Is viam flaminiam stravit, quae Roma ducit usque Ariminum. De eo Cic., et Livius, qui narrat, eum ad Trasimenum ab Hannibale victum fuisse magna cum strage Romanorum.

Flavianus, Vir litteratus, cujus eruditio laudatur a Macrobio in *Saturn. l. 1. c. 5.* Est alter ex Interlocutoribus in Macrobii *Saturn.*

* *Flavianus* (Nicomachus). Exstat vetus inscriptio ei posita, in qua Historicus disertissimus appellatur. Ejus *Historiae* desid.

Flavius, Catulli amicus, Poeta lepidus, et facetus, ad quem sunt Catulli *Hendecasyllabi* parum pudici.

Flavius, Medicus, et Poeta, qui plura versibus de re medica scripsit Lactantii aetate. Ita S. Hier., qui testatur, suo tempore lecta ejus Opera, quae nunc desid. Vide S. Hier. de *Viris Illustr.*

Flavius, Rhetor summae auctoritatis. Scripsit de *Materia qualitatis Oratoriae* anguste nimis: quod Quintil. miratur *l. 7. Orat. Instit.* Forsitan hic fuit *Virginius*, de quo in lit. V. Forsitan *Sergius*, de quo in littera *S. Flavii* lucubrationes a Quint. citatae non comparent.

Flavius, sive, ut aliis placet, *Flavus* (Alfius), Rhetor a M. Sen. in *Controv. lib. 1.* memoratus. Illic tradit, Sen. praetextatum adhuc controversias declamasse apud Caestium, et ejus fama, ad eum audiendum, se pertractum fuisse, addens: *Semper autem commendabat eloquentiam ejus aliqua res extra eloquentiam. In puero declamante lenocinium erat ingenii aetas*. Fuit, adhuc puer, Rom. populo eloquentia sua notus, et tanto eum plausu audiebatur, ut ejus magister Caestius post eum declamare non auderet, Ita Sen. loco citato. Plin. *l. 9. H. N.* de *Delphinis* scribens, de eo meminit, et Sen. indicat, eum grandem natu, Poesi operam navasse. Ejus *OO.* desid.

Flavius (CN), Appii Caeci Scriba, et libertus. Is primus, compilatis patroni sui scriniis, *Fastorum* libros populo exposuit, cum antea pauci ex Rom. scirent, quinam *dies fasti*, quinam *nefasti* essent. Id populo adeo gratum fuit, ut eum primum Trib. pl. deinde Aedilem curulem creaverit, cum nobilium indignatione. De eo ait Cic. *pro Murena*, cornicum oculos confixisse: quod auctoritatem Juriscon-

---

cui malum optabant, Devotiones *appellabantur*. Devovere *enim* se, *erat, praevio voto morti se dedere: et* devovere aliquem, *erat diris, et imprecationibus ei malum optare. Vide alia verbo* Furius.

sultorum hic primus elevarit, tabulis propositis, in quibus videbatur, quibus diebus agi posset cum populo. Ab eo *Jus Flavianum* dictum. Vide *Fasti* in *F.*, et *Jus civile* in *I.*

Flavius (Virgin.), inter Cl. Rhetores recensitus a Suet. in *Fragmentis* una cum L. Val. Primano.

Flavius (Sulpic.), adjutor Claudii Caesaris adolescentis in lucubranda Historia. Ita Suet. in *Claudio*, c. 41.

Florentinus, Jurisconsultus, Alex. Severi Consiliarius. Ita Lampridius. Ad eum plura *Responsa* direxit Imper. Scripsit *Institutionum libb.* 12., quorum fragm. aliquot in *Digestis* leguntur.

Floridus (Rufinus), Poeta, qui floruit sub Honorio circa an. Christi 414. Supersunt nonnulla ejus Carmina.

Florus (Menstrius), Vir Consularis, et Gramm. Is Vespasianum Imperat., cui familiaris erat, admonuit, non *Plostrum*, sed *Plaustrum* dicendum, more antiquo, quem Plautus servavit in *Aulularia*, non *Ollam*, sed *Aulam*, pro *Olla* dicens. Nam in plerisque vocabulis latinis, diphthongum *au* perperam in *o* conversam, contendebat. Haec audiens cum risu Vespas., eum deinceps non *Florum*, sed *Flaurum* salutavit, ac illi *Flauri* nomen postea inditum communi appellatione, qua eum aulicorum ludibrio exposuit. Alii, simile contigisse, narrant *Floro* alteri apud Augustum, qui *Aulam* non *Ollam* dicendam etiam contendebat. Sed facile est, factum aliquod ab uno ad aliud tempus transferri.

Florus (Jul.), Jurisconsultus, Poeta, et Orator, ad quem est Horatii amici *Epist.* 3. l. 1., et alia lib. 3. In prima, quae incipit *Juli Flore*, haec de eo leguntur.

Ipse quid audes?
Quae circumvolitas agilis thyma? non tibi parvum
Ingenium; non incultum est, nec turpiter hirtum:
Seu linguam caussis acuis, seu civica jura
Respondere paras, seu condis amabile Carmen,
Prima feres haederae victricis praemia.

Vide Secundum in S. Opera Poet., et Oratoris Jul. Flori desid.

Florus (L), Quintiliani discip., qui in compendium redegit Historicos T. Livii libros, nulli posterorum Historicorum secundus. Forsitan ex familia praecedentis erat.

Florus, Lugdun. Diaconus, Sec. 4. Eccl. Poeta, cujus versus aliquot edidit Mabillonius.

Florus (Jul.), diversus a Julio Floro, Horatii amico. De eo Quintil. *lib.* 10. loquitur tanquam eloquentiae in Gallia Togata, ut puto, principe, cujus dictum ad Julianum Secundum affert. Fuit Porcii Latronis discip. sub Tiberio. De eo etiam M. Sen. *libro*, mihi 4. *Controv.* Non liquet, an filius fuerit J. Flori, de quo Horatius.

Florus (L. Annaeus), Hisp. ex Senecarum gente, ut censet J. Lipsius. Scripsit praeter *Hist. Rom. libros* 4., *Epistolam* ad Adrianum Im-

per., quae desid., citatam a Charisio, in qua dicit, se Poematibus delectari. *Flori* Poetae meminit Spartianus, quem sub Hadriano vixisse tradit, et verisimile est de *L. An. Floro* locutum. Nam, eum Poetam fuisse, et Poematibus delectatum stylus ejus poeticus in soluta sua Historica narratione satis ostendit. Sunt, qui putent, hunc *Florum* eundem esse cum *Floro*, qui vulgo *Abbreviator* Livii dicitur. Verum stylus utriusque est valde diversus, et noster in multis a T. Livio dissentit. *L. Annaei Flori* stylus laudatur ab his, culpatur ab illis, ut verbis Horatii utar. Culpatur eo quod frigidas argutias narrationibus suis adjungat, et saepe erret in factis narrandis. Sunt tamen pro ejus stylo scriptae Apologiae, ut sunt Criticorum diversa judicia. Poetica *Flori* Opera latent, vel interciderunt.

FO

Folia, Ariminensis Maga, Canidiae socia, de qua Hor. in *lib. Epodon.*

Fontaninus, Poeta, de quo Ovid. *l. 4. de Ponto Ep. 16.*

Corollarium VI.

Foeminae, Romanae inverecunde affectabant, Juvenalis aetate, Graecae linguae, et liberalium disciplinarum studium. Vide Juven. *Sat. 6.* Martialis non optabat nimis doctam uxorem. Experientia proculdubio compertum Romani habebant, foeminas doctas parum morigeras esse, ac de rebus domesticis parum curare. Nihilominus plures recensentur, praesertim inter Nobiles, quae, et doctissimae, et morigerae, et optimae Matres familias fuerunt. Vide *Mulieres* in *M.* De Graecis foeminis doctrina celebribus, quas imitatae nonnullae Romanae sunt, vide Cel. Rhod. *l. 14. c. 1.* Commentum censeo, viri alias doctissimi, certamen litterarium Rhodi habitum inter 12. foeminas Romanas litteratas, et totidem Graecas: quo in certamine Romanae palmam retulerunt in Oratoria; Graecae autem in Philosophia. Rem gratam Auctor, quem honoris caussa non nomino, lectori suo fecisset, si Scriptorem antiquum praedem dedisset facti hujus memorabilis, quod narrat.

Fonteius, Orator, dixit pro Nucerinis, cujus Orationis meminit Fulgent. Gram. sed ad nos non pervenit.

Formianus (Ael. Mancia), Orator, petulanter in CN. Pomp. invectus. Vide Val. Max. *lib. 6. c. 2.* Vide *Pompejus* in *P.*

Fortunatianus (Chirius), Afer Hist. sub Gordiano, et Philippo Arabe, Rom. Imperatoribus. Scripsit vitam Maximi, Balbini, et Pupieni. Ita Capitolinus. Hae *Vitae* desid. Ei tribuuntur *libri 3. Artis Rhetoricae*, qui forsitan sunt S. Augustini. De *Fortunatiano* Afro, Aquilejen. Episcopo agit S. Hier. de *Script. Eccles.* ac de ejus *Commentariis* brevibus in Evangelia, parum eleganti sermone scriptis. In *Epist.* ad Paullum Concordiensem meminit Commentarios *Fortunatiani*, quos ab illo petit, sibi mitti.

Frontinus, Poeta laudatus a Mart. *l. 10. Epig.*

Frontinus, (Sextus Jul.), Jurisconsultus, Augur, vir Consularis, et Rom. exercitus dux, qui floruit sub Vespasiano, Nerva, et Trajano. De eo Tacitus in *Agricolae Vita*. Scripsit *Stratagematon libb.* ternos, Domitiano Caesari dicatos, quos librariorum incuria, corruptos repetitionibus habemus. Scripsit etiam de agrorum limitibus, et citatur a P. Manutio verbo *limites*. At forsitan hoc opus est posterioris Frontini. Edidit insuper libros de *Scientia militari*, dicatos item Domitiano, quos citat Vegetius. Citatur denique ab Aeliano c. 1. *suorum Tacticorum*, Frontini liber de *Tactica Homeri*, *aetate cognita*. Haec OO. desid. Curator factus aquarum, communi usui servientium, jussu Nervae, scripsit binos libb. de *Aquae ductibus*. Quod Opus inventum fuit a Poggio in Cassinensi Monasterio. In *Stratagematon* libris affert dicta, et facta sollertium ducum. Vixit usque ad Trajanum, sub quo, post ejus obitum, ei in Augurali Sacerdotio successit Plin. Caecil.

NOTA.

Complures Aquae ad usus publicos Romam confluebant per ductus magnificos, ex remotis locis deductae, quae per 14. urbis regiones distributae erant. Praecipuae fuerunt Aquae Claudiae, et novi Anienis, Aqua Julia, Tepula, Martia, Anienis veteris, Aqua Virgo, Appia, et Alseatina.

Frontinus (Jul.) Alexandri Severi Imperat. in Lat. Rhetorica magister. Ita Lampridius in *Vita Alex. Severi*.

Fronto, vir doctiss. M. Ant. Triumviri magister, cui discipulus statuam erexit, et quem Augustus Consulari ornavit dignitate. Ejus opinio de voce *Mortales* pro *Homines*, usurpata a Claudio Quadrigario in *Annal. lib. 13.*, affertur a Gel. in *NN. lib. 13. c. 27.* Ejus Scripta desid.

Fronto (Corn.), Rhetor, et Gramm. sub Hadr. citatur a Cosentio antiquo Gram. ejus dictum de Scholis Durocortori Rhemorum in Gallia, quas Atheniensibus comparabat. Me latet, an is sit

Fronto (Corn.), Orator, cujus in Oratoria fuere discipuli M. Aurel. Phil., et L. Verus, postea Rom. Imperatt., *Divi Fratres* dicti. In L. Veri gratiam erecta fuit S. C. statua Frontoni, et per 2. menses Consulatu ornatus fuit.

Fronto, Orator, et tertium Cos. sub Trajano. Dicto suo satis libero, licet obscuro, impetravit, ne inposterum Nerva Imper. faciles aures praeberet delatoribus.

Frumentius, Tyrius Phil. Christi fidem amplexus, Evangelium in India promulgavit sub Constantino M. Ex India redux, an. Christi 327., a S. Athan. Episcopus fuit ordinatus.

FU

Fufidius scripsit de Architectura ante Vitruvium. Ejus *OO.* latent, vel perierunt.

Fulgentius, Medicus. Ejus *liber de medicinalibus caussis, de nume-*

ro septenario, *et novenario*; citatus à Fulg. Gramm. in Operibus, quae supersunt.

Fulgentius (Fabius), *Planciades* dictus, antiquus Christ. Gramm. incertae aetatis: Scripsit *Mithologica*, et de *prisco sermone* ad Chalcidium, ac libellum de *Continentia Virgiliani Poematis*. Supersunt nonnulla ejus Scripta: non omnia. Sunt, qui dicant, fuisse Episcopum novae Carthaginis in Hispania. Si Chalcidius, ad quem direxit scripta *Fulgentius*, vixit circa Constantini M. tempora, quod ex amicitia cum Osio, colligitur (nisi si *Osius*, seu *Hucius*, cui sua scripta dicavit, alius fuerit a Cordubensi Praesule) *Fulgentium* ante Honorii tempora floruisse necesse est, et locum sibi vindicat in hoc *Syllabo*. Vide *Chalcidius* in *C*.

Fulvia, M. Ant. Triumviri uxor, virili animo praedita: ense namque accincta incedere solebat; tesseram dabat militibus; et *Orationes* ad eos in castris habebat. Ita Dion de Aug. rebus scribens. Haec est, quae nacta resectissum Ciceronis caput; in Ciceronis linguam saeviebat, acu eam fodiens.

Fulvius, A. Fulvii filius, ingenio, forma, et litteris inter aequales nitens, occisus fuit a Patre, quia ad Catilinae castra ibat. Ita Val. Max.

Corollarium VIII.

Funambuli, qui artem aequilibrii corporis servandi per funem in aere suspensum ambulando norant, plures Romae olim ab antiquis Romanis visi. In *Epist. Coelii* ad Cic. *lib. 8. Epist. Famil.* Ciceronis, fit mentio *Bauli* cujusdam Romae hanc artem exercentis.

Fundanus, Poeta Comicus, Aug. carus, et Horatii amicus. De eo Hor., *l. 1. Sat. 10.* Ejus *Comoediae* non extant, vel latent.

Funus, Romanorum antiquorum. Vide *Apotheosis* in *A*.

Furius, *Antias* dictus, vetus Poeta *Annalium* Scriptor, ex quorum *lib. 10.* affert nonnullos versus Macrob. *l. 6. Saturn.* Gel. eum defendit contra Caesellium Vindicem, qui ajebat, *Furium* dedecorasse vocabulis suis Lat. linguam, quia usus fuit verbis, *Lutesco*, *Viresco*, *Noctescit*. De his vocabulis affirmat Gel. nec dura esse, nec dictu tetra, cujusmodi sunt vocabula nonnulla satis rancida illustrium aliorum Poetarum. Hujus *OO*. desid. Non liquet, utrum is sit

Furius (A.), Poeta, familiaris Q. Catuli, qui ad eum misit *lib. de Consulatu*, et *rebus gestis suis*; teste Cic. in *Bruto*: qui liber etiam desid.

Furius, Jurisconsultus singul. doctrinae, et peritiae in Jure Praeditorio. De eo Val. Max. *l. 9. c. 12.* Q. Scaevola, Augur Jurisperitissimus consultores suos ad eum, et ad Castellium Praediatorii Jurisperitos nonnunquam rejiciebat. Ita Cic. in *Oratione* pro *Balbo*.

Furius. Furii cujusdam vetustiss. liber de *Formula evocandi deos*, cum urbes oppugnabantur, citatur a Sammonico Sereno. Macrob. *l. 3. Saturn. c. 9.* affert Formulam illam superstitiosam, et aliam, qua a Ro-

manis, per ethnicos suos Sacerdotes, urbes, et exercitus hostiles (a) devovebantur, citato Sammonici *lib. 5. rerum reconditarum*, et *lib. Furii*, ex quibus illas *Formulas* descripsit. Forsitan *liber Furii*, a Macrobio citatus, est *Furii* antiqui Poetae, et *Annal.* Scriptoris, de quo antea. Liber praefatus desid.

Furius, Poeta turgidus, notatus ab Hor. *Sat. 5. l. 2.* versu illo.

Furius *hibernas cana nive conspuit alpes*.

Ejus turgida Poemata non comparent.

NOTA.

De Poetis hisce turgidis, quorum numerum auxerunt Poetae Hispani, imitati in tumore nonnullos Poetas Italos, qui eos praecesserunt, ait M. Seneca, Cordubensis Criticus, *Declamm.* mihi *lib. 4.* plus furoris habere, sed plus etiam corporis, addens = : semper ad sanitatem proclivis est, qui potest detractione curari. Illi succuri non potest, qui simul insanit, et deficit = V. *Alpinus* in *A*.

Furnius, Vir eloquens, et Aug. carus. Ejus namque rogatu veniam dedit patri, Antonianas partes secuto. Ejus dictum pulcherrimum ad Augustum occasione accepti beneficii lege apud L. Sen. de *Benef. l. 2. c. 25.*: quod legitur etiam, non citato Seneca, apud Cael. Rhodig. *l. 7. c. 28. lect. antiq.*, ubi plura grati, et ingrati animi exempla.

Fuscus (Gellius); Hist. citatur a Trebellio in *Tetrici junioris tyranni Vita*.

Fuscus (Arellius), Rhetor, de quo Sen. non semel in *Controv.* Fuit Ovidii, et Fabiani in eloquentia magister, apud quem ille declamabat una cum Latrone. In fine *Suas. 2.* notat ejus in stylo nimium cultum, et fractam compositionem. In *Prooemio lib. 2. Controv.* parum honorifice de eo loquitur, quod attinet ad ejus stylum Oratorium. Licet enim splendidam dicat ejus explicationem; mollitiem, tamen, inaequalitatem, ariditatem, et nimiam licentiam in ejus *Oratione* carpit. Nonnulli putant, hunc esse *Fuscum*, R. Equitem, de quo Plin. *l. 33. c. 12.* motum equestri ordine, narrat.

Fuscus (Aristius), Poeta, et Orator egregius, laudatus ab Hor. *l. 1. Sat. 10.* Ad eundem est *Ode 19. l. 1.* Ex quibus dignoscitur, Horatii amicum fuisse.

Fuscus. Forensem Oratorem hunc fuisse, Martialis aetate, colligitur ex *Epigr.* Mart. ad eum *lib. 7.*

Fusius (A), Ciceronis amicus intimus: homo, ut ait Cic., eru-

---

(a) Devotiones *istae, ut dictum est superius, erant Execrationes, et Imprecationes*. Devoti *etiam in bello dicebantur, qui duci ita se obstringebant, ut eisdem casibus obnoxii essent. Nonnulli Romani se pro patria servanda morti devovebant, ut bini Decii, et alii.*

dinus, et summa humanitate praeditus. Vide Cic., *Epist.* 3. *lib.* 13. *Fam. ad C. Memmium*. *Fusius* etiam appellabatur Calenus Senator, quem, licet amicum, acriter exagitat Cic. *Philippica* 10., quia M. Antonii partes videbatur sua sententia, et Oratione in Senatu fovere. Vide *Calenus* in *C.*

Corollarium VIII.

Littera F est Semivocalis, licet nonnulli eam mutam dicant. Respondet *Phi* φ Graecorum, et eundem in pronunciatione habet sonum. Latini in nonnullis dictionibus, Graecis origine, utuntur F loco φ, ut in vocibus *Fama*, *Fanum*, et aliis. Frequentius tamen per *Ph* scribunt vocabula ex Graecis sumpta, ut *Philosophia*, *Phosphorus*. Antiquissimi Latini utebantur littera F loco aspirationis, seu loco *H*, et scribebant *Trafo* pro *Traho*: *Veso* pro *Veho*: *Fordeum* pro *Hordeum*: *Felena* pro *Helena*: *Horctum* pro *Forctum*, quod Bonum significabat, unde *Fortis*. Ⅎ inversa Digamma Aeolicum dicitur, quo utebatur loco *V* consonae, primum C. J. Caesar, et postea Claudius Imperator. Vide *litterae* in *L.*

GA

GAbii. Horum civitas, ad quam missi fuerunt in pueritia Romulus, et Remus, ut in ea liberalibus disciplinis imbuerentur (ut tradit Plut. in *Vita Romuli*), non procul a Palatino monte sita erat. In ea olim fuisse scholas ingenuarum disciplinarum, ex his, quae Plutarchus narrat, accepta ab antiquis Rom. Scriptoribus, non obscure intelligitur. Ad has scholas forsitan mittebantur ex ditione regis Albani, (qui sedem in Alba longa habebat), pueri, et adolescentes, ut litteras discerent. *Gabios* postea, Romuli suasu, Romam commigrasse, verisimile mihi videtur, vel ex illis accitos Romam magistros ad pueros Romanorum erudiendos.

Gabinianus (Sex. Jul.), insignis Rhetor, de quo Suet. in *Fragm.* de *Cl. Rhet.* De eo etiam fit mentio in *Dial. de Orat.* et a S. Hier. in *Eusebii Chron.*, ac in *Praef. ad Isaiae Comment.* non sine commendatione ejus eloquentiae. Floruit sub Aug., et Tiberio. Ejus Scripta desid.

Gajus, vide *Cajus* in *C*. Dictis illic addo ex Gravina, eum fuisse ex equestri ordine, et sub Antonino Imperatore floruisse. Eum *nostrum* appellat Justinianus, non quod ejusdem aetatis fuerit, sed quia ex ejus *Juris Institutionibus* multa deprompsit.

Galba, Orator praeclarus, sed corpore deformis. De eo M. Lollius dicebat: *Galbae ingenium male habitare*. Ita Macr. *l.* 2. *Saturn.* Non liquet, an is sit

Galba (Sergius). De eo Cic. in *Bruto* ait, fuisse primum, qui artificio oratorio usus fuit, ac plura in ejus laudem addens, confert eum cum Laelio, cui in multis eum praefert, licet in elegantia oratoria Laelio primas concedat. Ignoro, utrum is fuerit Sergii Galbae

Imperat. abavus, vel tritavus. Incertus animi etiam haereo, cujusnam *Galbae* sit *Commentarius* de *expeditione Arabica*, citatus a Plin. *l. 6. H. N.* Hoc certum eum Hispaniae ulteriori praefuisse, et Lusitanos complures, bonis verbis deceptos, crudeliter spoliasse, et occidisse: quo facto bellum Viriaticum Romanis valde grave, et periculosum accensum fuit. Vide *Hist. Hisp. Marianae lib. 3.*

Galba, Sergii Galbae, Imp. R. avus. Is non egressus Praeturae gradum, multiplicem, nec incuriosam edidit *Hist.* Ita Suet. in *Galba c. 3.* Forsitan hic est.

Galba (Sulpicius), citatus a Juba Hist., et memoratus a Plut. in *Vita Romuli*. Videtur Hist. fuisse. Fuit Sergii Galbae filius, et praefuit Hispaniae ulteriori, cui praefuerat olim ejus pater. Inter Epistolas familiares Ciceronis legitur *Epist. Sergii Galbae* ad Ciceronem; in qua narratur victoria, a se reportata, contra M. Antonium.

Galba (Sergius Sulpicius), Hispaniae citeriori Praefectus. Jam senex electus fuit a Militibus, et Hispanis Romanus Imperator ob Neronis flagitia, adjuvantibus Othone, et Vindice. *Orationem* habuit Cluniae (non Coloniae, ut ait Plut.) in Hispania, antequam Imperator renunciaretur, et Romae aliam cum Pisonem adoptavit. Vide Tac. *l. 1. Hist.* Hae *Oratt.* desid. Imperavit 7. mensibus an. Christi 69., et a Praetorianis occisus fuit, instigante Othone Silvio irato ob Pisonis adoptionem. Natus fuerat prope Terracinam in villa colli supposita.

Galenus, post Hippocratem, Medicorum facile princeps, Pergami natus, Romae floruit usque ad Antonini tempora. Ejus *OO.* sunt notissima. Nonnulla tamen inter *Galeni* Opera recensentur, quae *Galeni* non sunt, et aliqua, quae, vel Graeco, vel Latino sermone scripsit, Hippocratem illustrantia, dicuntur, solum Arabico sermone inveniri. Antiqua versio Latina Operum *Galeni*, suo tempore procul dubio facta pro Romanis Medicinae studiosis, desid. Desiderantur etiam *2. libri*, quos contra Asclepiadem edidit. Vide *Asclepiades* in *A.* Vide alia de *Galeno* apud Cael. Rhodig. *lect. antiq. l. 30. c. 12.*, ubi plura, quae de se *Galenus* narrat. Multos annos supra centum eum vixisse, quod nonnulli tradunt, fabula ficta reputatur, licet valde Senex obierit.

Gallicanus (Vulcatius), Senator Rom., et Historicus. Scripsit, vel scribere decreverat *Vitas Impp. Rom.*, quarum vix quidquam superest. Videtur solum edidisse *Vitam Avidii*, vel *Aurelii Cassii*. Erat Senator, Diocletiani temporibus, et est alter ex 5. Scriptoribus Historiae Augustae; qui, secundum Casaubonum, et Criticos alios, infeliciter scripsit.

Gallicanus (Fundulus). Ejus *Ephemerides* citantur a Vopisco in *Vita Probi* Imp. Hoc Opus desid.

Gallicanus (Rutilius), Poeta, floruit sub Honorio ad an. Christi 400.

Gallicus, Caussid., et Scriptor. Ita Mart. in fine *lib. 8. Epig.* De quo autem argum. scripserit, non dicit.

Gallienus, R. Imp. infelicis Valeriani Imp. filius. Fuit Poeta, Orator, et in disciplinis omnibus illustris. Ita Treb. Pollio, qui affert nonnullos ejus *Versus*, de eo scribens. *Epistolam* etiam ejus affert *ad Veranium*, qua innotescit, eum crudeliss. fuisse. Caetera ejus *OO.* desid. Occisus fuit cum fratre Valeriano ad. an. Christi 268. Imperavit una cum patre fere 7. an.; solus 8.

Gallio, (quem *Patrem* appellat Quint. *l. 3. Orat. Instit.*, ut eum a *Gallione* filio distinguat) de *Rhetorica* scripsit. Ita Quint. Forsitan is fuit

Gallio (Jun.), Rhetor, amicus, et affinis, vel consanguineus M. Senecae, qui eum *nostrum* appellat cum filiis loquens, et in tenera aetate jam declamantem laudat. Vel hic, vel ejus fil. adoptavit, postea Novatum, M. Sen. filium, et L. Senecae fratrem, qui ex eo *Gallionis* nomen sumpsit. De eo non semel M. Sen. in *Controv.* nonnunquam ejus stylum, et Sentt. carpens. De eodem videtur L. Sen. loqui *Epist. 105.*, ubi dominum suum eum appellat initio *Epistolae*. Eloquentia sua, et optima patris institutione, per varios gradus, ad Achajae Proconsulatum ascendit. Ad ejus tribunal reus adductus fuit S. Paullus Apost. a Judaeis, cum Corinthi Evangelium Christi promulgabat. Vide *Acta Apost. c. 18.*, ubi de *Gallione*, accusationem Judaeorum contemnente. Sen. in *praefata Epist.* tradit, eum Achajam reliquisse, cum illic febri laboraret. Ajebat enim, febrem suam non corporis morbum esse, sed loci. Vide *Novatus* in *N.* Nonnulli censent, *Gallionem*, Achajae Procos. fuisse Novatum, M. Senecae filium, quod valde probabile arbitror. Ad *Gallionem* est Ovidii *Epist. lib. 4.* de Ponto.

Gallus (C. Aquilius), Jurisconsultus magni nominis, qui plures claros alumnos in Jure habuit, quos inter Servius Sulpicius recensetur. Fuit *Formularum*, seu *Cautionum Juris* artifex, cujus Operis fragmm. supersunt. Laudatur a Cic. *l. 3. de Nat. Deorum*, *l. 3. de Off.*, et in *Orat. pro Caecina*.

Gallus (C), familiaris Patris Scipionis Afric. De eo, ut magno Astronomo loquitur Cic. in *Dial. de Senect.*

Gallus (Sulp.), dicitur adjuvisse cum aliis viris primariis Terentium in Comoediis suis. Ita Santra, indicans, valde juvenes fuisse Laelium, et Africanum, cum suas daret *Fabulas* Terent., et iccirco non credit, ab illis adjutum fuisse, ut vulgo putabatur. V. *Terentius* in *T.* *Ennius* in *E.*, ubi de eorum aetate. Plin. *l. 2. H. N.* tradit, eum scripsisse volumen de *Solis et Lunae defectione*, quod desid. Ex quo intelligitur, eum Astronomum fuisse. Forsitan hic idem est cum praecedenti *C. Gallo*, etiam Astronomo, (de quo Cicero), qui potuit *Cajus Sulpicius* appellari.

Gallus (Vibius), Rhetor, cujus frequens fit mentio apud Sen. in *Controv.* De eo ait, tam magnae olim eloquentiae, quam postea insaniae fuisse. Ita *Declamationum. l. 1.*

Gallus (Caecil.), Vir doctiss. appellatur a Macr. *lib. 6. Saturn.* citato ejus *l. 2.* de *Signif. Verborum ad Jus Civile pertinentium*.

Gallus (Corn.), Poeta Elegiacus Foroliviensis, qui claruit an. ante Christum 30. Ex infima fortuna, Augusti favore, Praetor factus, Aegypti Praefecturam obtinuit. Ita Suet. De Corneliana Charta, a Corn. Gallo Aegypti Praef. dicta, quia forsitan eam aliter praeparatam dedit, meminit S. Isidorus *Orig. l. 6. c. 19.* Scripsit *libb. Amorum* suorum. Transtulit ex Graeco in Latinum *Euphorionem*. Cum Augusti gratia excidisset ob ingratum, et malevolum animum, Senatui, auditis Accusatoribus, morte dignus visus est, et S. C. de eo occidendo factum. Verum ipse sibi mortem conscivit an. V. C. 728. V. Suet. in *Aug. c. 66.* Ammianus Marcel. narrat *l. 17.*, eum furti accusatum, et repetundarum reum actum, eo quod provinciam, Thebas praesertim, spoliasset, se interemisse an. aetatis 43. Ad eum est Virgilii *Ecloga 10.*, qua eum consolatur ob amissam Cytheridem. *Corn. Galli OO.* desid. Quae enim sub ejus nomine leguntur, doctiorum judicio Criticorum, subdititia sunt, et eo indigna. De Cytheride meminit Cic. in *Epist.* ult. *lib. 9. Famil.*, qua cum coenasse apud Volumnium cum excusatione aliqua narrat Paeto, dicens, se ignorasse, affuturam convivio: quod indicat, eam mali commatis foeminam fuisse. Servius in *Eclogam 10.* Virg. hunc *Gallum* confundit cum Pollionis filio, qui sequitur.

Gallus (C. Asinius), Pollionis fil. Cos. Orator, et Poeta. Aug. carus, et familiaris. Scripsit de comparatione Asinii Pollionis, ejus Patris, cum Cicerone. V. Plin. Caecil. *l. 7. Ep. 4.* Contra hunc librum Claudius Caesar scripsit, Ciceronem defendens. Sub Tiberio de conjuratione suspectus, et accusatus, cibi abstinentia, vitam finivit. Vide Tac. *Ann. l. 6.* De eo declamante vide Sen., qui in *Prooemio lib.* mihi *4. Controv*, eum magnum Oratorem vocat. Fuisse Poetam Epigram. testatur Suet. de *Ill. Gram.*, ubi mentionem facit ejus *Epigr. in M. Pomponium Marcellum*. Ejus *OO.* desid., et solum versus aliquot ex *Gallo* a Grammaticis antiquis citantur.

Gallus (Aelius), Jurisconsultus, et Hist. sub Aug. laudatur a Gellio *lib. 10. c. 21.* tanquam vir suorum temporum doctiss. cujus Sententiam affert de dictionibus *Novissimus*, et *Novissime*, a quibus tanquam novis, et minus Latinis abstinebat, Varronis, et Ciceronis exemplo, licet alii Viri docti, ut Sallustius, et Cato, *Novissimum* pro *Extremum*, et pro *Valde Novum* promiscue usurparent. Ejus Scripta de *Expeditione Arabica* citat Plin. *l. 6. H. N.* Haec, et alia ejus *OO.* desid.

Gallus (Fab.), librum edidit inscriptum *Cato*. Ad eum *est Epist.* Cic. *lib. 7. ad* Famil., in qua haec leguntur. = *Catonem tuum mihi mitte : cupio enim legere : me adhuc non legisse, turpe utrique nostrum* est = *liber* praefatus periit, vel latet.

Gallus (Aelius), laudatur tanquam Medicus a Galeno, qui ait, ab eo Caesarem quadam antidoto a veneno liberatum. Vide Galenum de *Antidotis*.

Gallus, qui Poetae *Sani* nomen ambiebat, vel sua, vel aliena Carm. vendens, ut sua. De eo Mart. *lib.* 12. *Epigr. ad Classicum*.

Vendunt Carmina Gallus, et Lupercus:
Sanos, Classice, nunc nega Poetas.

Corollarium I.

Galli natione. De his ait Cato in *libb. de Originibus*, militari, et Oratoria arte insignes fuisse. Ad eum Catonis locum Riccobonus Italus doctissimus tradit, Romanos olim filios suos Massiliam misisse, ut illic eloquentiam discerent. Muretus affirmat, Ciceronem in sua adolescentia habuisse in arte Oratoria magistrum Plotium, Gallum Lugdunen., qui magna cum celebritate Romae Lat. eloquentiam docebat. Idem dicitur in Lexico Latino, curato a Manutio, verbo *Plotius*, ubi citatur Ciceronis locus, quem non inveni. Nihilominus vide *Gnipho* in *G.*, et *Plotius* in *P.* Fuit in Gallia celebris sub finem 4. Eccl. Seculi Schola Burdegalensis, de qua verbo *Ausonius* in *A.*, et teste S. Hieron. in *Epist. ad Rusticum Monachum*, suo tempore florebant in Gallia litterarum studia. Illud item ait adversus Vigilantium scribens: *Sola Gallia* (haereticorum) *monstra non habuit, sed viris fortissimis, et eloquentissimis abundavit*. Nondum nempe apparuerant in Gallia Albigenses, et eorum germina Calviniani: contra quos misit Deus Ecclesiae Sanctos Dominicum, et Ignatium, Hispanos. Eorum etiam audaciam armis, et legibus postea fregerunt Borbonici heroes, Galliae reges, Ludovicus XIII, et XIV. vide Historicos Gallos. Galliae universae Galba Imperator jus Romanae civitatis concessit: quod postea toti Rom. Imperio fuit concessum.

Gargetius, Phil. Epicureus, de quo Cic. in *Epist. ad C. Cassium lib.* 15. *ad Famil.*

Gaurus, scripsit plura Volumina *de Priami praeliis*, et irridetur a Mart. *lib.* 9. *Epig.* in *Gaurum*. Haec volumina desid.

GE

Gellius (A) (quem alii, praenomen *Aulus* per *A* signatum cum nomine *Gellius* jungentes, *Agellium* faciunt) fuit Gramm. insignis, Jurisconsultus, et varia eruditione ornatus. Scripsit *Noctes Atticas libb.* 20, quorum octavus desid., licet supersint hujus libri capitum tituli. Floruit sub Hadriano, et videtur Praetorio munere functum fuisse. Graecos Phil., et Oratores Athenis familiares habuit, de quib. non semel honorifice loquitur. Favosinum, Gallum Phil. praesertim colebat. *Gellio* conservatam debemus memoriam plurium Auctorum antiquorum, quorum fragmenta, et dicta ad varias disciplinas spectantia sparsim promit. Editiones *Gellii* multae factae sunt, in quib. forsitan nonnulla varietas in divisione, et enumeratione librorum, et capitum invenitur, ut in Operibus aliorum antiquorum animadverti contingere.

Gellius (CN), *Annalium* scriptor, memoratus ab A. Gellio *l.* 13. *c.* 21. *Noct. Atticarum*, ubi affert fragm. *CN. Gellii* ex *lib.* 3. *Ann-*

Catonis *Oratio* contra *CN. Gel.* citatur ab eodem *A Gel. l. 14. c. 2.* *NN.* A Prisciano citatur *CN. Gelli Annalium lib. 30* : a Charisio *lib. 97.* Vivebat an. V. C. 600. Usus est pessima latinitate, ut *Paucabus*, *Puerabus*, *Pudicabus*, *Portabus*, *Oreabus*, *Ossum*. Ita Charisius, citans libros, in quibus illis vocabulis usus est. Vide in littera *B Dissertationem de Seculis, quae a Criticis Barbara appellantur*. Illic dictis de veterum Romanorum prava Latinitate, addo, vix millesimam partem similium vocabulorum, quibus Latini antiquiores usi sunt, collectam a me esse. Si omnia colligerem, ingens volumen sordidarum, et horridarum vocum conficeretur, quod opponi posset vocabulis parum Latinis Christianorum Scriptorum, quae tam diligenter a nonnullis Criticis collecta, et notata leguntur. Haec pauca admodum, et minus horrida videbuntur, si cum priscorum Ethnicorum parum Latinis vocabulis, et constructionibus conferantur. Quod si Scripta omnia Latina antiqua integra ad nos pervenissent; non unum, sed multa volumina, pravam antiquorum Ethnicorum Latinitatem continentia edi possent. Eorum Latinitatem, qui velit defendere; in Latinitate aestimanda, et judicanda, Cicerone peritiorem esse oportet; cum Cicero multos ex illis, quos Critici nonnulli magni nominis inter aureae aetatis Scriptores recensent, male Latine locutos, diserte, et sine ambagibus affirmet: quod postea Augustus, Asinius Pollio, Horatius, M. Seneca, Martialis, Quintilianus, et alii Critici Ethnici, Cicerone posteriores, etiam affirmarunt. Quae ego opportune, et importune inculco, ne Critici Ethnicorum Latinitatis admiratores, ne item Philosophi illuminati hujus seculi, praetextu minus cultae, et purae latinitatis, a lectione Sacrorum Librorum, et SS. Patrum, unde petendum verae sapientiae lumen ad seculum istud magis illuminandum, avertantur. Faxit Deus, quod valde vereor, ne surdis canam.

Gellius (Sextus), *Annalium* etiam Scriptor, qui ab Aurelio Victore citatur, ut Tito Livio antiquior. Scripsit etiam *lib. de origine Gentis Romanae*. Dionysius Halicarn. mentionem facit Sexti Gel. *l. 1. Antiq. Rom.* A variis antiquis Scriptoribus citantur *Gellii Annales*, non indicato praenomine: quo fit, ut nesciamus, cujus *Gellii Annales* citent, *Cnei* ne, an *Sexti*? Hujus supersunt nonnulla fragmenta.

Gellius (L), Orator, et Vir Consularis. De eo meminit cum laude Cic. in *Bruto*, et *lib. 1. de legibus*. Fuit Praetor, et ex Praetura Procos. in Graecia, ubi, teste Cicerone *de legibus*, conventum habuit Philosophorum diversarum Sectarum, ut eos inter se, per multa secula dissidentes, et pugnantes, conciliaret, et pax inter eos iniretur. Verum non temere existimarim, conventum istum habuisse magis, ut eos irrideret, quam, ut conciliaret. Plut. in *Cicerone* ait, eum in Senatu dixisse: Ciceroni, ob patefactam, et dissipatam Catilinae conjurationem, coronam civicam deberi. Cic. autem in *Orat.*

pro Sestio, eum virum clarissimum, et fortissimum Cos. appellat.

Geminus (Fanusius), Hist., citatus a Sen. *Ep. 94.*, et a Suet. in *Vita C. Caesaris c. 9.* Ejus *Historiae* desid.

Geminus (Rutil.), scripsit *libb. Pontificales*, qui non exstant.

Geminus (Varius), citatur, ut Rhetor, a M. Sen. in *Suasoriis*. De eo narrat, declamantem coram C. J. Caes. rerum potito, eleganter dixisse: *Caesar, qui apud te audent dicere, magnitudinem tuam ignorant: qui non audent, humanitatem*: dictum pulcherrimum, sed adulatione admistum. In *Suasoria 5.* citatur a Sen. ejus *Declamatio*, qua Ciceroni proscripto fugam suadet, ne a M. Ant. occideretur. De eo declamante ajebat Cassius Severus: alios declamasse; *Varium* autem *Geminum* vivum consilium Ciceroni dedisse.

Gennadius, Orator Romae nobilis, Constantii Caesaris aevo. Ita S. Hieronymus.

Corollarium II.

Geographi. Verisimile est, plures Romanos antiquos, praeter nominatos in hoc *Syllabo*, de *Cosmographia*, *Geographia*, et *Topographia* scripsisse, quorum Opera desid. Nec minus verisimile arbitror, plures fuisse, qui Geographos Graecos, et aliarum nationum, in Latinum verterint, quorum *Versiones Latinae* antiquae interciderunt: inter quas numerari possunt Strabonis, et Ptolemaei Operum Geographicorum Latinae versiones. De Prisciano novimus, in Latinum vertisse Dionysii Afri *Geographiam*, hexametris Graecis lucubratam.

Corollarium III.

Geometrae Romani antiqui pauci numerantur, qui Operibus suis Latinis *Geometriam* illustrarint. Plures tamen fuisse crediderim, qui Graecos Geometras, Euclidem, Archimedem, Architam, Platonis magistrum, Dicearchum Siculum, Eudoxum Gnidium, et alios in Latinum verterunt. Hae autem *Versiones antiquae* desid. Plato ignarum Geometriae in scholam suam non admittebat. *Geometriae*, quam multi Aegyptiis deberi putant, laudes persequitur Caelius Rhodig. *l. 7. c. 30. lect. ant.*, ubi de *Philosophia*. A Pythagora, ob inventam a se Hypothenusae Demonstrationem Geometricam, Hecatomben Musis factam, vel promissam, fabulosum existimo; cum ejus dogmati de non occidendis animantibus adversetur.

Germanicus, Caesar, Drusi fil., Poeta, Orator, et militari laude clarus. Edidit *Poema* de *Equo Augusti*, a Plinio Hist. celebratum. In *libb. de Ponto* Ovid. eum, ut egregium Poetam laudat *Epist. ad Suillium*. Ei dicavit Ovid. *libros Fastorum*. Aratum, Poetam Graecum, et Astronomum in Latinum versibus transtulit, quorum nonnullos Lact. affert *l. 1. Divin. Instit.* Versionem hanc integram non habemus, uti neque *Prognosticorum* Latinam versionem. *Germanico* tribuitur celebre *Epigr.* de puero Thrace, in Hebro ludente, et gelu perempto, licet a nonnullis C. Jul. Caes. illud adscribatur. En illud

Thrax puer, adstricto glacie, dum ludit, in Hebro,
Pondere concretas frigore rupit aquas.
Dumque imae partes rapido traherentur ab amne,
Abscidit tenerum lubrica testa caput.
Orba, quod inventum mater, dum conderet urna,
Hoc peperi flammis: cetera, dixit, aquis.

Oravit Caussas postquam triumphaverat, et Graecas Comoedias lucubravit. Veneno interiit, CN. Pisonis legati sui in Asia, cui praeerat maleficio, Tiberii, ut creditum fuit, jussu, ad an. Christi 20: V. C. 772. Tiberii an. 6. Romanorum versus eum benevolentia ob eminentes virtutes, quibus erat praeditus, invidiam, et odium Tiberii in eum excitavit, licet Tiberius, et patruus, et pater ejus per adoptionem, jussu Augusti factam, esset. Vide Suet. in *Vitae Caligulae* primis capitibus.

Geta (Hosidius), cujus meminit Tertull. de *Praescriptionibus Haeret. Medeam* Tragoediam edidit ex centonibus Virgilianis.

Getulicus (CN. Lentulus), Histor. refutatus a Plin., et citatus a Suet. in *Caligula c. 8.* Fuit Cos., et Germaniae Superiori Praef. Vixit sub Tib., et C. Caligula. Accusatus de amicitia cum Sejano, se defendit, et absolutus evasit. Postea Caligulae jussu occisus fuit.

Getulicus (CN), Poeta Epigram. memoratus a Mart. in *Epist.* praefixa *lib. 1. Epigr.* Celebravit Cesenniam puellam versibus suis. Val. Probus affert Getulici versus, de Caeli cardinibus loquens.

GL

Corollarium IV.

Gladiatores. Horum magistros de arte Gladiatoria scripsisse colligitur ex Cic. libro 3. *de Orat.*; ubi de Samnitium magistro, ut ex Mart. etiam *lib. 5.*, ubi de *Hermete* celebri Gladiatore.

Glaucias, Melioris Libertus. Laudatur a Martiale ejus ingenium velox, et Apollineum os in *Epitaphiis* ei positis *lib. 6.* Obiit puer iste, *dolente Roma, castus moribus, innocens pudore*. Ita Mart.

GN

Gnipho (M. Ant.), natione Gallus, Gram., et Rhetor magni nominis ob suam memoriam, et ingenium singulare. De eo Suet. *de Ill. Gram.*, et Macrob. *l. 3. Saturn.* Tullius post fori occupationes, cum Praetor esset, ejus scholam frequentabat. Scripsit bina de *Lat. serm.* Volumina. Ita Attejus Philologus. Haec *Volumina* desid. Quintil., cum citat *lib. 1.* super nonnullis *Vocab. Lat.*, de quibus aliter, atque alii, opinabatur. Fuit Magister C. J. Caes., quem, et alios erudiebat in aedibus L. Caesaris, Julii patris, Graecam, et Lat. Gram., et Rhetoricam publice docens. Nunquam de mercede pactus est; at discentium liberalitate fuit multa consecutus. Vide Ludov. Vives in *Supplem. Vitae C. J. Caes.* a Suet. scriptae, initio mutilae.

Gnostici, haeretici impudentissimi, qui se unos illuminatos, et rerum sublimium vera cognitione praeditos jactabant, auctore Carpocrate. Hujus fil. Epiphanes, paterni erroris haeres, valde adolescens,

librum edidit, quo patris insaniam, et impudentiam propagavit. Obiit autem hic *an. 17.* aetatis. Forsitan patris Opus sub filii nomine editum ab illo fuit, ut filio suo doctrinae famam conciliaret. Clem. Alex. *Strom. l. 3.* affirmat, Epiphani mortuo magnos honores habitos a civibus suis Samensibus, eidemque templum, et Musaeum dicata. Pater ejus Carpocras libros nefandos vulgavit, inter quos *lib. Revelat. Zoroastris. Gnostici*, sive *Carpocratiani* Romam sui erroris peste infecerunt per Marcellam, astutam, et doctam foeminam, sub S. Aniceto Papa. Vide in Hist. Eccl. alia de *Gnosticis*, et de occultis signis, quibus se huic Sectae addicti agnoscebant, quemadmodum nunc illi, qui *Liberi Muratori* ab Italis appellantur, a Gallis *Franc-Maçons*.

GO

Gordianus, R. Imper. in senectute factus, fuit Orator, et Poeta. Juvenis edidit *Poema de Vita Antonini Pii*, quod non exstat, vel latet. Occisus fuit cum filio a Maximini duce an. Christi 237. Imperavit an. unum.

Gordianus, Caesar, praecedentis filius, fuit etiam litteratus, et occisus cum patre, an. aetatis 46. a Capellanio, Mauritaniae gubernatore. Vide *Herodianus* in *H.*

S. *Gordianus*, Jurisconsultus, et Judex sub Juliano Apostata, Christianismum amplexus cum uxore, et 53. aliis ex eadem familia. A Januario Presbytero edoctus Christi religionem, Romae baptizatus fuit, et Martyrii laurea insignitus. Vide Hist. Eccl. Ejus commemoratio in Eccl. fit die 10. Maji.

Gorgias, Rhetor, magister Marci, Ciceronis filii, Athenis degentis, a quo, jussu patris, cui parum probabantur *Gorgiae* mores, dimissus fuit. Vide *Epist.* Ciceronis filii ad Tironem postremo libro *Epistt. familiarium*. Scripsit *Gorgias* de *Schematibus*, seu Figuris Rhetoricis, cujus Operis Epitomen Latino sermone edidit Rutilius Lupus, citatus a Quintiliano. Vide Verbo *Lupus* in *L.*

Gorgonius, Buteonis Rhetoris auditor, et in scholam postea successor, vocis obtusae, et pugnacissimae, cui Baros scurra dixit, centum taurorum vocem habere. Vide M. Sen. *lib. 5. contr. 7.*, et in *Suasoriis*. Erat amabilissimus Declamator, teste Seneca, qui forsitan, joco magis, quam serio hoc affirmabat, de homine tam ingratae vocis.

Gracchanus (Jun.), Gracchorum amicus, eis addictiss.: quod testatum voluit, sumpto a Gracchis *Gracchani* nomine. Scripsit *Hist.*, ut colligitur ex Plin. *l. 33. c. 2. H. N.* Haec *Hist.* desid.

GR

Gracchula (Turanius), Hisp., floruit Romae cum fama doctrinae sub Claudio Caesare.

Gracchus (Tib.), Orator eloquens, sed turbulentus. Seditiosis suis *Orationibus*, cum Trib. pl. esset, plebem contra nobilitatem Rom. commovit, lege Agraria lata. Cum valde carus plebi esset, venit in suspicionem affectati regni, ob quod privata auctoritate fuit a Sci-

pione Nasica in Capitolio, quo plebem *Gracchus* acciverat, occisus ad an. V. C. 621. Nonnulli Tib. Gracchum excusant dicentes, regnum non affectasse, sed plebem contra nobilium potentiam tueri voluisse.

Gracchus (C), Tiberio fratri, ingenio, et fato, non absimilis. Cicero *lib. 2. de Orat.* laudat *Gracchorum* eloquentiam. Quintil. *l. 11.* mentionem facit *Orat. C. Gracchi* (cujus actionem, et eloquentiam commendat), quam habuit post fratris necem, quaque universum populum ad lacrymas excitavit. *C. Gracchi Orationes* aliae citantur variis in locis a Gel., qui *l. 1. c. 7. NN.* citat *Orat. de Q. Popilio circum conciliabula*, et *lib. 15. c. 12.* affert fragmentum *Orat.*, quam ad popul. Rom. habuit redux e Sardinia, cui praefuerat. Inter alia haec in ea legebantur. *Itaque, Quirites, cum Roma profectus sum, zonas, quas plenas argenti extuli, eas ex provincia inanes retuli. Alii vini amphoras, quas plenas tulerunt, eas argento plenas domum reportarunt.* Exponit deinde vitam suam, illic sine cujusquam, vel infimae sortis hominis injuria, a se actam, Sardos ipsos moderationis suae testes advocans. Ex his liquet, quam recte educati fuerint *Gracchi* sub matre doctissima, et prudentissima. Vide *Cornelia* in *C.* Necatus fuit an. V. C. 633. auctore Opimio Cos. *Orationes C. Gracchi* desid., ut etiam ejus Scriptum citatum a Cic. *l. 1. de Divinat. Gracchorum vitae* leguntur in Plutarcho.

Gracchus (C), praecedentium pater, bis Cos., Censor, Summus Augur, vir sapiens, civisque praestans. Ita Cic. *l. 1. de Divin.*

Gracchus, Orator praecedentibus longe posterior, qui sub Tiberio Granium Martianum majestatis postulavit. Ita Tac. *Ann. l. 6.* Ejus *Actio* desid.

Gracchus, Poeta Tragicus. De eo Ovid. *l. 4. de Ponto, Ep. 16.* Ejus *OO. Poet.* desid. Forsitan hic est *Sempronius Gracchus*, de quo in *Fragm. Vet. Poet.*

Gracilis (Turanius), Hispanus Hist. citatur a Plin. in *Prooemio lib. 3., et lib. 9., ac 18. Historiae Naturalis*. *Gracilis Historiae* non comparent.

Corollarium V.

Graeci litterati, contemptores olim Romanorum, quos Barbaros appellabant, tandem, et linguam, et litteraturam Rom. excoluerunt, postquam Graeciam, et Asiam Romani subjugarunt. Scimus namque ex S. Aug. *lib. 19.* de *Civit. Dei*, Romanam linguam, dominantium cura, per totum imperium propagatam, communem inter eruditos evasisse. Novimus insuper, plures ex *Graecis*, et Asiaticis, Rom. Magistratibus Romae, et in provinciis ornatos fuisse, in quibus fas non erat lingua alia, quam Romana, publica negotia expedire, et jus dicere. Novimus tandem, non paucos ex *Graecis*, et Asiaticis, primis 4. Eccl. seculis, Romanae, et aliis Occidentis Ecclesiis praefuisse, ut dictum est verbo *Concilia*. Juvenalis ridet *Sat. 3. Graecos*, qui

Romae erant, et omnium artium peritos se esse gloriabantur, insigni impudentia. Cic. *l. 1. de Oratore* sub Crassi persona affirmat, *Graecos* Phil. contentionis magis, quam veritatis cupidos fuisse, et quo quisque optime Graece sciret, ita esse nequissimum. In 2. autem *lib.* tradit: *Graecos* homines adeo ineptos fuisse, ut, ne nomen quidem, ineptiae vitio imposuerint, quia ineptiis cumulati, ineptiae malum non videbant. Alii tamen proprium Graecum vocabulum ineptiae assignant. Sed forsitan post Ciceronem fictumfuit. Juvenalis *Sat. 10.* mendaces in Historia Graecos vocat = *Et quidquid Graecia mendax* = *Audet in historia*. Fatendum tamen, eos humaniores Romanis fuisse in ludis, et spectaculis. Apud Graecos namque Gladiatorum spectacula in usu non erant, quibus delectabantur Romani, hominem occidere, et occidi ludum reputantes, et vitam a populo orare ignominiosum. Graeciam, Cananaeis, seu Phoenicibus, a Josue patria pulsis, repletam fuisse, et ab eis *Graecos* disciplinas, et artes didicisse, ostendunt vestigia a Phoenicibus relicta in urbium Graeciae, et heroum nominibus, ut etiam in disciplinis ingenuis, et superstitiosa religione. Carthaginenses, qua occasione edixerint, nequis linguam Graecam addisceret, refert Mariana *Hist. Hisp. lib. 2. c. 3.*

Graecinus (Julius), Agricolae, Cornelii Taciti soceri, pater, studio eloquentiae, et sapientiae notus, teste Tac. in *Vita Agricolae*. Occisus fuit jussu Caesaris, in cujus odium incurrerat ob morum integritatem, et quia accusare noluit, ut Caesar optabat, M. Syllanum. *Graecini* mentio fit a Sen. *de Benef. l. 2. c. 20.*

Graecinus, Cos. Ovidii amicus. Ad eum est Ovidii *Epist. lib. 4. de Ponto*, in qua indicat, eum Jurisperitum, et facundum Orat. fuisse. Indicat etiam, ejus fratrem, post eum, Cos. ab Aug., cui ambo erant carissimi, designatum.

Graecinus, scripsit veluti discipulus Julii Attici, (teste Columella *l. 1. c. 1. de re rust.*), duo volumina de *Vineis*. Eum Plin. *H. N. l.* 14. Celsi transcriptorem appellat. Fuit avus uxoris Corn. Taciti.

Corollarium VI.

Grammatici prisci, et *Critici*, et *Litterati* a Romanis appellati, magno in pretio Romae erant. Hi, vel mercede pacta cum alumnis, aut alumnorum parentibus, vel publico stipendio assignato, rectè loquendi, et scribendi praecepta tradebant, et Poetas explicabant. Eorum multa Opera interciderunt. Suetonius librum edidit de *Illustr. Grammaticis* saepe a me citatum, et citandum. *Grammatici* parum eruditi, *Grammatistae*, et *litteratores* vocabantur. Antiquis *Grammaticis* debemus multa fragmenta Operum Latinorum, quae perierunt, vel latent adhuc, ab eis allata, citatis Auctoribus. Suet. memorat, quibusdam temporibus Romae supra 20. celebres Grammaticae schola fuisse; neque viros clariss. dedignatos de *Grammaticis* rebus mult^{s} scribere, et in lucem proferre. Notum namque est, Jurisconsultos de *Verborum Significatione* scripsisse, et titulum de *Verborum Signi*,

ficatione, qui ad Grammaticam spectat, in Corpore Juris inveniri. Nec immerito Grammaticae praeceptores in honore erant: quia Grammatica est fundamentum omnium disciplinarum, haeque infantes, elingues, et barbarae sine Grammatica essent. Quae quidem ars, ut recte Quintil. *lib. 1. Inst. Orat.* plus habet in recessu, quam fronte promittat. Trivialis scientia dicebatur, quia Romae in triviis *Grammaticorum* scholae sitae erant, ut omnibus paterent. Janua etiam dici potest ad superiores disciplinas: nec indignum curis suis putavit olim Parisiensis Supremus Senatus, quem *Parlamentum* vocant, de Grammaticis (*a*) ferre sententiam, ut in Petri Rami Galli Operibus in Hispania legi. Grammatica Philosophica, quam inter desiderata ponit Baco a Verulanio, nondum est inventa, quamvis nonnullae Grammaticae hoc titulo sint inscriptae.

Granius, Medicus, citatus a Plin. *l. 28. H. Nat.*

Granius, bini ejusdem nominis Oratores, forsitan fratres, accusatores Pudentillae, Apuleji uxoris fuerunt. Ita Apul. in *Apologia* sua.

Granianus, Rhetor, Alex. Severi, Rom. postea Imp. magister. Lampridius ait, suo tempore lectas ejus *Declamationes*, quae nostro desid.

Gratianus, Imper. Rom. vere Catholicus, et in bello strenuus, Valentiniani I. filius, Valentiniani II. frater, Ausonii discipulus non vulgaris doctrinae; cum ab Ausonio didicerit carmina eleganter pangere, ornate loqui, et controversias exponere. Exstat ejus *Epist.* ad S. Ambrosium, in qua fidem Nicaenam se amplecti profitetur, et de rebus divinis loquitur, ut ipse ait, non quantum debuit, sed quantum potuit. Magistrum suum Consulem creavit ex Rhetore. Prope Lugdunum, a militibus suis desertus, in Ponte supra Rhodanum per Andragatium, ducem Maximi Tyranni, fuit occisus, an. Christi 383., aetatis an. 28. Ejus laudes vide apud Auson. in *Gratiarum Actione* pro suo Consulatu, et S. Ambrosium in ejus funebri *Oratione*. Vide etiam S. Ambrosii *Opus de Fide ad Gratianum Aug.* In Cod. Theod. exstat Rescriptum Gratiani, et Valentis in favorem Professorum Grammatices, et Rhetorices, ad Praef. pr. Galliarum.

Gratius, Poeta Ovidii aequalis. Ejus *Cynegeticon*, seu *de venatione Poema* exstat, sed extrema parte mutilum. De eo meminit Ovid.

S. *Greg.*, *Thaumaturgus* dictus ob copiam, et praestantiam miraculorum, Neocaesareae Praesul doctiss., fuit Origenis discipulus Caesareae

---

(a) *Magna lis inter Grammaticos Gallos vertebatur, nisi fallor, in pronunciatione dictionum* Mihi, *et* Quis: *utrum scilicet prima efferenda, ut* Mii, *an ut* Miki, *et secunda, an ut* Cuis, *vel ut* Kis, *et Parlamentum litem diremit, auditis partibus. Sed quid deciderint viri illi sapientissimi? ignoro; nam Rami Opera Ferrariae non inveni.*

Palestinae, quo concesserat Origenes, relicta Alexandria. Ab Origenis schola discedens, post annos 5, *Orat.* habuit coram Origene, et frequenti concione, qua gratias egit magistro pro doctrina sibi, et fratri Athenodoro ab eo tradita: qua etiam Origenis laudes praedicabat. Haec *Oratio* exstat, et habita fuit sub an. Christi 237. De ea, quae *Graegorii* eloquentiae insigne testimonium est, ait Gerardus Vossius, editam fuisse Graece, et Latine: quod factum tunc in Oriente, arbitror, cum scriptis omnibus luce dignis. Nonnulla alia *OO. S. Gregorii* genuina recensent Critici Ecclesiastici: alia, ut supposititia, rejiciunt, vel de eorum germanitate dubitant. Substitit *S. Gregorius* una cum fratre Caesareae, cum Berythum ad Jus Romanum addiscendum se conferret: ac magistri monitis, ambo Christiani, et doctissimi evasere. Multas Homilias ad populum suum in Episcopatu habuisse, quae non exstant, crediderim; nam ejus praedicatione, et miraculis impetratum fuit, ut, exceptis 17, omnes Neocaesaseenses fidem Christi profiterentur, antequam ille e vivis excederet; cum solum 17. fideles in ea urbe factus Episcopus invenisset.

S. Gregorius, Nazianz. Praesul, et postea Constantinop., non multo post Thaumaturgum floruit, Orator, Poeta praestantissimus, et in divinis litteris adeo versatus, ut ei Theologi agnomen inditum fuerit. S. Hieron. ejus auditor in sacris litteris fuit. *Gregorii* hujus exstant plura eximia *OO* versa, et prosa *Oratione* lucubrata; sed multa, praesertim Poetica, interciderunt, vel latent: cum S. Hier. testetur 30. millia carminum cecinisse, quorum, ne dimidia quidem pars superest. Pugnavit contra Ethnicos, et Arianos sctiptis suis.

S. Gregorius, Nysenus Praesul, Magni Basilii frater, qui plura etiam Opera insignia reliquit. Hi ante Honorium clari fuerunt, multumque scriptis suis Ecclesiae adjumenti contra serpentes haereses attulerunt. Vexati non parum a prave sentientibus; fidei, Apostolicae constantiae, et virtutum aliarum exempla posteris imitanda reliquerunt. Primus ad Coelum migravit an. Christi circiter 265. Secundus post multa praelia litteraria cum Arianis, Macedonianis, et Jul. Apostata, an. 390. Tertius an. Christi 393. In Latina Ecclesia fuerunt etiam post Honorium plures *Gregorii* insignes sanctitate, et doctrina, ut *Gregorius* M. Rom. Pont. Ecclesiae Doctor, et S. *Greg.* Turonicus, qui ad hunc *Syllabum* non spectant.

Gregorius, Jurisconsultus, qui floruit in fine 3. Sec. Eccl. Hujus fuit *Codex Gregorianus* appellatus, in quem conjecit Constitutiones vagas, et confusas Roman. Imperatorum, ab Adriano ad Valerianum, et Gallienum, privata auctoritate.

Corollarium VII.

Multa vocabula Latina, quae olim per *C* scribebantur, inventa a Carbilio littera *G*, per hanc litteram deinceps scripta sunt, et etiamnum scribuntur, ut dictum est in *Corollario* postremo litterae *C*.

HAecaton, Rhodius, Panaetii auditor, scripsit de *Officiis* ad Q. Tuberonem. Ita Cic. de *Officiis lib. 3. c. 8.*, et 9. citans *lib. 6.* Haecatonis. Citatur etiam a L. Annaeo Seneca *de Beneficiis*.

Corollarium I.

Haeretici, (de quorum multis, qui intra 4. prima Ecclesiae secula fidem Catholicam obscurare, et evertere conati sunt; mentionem facimus in hoc *Syllabo*) plura Latino, et Graeco serm. scripsere, quae magno fidelium bono perierunt, et vix fragmenta aliquot supersunt in SS. Patribus, et Doctoribus Catholicis, qui eos oppugnarunt. Siqua adhuc exstant, ut Origenis, et Tertulliani, cum cautione legenda sunt. Cum his, et posteriorum seculorum haeresi infectis Operibus, in quibus plura scitu digna, reperiuntur, ea legentes imitari debent Hebraeos, Aegyptum relicturos, qui vasa aurea, et argentea ex Aegyptiorum aedibus secum adsportarunt: Idola intacta reliquerunt.

Hamilcar, Poenus, citatur a Columella de *re Rustica*. Videtur de eodem argumento scripsisse, de quo Columella.

Haterius, Rhetor, cujus Sent. refert Sen. in *Controv.* non confundendus cum *Aterio* Rhetore, de quo in *A.*

Haterius (Q). De eo Tac. *l. 4. Ann.* ait: *Q. Haterius familia Senatoria, eloquentiae, quoad vixit, celebratae: monumenta ingenii ejus haud perinde retinentur*. Fuit Cos., et auctor S. C.; ne vasa ex solido auro cibis ministrandis fierent, neve vestes sericae viros foedarent.

HE

Corollarium II.

Hebraei, quos Romani, et Graeci barbaros appellabant, doctissimi fuerunt. Vide *Chaldaei* in *C.* Illic dictis addo: Antediluvianas disciplinas ad Hebraeos per Noemum, et filios transiisse. Hierosolymis, et in civitatibus, Abela, Cariatsepher, Theman, scholas omnium disciplinarum ingenuarum fuisse, antequam Athenienses doctrinae laude florerent, ex Sacris Litteris Veteris praesertim Testamenti ostendi potest. Variarum Sectarum Doctores inter Hebraeos fuisse, Christo Domino in Judaea docente, et Apostolis praedicantibus ex *Evangelio*, et ex *Actibus Apostolorum* intelligitur. De Salomonis doctrina, et libris ab eo conscriptis, in quibus *Sermones doctissimi, et veritatis pleni*, vide *Ecclesiasten cap. 12.*, et *lib. 3. Reg. cap. 4.*, ubi dicitur, ad Salomonem adiisse, ut ejus Sapientiam audirent de *cunctis populis, et ab universis regibus terrae, qui audiebant Sapientiam ejus*. Vide Menochium in *Storeis cent. 5. c. 97.* ubi de Schola publica, a Salomone Hierosolymis erecta, in qua ipse docebat. Graeci doctrinam, quam puram, et sanam ab Hebraeis accepere, multis fabulis corruperunt, ut ostendunt S. Justinus, Tertullianus, Clemens Alex., et alii Patres.

Heliodorus, Rhetor doctissimus, Horatii comes in itinere suo Brundusium versus. Vide *Sat. 5. libri 1. Hor.*

Heliodorus, ab *Epist.* Adriani Imp., qui in eum valde propensus fuit; quod, cum aequo animo ferre non posset Dionysius Sophistes, *Heliodoro* ab Adriano posthabitus, in *Heliodorum*, et Adrianum dicebat: *Pecuniam, et honores donare Caesar potest; Rhetorem facere non potest*. Vide Cael. Rhodig. *lib. 26. lect. ant. c. 23.*

Helladius, Gramm. scripsit *Lexicon* ex ordine litterarum: scripsit etiam alia, inter quae de laudibus Theodosii, sub quo florebat, ut etiam sub Honorio. Ejus *OO.* intercid.

Helvia, M. Senecae uxor, et L. Senecae mater, quam alii *Albinam* appellant. Ad eam scripsit L. Sen. ex Corsica, ubi exsulabat, *Epistolam* consolatoriam bene longam, in cujus *cap. 2.* testatur, eam Sapientum praeceptis imbutam fuisse, et bonas artes omnes attigisse.

Helvidius, Orator, cujus Orationem contra Marcellum memorat Tac. *lib. 4. Hist.* Haec, et aliae hujus *Orat.* desid.

Hemina (Cassius), vetustiss. *Annalium* Scriptor, ut ait Plin., qui ejus verba affert *H. N. lib. 32.* Catonis aetate floruit, sed puto ante eum etiam floruisse. *Hemina lib. 4.* suorum *Annalium* inscripsit: *Bellum Punicum posterior*: quo titulo, aut simili si Christianus aliquis, antiquus Scriptor, post aevum Ciceronis usus fuisset, Soloecismi damnaretur a sciolis, nescientibus, nomina adjectiva, desinentia in *Or.*, apud antiquos Latinos, tribus communia fuisse. Ejus *OO.* integra non supersunt.

Hena, sive *Haena* (Sextilius), *Annales* etiam scripsit, citatos a Plinio *H. N. lib. 13. cap. 13.* Vide *Sextilius* in *S.*

Heracleon, Aegyptius Poeta, et Gramm. Romae docuit. Edidit Lyricos versus, et Enarrationem in Homerum, quae *OO.* desid. *Heracleonis Epitomen* edidit *Didymus* quidam incertae aetatis, de quo Suidas.

Hermagoras, bini ejusdem nominis Rhetores, qui praecepta Rhetorices edidere 1. citatur a Cic. in Bruto, et de *Inventione*. Alter fuit Theodori auditor, qui Romae docuit cum Q. Caecilio sub Augusto, et Tiberio, ac valde senex in urbe obiit.

Hermes, Rhetor. Eum appellat doctorem suum Auctor *Rhetoricorum ad Herennium*, et citat ejus opinionem de *Caussarum constitutionibus* agens. In exemplari, quo utor, *Hermetes* pro *Hermes* editum invenitur, errore, ut puto, Typothetae, vel Correctoris incuria.

Hermodorus, Ephesius. De eo narrat Plin. *Hist. Nat. lib. 34.*, ei positam Romae statuam, quia interpres fuit legum, quas Triumviri ex Graecia Romam attulerunt, ex quibus leges 12. Tabul. magna ex parte compositae fuerunt. Ex quo intelligitur, jam initio 4. Seculi ab V. C. Graecos nonnullos, non indoctos, Romae fuisse, et apud Romanos illius aetatis, viros litteratos magno in pretio, et honore fuisse. *Hermodorus* fuit Epheso expulsus Ostracismi barbara lege, quae diu in Graecia viguit. Vide in Diogene Laertio de *Hermodoro*, et Ephesiis dictum Heracliti, quo *Hermodori* meritum valde commenda-

tur. Illud dictum legitur in *Heracliti Vita*. Idem narrat Cic. *lib. 5. Tuscul. QQ.*

Hermogenes, Magus, vel Judaeus, vel Ethnicus, a S. Jacobo Apostolo Christi fide Hierosolymis imbutus.

Hermogenes, Jurisconsultus, sub Alex. Severo Imp.

Hermogenes, Phil., qui materiam, ex qua corporea omnia fiunt, aeternam fuisse propugnabat, contra quem scripsit Tertull.

Hermogenes, Tarsensis, Hist., jussu Domitiani occisus propter figuras aliquas, ejus Historiis insertas: librariis, qui eas descripserant, cruci affixis. Ita Suet. in *Domitiano*. Cujusmodi essent hae figurae non dicit. Hae *Hist.* desid.

Hermogenes, Tarsen., alter, qui sub M. Aurelio an. aetatis 18. magno cum plausu Rhetoricam docebat, et an. 24. omnium oblitus fuit. Ita Suidas.

Hermogenianus, postremus ex veteribus Jurisconsultis clari nominis, Codicis, qui ab eo *Hermogenianus* appellatur, collector fuit. Floruit Constantini M. aevo, et Christianus fuisse nonnullis videtur contra Grotium, qui nomini Christ. infensiss. eum putavit. In *Codice Hermogeniano* repositae fuerunt leges, sive constitutiones Rom. Imperatt., a Gallieno ad M. Constantinum. Hujus *Codicis* continuatio est *Codex Theodosianus*. De *Hermogeniano* videri possunt alia, quae edidit Catalanus Cujacius DD. Josephus Finestresius, et de Monsalvo, in Regia Cervar. Academia Cataloniae emeritus Juris Civilis Primarius Antecessor, et ejusdem Academiae saepe Rector (cum in vivis esset amicitia mihi, et Academica Societate conjunctissimus;) in *doctissimis in Hermogenianum Commentariis*. Scripsit *Hermogenianus Epitomarum libb. 6.*, et *de Fideicommissis alios*. Ex quibus in *Pandectis Fragmenta* leguntur.

Herodes, *Atticus* dictus, Vir Consularis, amoeno ingenio, et Attica facundia Romae notus, M. Aurelii Phil. Imperatoris magister, eidemque valde carus. Vide, quae de eo narrat Gel. *lib. 7. c. 2. NN.* Vide *Bradeas* in *B.* De eo multa Cael. Rhod. *lect. ant. l. 20. cap. 26., et 27.*

Herodianus, Gramm. Alexandrinus, filius, et discip. Apollonii Grammatici. Floruit sub M. Antonino. Scripsit de *Grammatica*, et *Vitas Rom. Imperatt.* a M. Aurelio ad Gordianum, testaturque, se in publicis, et privatis officiis versatum, a se visa, et audita narraturum.

Herodotus, Grecus Hist. celeberrimus. Hujus Hispanam Versionem, ut audio, typis tradidit sodalis olim meus Cl. Bartholomeus Povius Balearis Majoricensis. Versio antiqua Latina desid.

Hersilia, clari nominis foemina, ingenii, et formae singularis, altera ex Sabinis fraude raptis a primis Romae incolis, et nupta, vel Thalasso, illustri Romano adolescenti, vel Romulo, Romae conditori secundum diversas Romanorum Historicorum opiniones. Missa fuit a Romulo ad T. Tatium strenuum Sabinorum principem, et ducem,

ut de pace cum eo ageret: impetravitque eloquentia sua, non modo, ut pax inter Rom., et Sabinos sanciretur, sed etiam, ut T. Tatius cum Sabinis suis Romam commigraret, et ex Romanis, et Sabinis unus fieret Populus, eademque Respublica. *Orationis* Hersiliae Sententias affert Gel. *l. 13. c. 21. NN.* Vide *Romulus* in *R.*

Hesperius, Ausonii filius, Praef. pr. sub Gratiano, qui ad eum plures leges direxit, quae videri possunt in *Cod. Theod.* Inter alias directae ad eum fuerunt lex *4. de Haereticis* an. Christi *378.*, et *lex. 24. de cursu publico* an. Christi 379. Symmachus *Epist. 77.* eum summatem litterarum appellat. De *Hesperii* in litteris institutione. Vide *Ausonius* in *A.*

HI

Hianthis, seu *Hyanthis* Poetria, Arruntii Stellae uxor, laudatur ab Statio in *Sylvis* sub *Violantillae* nomine, et a Martiale in suis *Epigr.*

Hiera (Laber.), Gramm. Romae Bruti, et Cassii magister, ob suam doctrinam ab hero manumissus: tantae probitatis, ut gratis doceret proscriptorum filios tempore belli civilis inter Marium, et Syllam. Ita Suet. de *Ill. Gramm.*

Hierocles, alter ex Areopagitis Athen., qui scripsit Apollonii Thyanaei Acta, ut ille tanquam Deus sub nomine Herculis Alexicaci celebraretur. *Hieroclem* confutavit Euseb. Caesareen. *libro* addito suae *Demonstrationi Evang.* V. *Apollonius* in *A.*

S. *Hieronymus*, Presbyter, Doctor Maximus Ecclesiae, S. Damaso Papae ab Epistolis, humanis, et divinis litteris eruditissimus. Ejus Opera sunt notissima, ut nota etiam est ejus in linguis Latina, Graeca, Hebraica, et Chaldaica peritia. Plura ejus Scripta intercidisse nullus dubito, cum sit difficile omnia per tot secula conservata, ac a librariis descripta fuisse. In *Epist.* ad S. Augustinum ait, nonnulla a se lucubrata fraude cujusdam amisisse. In Vitae autem Malchi, monachi captivi initio dicit, se decrevisse Historiam scribere ab adventu Salvatoris usque ad suam aetatem. Obiit nonagen. sub Honorio. De S. Doctoris bibliotheca, quae Sacris codicibus abundabat, et de alumnis quos habebat, qui antiquariae arti serviebant, vide ejusdem *Epist.* ad Florentium.

Higinus V. *Hyginus*.

Hilus, sive *Hylus*, ut scribunt alii, lucubravit *lib. de Diis*, citatum a Macr. in *Saturn.* Hic *lib.* periit, vel latet.

Hilarianus (Q. Jul.), Christ. Scriptor, cujus nemo ullus ex antiquis meminit, edidit Latine Chronicon, sive Libellum de *Mundi duratione*, quem primus typis mandavit Petrus Pithaeus, et postea vulgatum dedit Bibliothecae Vet. PP. editor *tom. 5:* quod Opus scripsisse dicitur sub Honorio an. Christi 397. In dicto libello ait *Hilarianus*, se de *die Paschatis* scripsisse *librum*, qui ad nos non pervenerat, donec in Biblioth. Regia Taurin. hoc Opus inventum fuit manuscriptum V. *Hist. litt. Italiae* Cl. Zacchariae t. 2.

Hilarius (Petronius), Poeta, de quo in *Collectione Fragm. Vet. Poet.*

S. *Hilarius*, Pictavien. in Gallia Episc. insignis doctrinae, et sanctitatis. Plura contra Arianos scripsit, a quibus sub Constantio Imperat. fuit valde vexatus. Laudatur a S. Hier. variis in locis, a S. Aug., et aliis. Praeter Opera, quae exstant genuina, nonnulla ei tribuuntur, quae ejus non sunt. Alia desid., quorum fragm. solum supersunt: ut ex *Historia de Synodis*. S. Hieron. meminit *libelli ad Sallustium*, Galliarum Praef. contra Dioscorum Medicum. Ex ejus *Commentt. in Jobum* locum affert S. Aug. contra Pelagianos pro peccato originali statuendo. Desiderantur etiam *Comment. in Cant. Cantic. Hymnorum collectio*, *liber Mysteriorum*, multae *Epist.* laudatae a Sulpicio Severo, *Expositio Epist.* ad *Timotheum*, citata in Conc. Hispal., et *liber contra Valentem, et Ursatium*, cujus S. Hier., et alii meminerunt. Obiit, revocatus ab exsilio, in sua Eccl. an. Christi 367. Ita Bollandus ad diem 3. Jan. Confundendus non est cum *Hilario*, ad quem est longa *Epist.* S. Aug. de *errore Pelagianorum*, nec cum *Hilario* Arelat. multo posteriore.

Himerius, Tarracon. Praesul. Ad eum est *Epist.* Siricii Papae an. 385. scripta, in qua multa decernit ad disciplinam Ecclesiasticam spectantia, de quibus ab *Himerio* consultus fuerat. *Himerii Epist.* desid.

Hirtius (A). Ejus eloquentia laudatur a Cic., apud quem declamavit, una cum Dolabella, et Cassio, Vide *Epist. Cic. ad Volumnium lib. 7. ad Famil.*, et Quintil. *l. 8.*, et *10.* Quid in eo Cicero emendaverit, tradit Quint. *l. 8.* Hunc puto fuisse *A. Hirtium*, qui scripsit *Comment. de Bellis Alex. Afric.*, *et Hispano* C. J. Caes. In multis exemplaribus horum *Commentt.* ejus nomini perperam *Pansae* cognomen additur, quo cum Cos. fuit. Hirtius in *Praef. ad librum 8.* de bello Gallico, additum *7. libris Comment.* a Caesare editis, se scripsisse ait res Caesaris, sub quo militavit, usque ad finem ejus vitae. Haec autem scripta *Hirtii* desid. Occisus fuit in praelio Mutinensi contra M. Ant. V. C. an. 711. cum Cos. esset una cum Pansa.

Corollarium III.

Hispani, quam non immerito ab Horatio *Periti* appellentur, quantaque doctrina ab antiquis temporibus floruerint, ostendit Xav. Lampillas in suis *Dissert. Apologet.* De eorum ingenio, et charactere litterario, vide Joan. Franciscum Masdeu *tom. 1. Hist. Crit. Hispaniae*. Plura *Hispanorum* Opera ante Honorii excessum edita supersunt, sed multo plura interciderunt. Vespasianus Jus Rom. Civitatis toti *Hispaniae* concessit. Vide Strabonem *l. 3. Geogr.* ubi eos, maxime, qui ad Baetim accolebant, Romanos mores assumpsisse, affirmat, ac fere vernaculi sermonis immemores, plerosque factos latinos: idemque de iis, qui ad Iberum usque ad maritima habitabant, testatur. Vide etiam Plin. *H. N. l. 3. c. 3.* in fine.

Hispo, Romanus Rhetor. De eo Sen. in *Controv.*, et Tac. *lib. 1. Annal.* ait, accusasse majestatis Granium Marcellum, Bithyniae Praetorem. Haec *Or.*, et aliae *Hisponis* desid.

Corollarium IV.

Historici Latini antiqui. Plura horum Opera perierunt, vel latent; quorum fragm. nonnulla leguntur, collecta ab Ausonio Popma, a Riccobono, Manutio, et aliis. Vide *Scriptores* in *S*. *Historici* Romani minus accurati fuerunt, quam Historici Hebraei, in texendis familiarum Genealogiis. Multos Christianos Historicos ante Honorium fuisse, qui Passiones Martyrum, et alia ad Christianam Religionem spectantia, scripserunt, quorum Opera deperdita fuerunt, Ethnicorum in res Christianorum odio, testatur Prudentius Περιστεφάνων *lib. 1.* his versibus:

O! vetustatis silentis obsoleta oblivio.
Invidentur ista nobis, fama, et ipsa extinguitur:
Chartulas blasfemus olim nam Satelles abstulit,
Ne tenacibus libellis erudita secula,
Ordinem temporis modumque passionis proditum,
Dulcibus linguis per aures posterorum spargerent.

Corollarium V.

Histriones, et Mimi, Fabularum, seu Comoediarum, et Tragoed. Actores, tum voce, tum gestu, apud Rom. fuerunt non pauci, qui populi oblectationi inserviebant. Laudantur a Cic., tanquam principes in histrionica, seu mimica arte *Roscius*, et *Aesopus*. Vide *Aesopus* in *A*. *Mimi* in *M*.. Unde *Histriones* dicti? vaga est opinio. Forsitan de Romanis dici posset, quod de Atheniensibus Plutarchus: plus eos impendisse in Scenica, seu Histrionica, et alia spectacula, quam in bella. Bella enim saepe hostium impensis faciebant, et lucrum ex illis immensum reportabant: Spectacula autem publica propriis expensis, et sine lucro. Nonnunquam etiam propter Histriones, ex diversis spectatorum studiis, tumultus Romae excitabantur. Quod, cum celebri Histrioni vitio daret Augustus, eumque ob id objurgaret; respondisse dicitur Histrio: *Expedit tibi Caesar, populum circa nos distineri*. Ita Dion *l.* 54. Apud Graecos Ars Histrionica infamis non erat; apud Romanos autem *Histriones* male audiebant, ut nunc: nihilominus hi multos patronos, et fautores habebant. Cicero M. Antonio in *Philipp.* objicit parum honestum cum Mimula quadam commercium, quam, arbitror, Cytheridem fuisse, antea Corn. Galli amicam. *Histriones* Tragoedias, et Comoedias, a claris Poetis lucubratas, emebant. Paridi *Histrioni* vendidit Statius suam *Agave*, teste Juvenali, ut sedare posset famem.

HO

Honorius, Rom. Imp., Theod. M. filius, Patri solum in religione, et pietate similis. In *Cod. Theod.* sunt innumerae *Honorii* leges, quarum multae latae fuerunt contra Ethnicam superstitionem, et serpentes haereses: plures etiam in favorem Ministrorum Ecclesiae. Ejus *Epistt.* ad Symmachum, Praef. urbis, leguntur inter Sym-

machi *Epist. lib. ult.* In *Inscriptione*, Claudiano Poetae, a Senatu Romae posita, et inventa in parvis aedibus prope thermas Constantini, *Honorius*, et Arcadius fratres, tunc imperantes, seu vere, seu assentatorie, *Felicissimi*, et *Doctissimi Imperatores* appellantur. Claudianus in *Panegyricis* suis multa cecinit in *Honorii* laudem. Verum ab Historicis tanquam valde iners notatur. Eo imperante capta, et praedata Roma a Gothis fuit, duce Alarico, astu magis, quam vi, cum *Honorius* Ravennae esset parum de imminente periculo sollicitus. Procopius narrat astum Gothorum. Verum

Dolus, an virtus, quis in hoste requirat?

Obiisse dicitur *Honorius* Ravennae an. Christi 423., aetatis 35.

Horapollo, Gramm. Aegyptius sub Theod. M., nulli ex Grammaticis doctrinae gloria inferior. Ita Cael. Rhodig. *l. 13. lect. antiq. c. 16.* Unde id acceperit? non dicit.

Horatius (Q). Ejus cognomen erat *Flaccus*; verum sub suo nomine est magis notus, patria Venusinus, natus ante Christum an. 65. V. C. 689. Fuit insignis Poeta Satyricus, et primus Lyricus Latinus, Augusti aevo, cui, ut etiam Mecoenati, valde carus fuit. Vide *Mecoenas* in *M*. Ejus Poetica *OO*. cum plausu leguntur. Siqua soluto serm. edidit, desid. Obiit eodem, quo Mecoenas an. V. C. 746, sed ante Mecoenatem mensibus aliquot: sunt enim versus aliqui Mecoenatis, ejus mortem deplorantis apud S. Isidorum *l. 19. Orig.*, qui tamen parum emendati illic leguntur. Eos emendarunt Alciatus, et Turnebus. Commentariis *Horatium* innumeri illustrarunt, et illustratum edidere: sed non omnes impudica ejus Carmina suppresserunt: quod diligenter praestitit Juvencius ad usum Scholarum.

Hortalus, Orator, Hortensii, insignis Rom. Oratoris, nepos. Inopia pressus cum 4. liberis ad curiae limen adstantibus, Senatum, qui in Palatio habebatur, ingressus est, illicque *Orationem* ad Senatores habuit, modo intuens in avi imaginem, illic positam, modo in imaginem Augusti, cui, ut obsequeretur, uxorem acceperat, ne nobilissima ejus stirps periret. Ejus *Or tio* summatim affertur a Tac. *lib. 2. Ann.*, qua orabat Senatum, ut inopi familiae, ex qua tot Coss., et Dictatores prodierant, subveniret. Haec *Or.* desid.

Hortensia, Q. Hortensii filia, et forsitan Hortali mater, eloquentiae patris sedula imitatrix. Hujus *Oratio* ad Triumviros, Quintiliani aetate, legebatur non *tantum in sexus honorem*, ut ait Quint. *l. 1. c. 1.* Appianus Alex. in Hist. belli civilis affert elegantes hujus *Orationis* sententias, qua Oratrix impetravit, ut a Triumviris condonaretur pars pecuniae, Romanis matronis imperatae, cum ex Oratoribus nemo ullus ausus esset apud Triumviros patrocinium Matronarum suscipere, ac pro eis orare. Haec insignis *Hortensiae Oratio* desid., ut etiam desid. aliae, quas proculdubio lucubravit.

Hortensius (Q), Orator celeberrimus Romanus, Hortali avus, et pater Hortensiae, Ciceronis amicus, licet in caussis forensibus, seu

judicialibus saepe adversarius. Cicero variis in locis suorum Operum laudat *Hortensii* eloquentiam, eique librum de *laudibus Philosophiae* dicavit. Initio Operis de *Cl. Orat.* deflet *Hortensii* mortem, quae parum antea acciderat, et de eodem agit multa cum laude in fine hujus Operis. Nihilominus in *Epist.* quadam *ad Atticum* de eo parum amice loquitur. *Hortensius* accuratus magis fuit in cultu, et gestu corporis, quam in cultu orationis. Multum ille Actioni inter orandum tribuebat, in qua adeo eminebat, ut multi ad eum orantem accederent magis, ut ejus actionem, seu decorum gestum, et motum corporis observarent, quam, ut eum audirent. Nec parum ejus Actionem commendat, quod Aesopus, et Roscius, tunc temporis Scenae principes, ad *Hortensium* orantem irent, ut ex eo aptos corporis gestus, dictioni accomodatos, discerent, quos postea in Theatrum referrent. Non Orator solum, sed et Poeta fuit: nam Gel. *l. 19. c. 9. NN.* meminit lascivorum carm. *Hortensii*, quae, ut puto, juvenis panxit. Memorat etiam Ovidius in *Elegiis* suis Carmina *Hortensii*, nisi si ejusdem nominis Poetae, sed diversi, fuerint. *Carm.* ista, ut innumerae ejus *Orat.* interciderunt. Cic. in *Oratore* summum Oratorem eum appellat, licet testetur, eum melius dixisse, quam scripsisse. De ejus singulari memoria Seneca in *Prooemio Controv.* Scripsit *lib. de locis communibus*, laudatum a Quintil. *l. 2. c.* 1. Hic lib. desid. Desunt item ejus *Annales*, memorati a Cic. in *Epistt. ad Att.*, et a Vellejo Paterculo *l.* 2. Cum Hortensius Verri, accusato a Cicerone, patrocinaretur, et Ciceroni contra Verrem oranti responderet; dixit Judicibus, se aenigmata Ciceronis non intellexisse, notans Tullianae Orationis obscuritatem. Id audiens Cicero; illico respondit, sibi valde mirum esse, quod Hortensius aenigmata non caperet, cum Sphingem domi haberet. Erat Sphinx ista argentea, quam Verres, ejus cliens, in Sicilia rapuerat, et Hortensio dono dederat, ut diligentius contra Ciceronem pro se oraret.

Horus, primum celebris pugil.: deinde Phil. Cynicus, Romae non incelebris. Ita Macrob. *l. 1. Saturn.*, ubi alter ex Interlocutoribus fingitur.

Hosius, sive *Osius*, Hispanus, Cordub. Episc. vir in sacra doctrina suo tempore nulli secundus, *Pater Conciliorum* dictus, eo quod plurib. Conciliis, sec. 4. Eccl. initio, habitis, nomine RR. Pontiff. praefuerit, et inter ea celeberrimo Nicaeno 1. an. 325. celebrato contra Arianos, quibus valde exosus fuit, et non parum ab eis vexatus, mortuo Constantino. Obiit valde senex, ab Arianis diffamatus, tanquam Nicaenae fidei desertor, quod, ut nonnulli tradunt, malitiose Ariani divulgarunt, ut auctoritatem ex tanto viro suae sectae conciliarent, et Catholicis scandalum praeberent. Plures *Hosii* Sententiae, seu dicta in Actis Conciliorum, quib. interfuit, leguntur. Ejus Opera, si qua edidit, latent, vel interciderunt; verisimile autem est, eum complures Conciliorum Canones, et Acta lucubrasse, et ordinasse, ut ea

ad Rom. Pont., et ad Imperat. mitteret, multosque scripsisse de negotiis Ecclesiast. *Commentarios*, et *Epistolas*, quae omnia interciderunt. In Cod. Theod. sunt plures *leges* Honorii, et Arcadii ad *Osium*, quemdam, Magistrum Officiorum, qui forsitan erat nostri consanguineus.

Hostilianus (C. Tutilius), Phil. Stoicus, cujus fit mentio in *Inscript.* veteri, a Muratorio edita.

Hostilius (A), Hist., et Poeta, scripsit *Ann.* versibus, quorum unum, aut alterum affert Giraldus. V. *Mancinus* in *M.* Ignoro, an C. Hostilius mimus, de quo Tertul. in *Apolog.* sit ex eadem familia. Ejus *Ann.* desid.

Hostius, sive *Ostius*, Poeta, Hostiae, Propertii amicae, pater. Eam Cynthiae ficto nomine appellabat Propert. in *Elegiis*. Macrob. in *Saturn. l. 6. c. 3.* citat *Hostium*, quemdam (hunc puto), quem imitari Virgilius dedignatus non fuit. Ex quo intelligitur, eum posteriorem Virgilio non fuisse. Scripsit de *Bello Histrico* Poema, quod Macrobio. Nescio, an Macr. *l. 6. c. 5.* desid.: licet supersint fragm. aliquot in tur, primum Romae fuisse, qui patrem necaret.

HY

Hyarbitas, Timagenis Sophistae aemulus, cujus meminit Hor. *Ep. 19. l. 1.* dicens.

Rupit Hyarbitam Timagenis aemula lingua:
Dum studet urbanus, tenditque disertus haberi.

Hyginus, sive *Higinus* (C. Jul.), Criticus Hispanus, Augusti libertus, et Palatinae bibliot. Praef. plura edidit, quae interciderunt. De eo saepe Gel. in *NN. Comment.* edidit in Virg. plures errores in eo recte, vel perperam notans. Ei tribuuntur *libri Astronomicon*, qui exstant, et alius de *vita*, et *rebus virorum Illustr.*, qui desid. Vide Gel. *lib. 16. c. 7.* Plura versibus lucubravit, et a Ricciolio inter Poetas primae classis recensetur. Dicitur, ante Christum annos aliquot floruisse. Praeter *OO.* indicata, alia *Hygino*, quem alii *Hygenum* vocant, tribuuntur. In libris *Astronom.*, quos M. Fabio dicavit, citat ipse libb. suos de *Genealogia*, et *lib. Fabularum*. Scripsit insuper de *Situ Urbium Italiae*: de *Agricultura*: de *Arte militari*: de *Deorum proprietatibus*: de *Penatibus*, et in Cinnae *Propempticon*, quae omnia desid., excepto *lib. Fabul.*, quem citatum video a Recentioribus cum magno *Fabularum* numero. Vide Macrob. *l. 3. Saturn. c. 4.* Paullus Manutius verbo *Limites*, citat *Hygeni* Opus de *limitibus agrorum*, quod forsitan pars erat Operis de *Agricultura* supra memorati. Non desunt, qui censeant, Opus *Astronomicon* Poet., et *Fabulas* fere 300., quae sub *Hygini* nomine leguntur, posterioris alicujus *Hygini* esse. Sunt qui putent, Carmina Ovidii valde acria in *Ibin*, scripta fuisse contra *Hyginum*, ante exsilium, Ovidii amicum, et quia Ibis avis est soli Aegypto peculiaris, suspicantur nonnulli, *Hyginum* non Hispanum, sed Aegyptium fuisse, qui sane levi fundamento nituntur.

Hymenaeus (L), Medicus, a bibliothecis. Ita ex antiqua Inscript. in Maffejanis aedibus asservata. De *Hymenaeo* haeretico, vide S. Paullum in *Epist.* 2. ad Timotheum *c.* 2. *v.* 17., et 18. Vide *Philetus* in *P.*

Hypatia, Theonis Phil., et Mathem. filia doctiss., quam Sinesius magistram suam appellabat. Ab Alexandrinis fuit occisa in populari seditione.

S. *Hypolitus* M., sub Alex. Severo. Fuit primum Arabiae Metropoleos Praesul: deinde Portuen. in Italia Episc. Plura edidit, memorata ab Eusebio, et S. Hier., quae desid. Ei tribuitur *lib. de Consumat. Mundi*, quem genuinum censet P. L' Abbè, et cum eo Nat. Alexander.

Hypsicrates, Grammaticus. Citantur ejus libri de *Vocab. Lat. ex Graecis* a Gel. *l.* 16. *c.* 12. *NN.*, qui libb. desid.

Corollarium VI.

H, non littera, sed adspiratio a Grammaticis adjungebatur ad sonum vehementiorem. Idem testatur Cic., qui consonantes nunquam cum adspiratione pronunciabat, nec scribebat. Postea scientiam sibi reservans, communi usui inserviit, et scripsit, ac cum adspiratione pronunciavit *Triumphus*, *Carthago*, *Chorus*; cum antea sine *H* ea scriberet. Adspiratio olim non admiscebatur litteris, sed supra apponebatur cum nota accentus gravis, et acuti, ex quibus postea inter scribendum conjunctis, nota, seu figura *H* evasit, et inter alias litteras a librariis posita tandem est. Probus Gramm. in Arte sua contendit, *H* esse veram litteram. Antiqui Rom. multo parciores fuerunt posterioribus in usu litterae *H*, et iccirco plura, quae nunc per *H* scribuntur, sine *H* scribi posse arbitror, sine Latinitatis detrimento. Utrumqe enim in pluribus vocabulis probabile: cum nesciamus, utrum Romani bonae aetatis cum adspiratione ea pronunciarint. Hanc ob rem in hoc *Syllabo* varia vocabula, quae a nonnullis per *H* scribuntur, et sine *H* ab aliis, ut *Annibal*, et *Hannibal*: *Adrianus*, et *Hadrianus*: *Amilcar*, et *Hamilcar*: *Aruspex*, et *Haruspex*: *Elladius*, et *Helladius*: *Egesippus*, et *Hegesippus*, nunc cum aspiratione, nunc sine illa edita videbis, ut notum fiat, me neutram rationem scribendi improbare, et utramque mihi probabilem esse. Vide Gellium *lib.* 2. *c.* 3. *Noctium Atticarum*, ubi de littera *H*, sive spiritu disserit. Vide etiam *Corollarium* postremum in littera *F* hujus *Syllabi*.

JA

JAbolenus (Priscus), Jurisconsultus magni nominis. Vide *Passienus* in *P.* Plin. Caecil. de eo ait *Epistolarum lib.* 6. fuisse dubiae sanitatis, et tamen de Jure Civili publice respondisse, et consiliis interfuisse. Vixit usque ad Antonini Pii tempora, cui a consiliis fuit. In legibus condendis ejus opera utebatur Antoninus, sub

quo Syriae praefuit. Scripsit *libros ex Cassio 15.* :ex *Posterioribus Labeonis 10. libros ad Plautium 5. Epistolarum libb. 14.*, quorum fragm. in *Digestis* supersunt.

Jacchus (Siscennius), in Gallia Grammat., de quo Suet. de *Ill. Gram.*

Jamblicus, Phil. Pythagoreus, Porphyrii discip. Romae floruit magna cum fama doctrinae, et probitatis sub M. Constantino. Ad eum est Symmachi *Epist. lib. 9.* Ejus *Vitam* scripsit Eunapius, multa incredibilia de eo narrans, quae si vera essent, magicae artis praestigiis tribuenda forent. In Operibus, quae supersunt, non semel Porphyrium impugnat.

IC

Iccius, Phil. citatur ab Hor. tanquam magnus Physicus. Verum in altera ex *Odis l. 1.* eum irridet, eo quod ex Philosopho miles evasisset.

ID

Idacius, sive *Ithacius*, Hisp. Episc., qui floruit circa an. Christi 380. Fuit Priscilliani, et sociorum accusator apud Maximum Tyrannum, et ob hoc reprehensus a plurimis Episcopis, praesertim postquam Rei capite plexi fuerunt jussu Maximi. Scripsit *libb. 3.* adversus Varimandum Arianum, et *Apologiam* contra Priscillianistas, quae desid. De eo multa Sulpicius Severus in *Historia Sacra*, ubi de *Priscillianistis*. Non confundendus cum *Idacio* altero, qui post Honorium in Hispania floruit, cujus *Chronicon* a Sirmondo inventum, Correctionibus, Notis, et Dissertationibus illustravit sodalis olim, et amicus meus J. Matthaeus Garzonius Hisp. Chronologus doctissimus. Hoc Opus posthumum, quod jussu Cl. J. Santanderii Reg. Bibliothecarii, nuper defuncti, in Regia Bibliotheca asservatur Matriti, typis editum jam esset cum nostra *Historia Naturali*, et *Oeconomica Cataloniae*, me curante utriusque editionis correctionem, ni Fortuna ludum insolentem ludere pertinax, repentino excitato turbine, totum negotium disturbasset. Fortasse olim utrumque Opus, Matriti a me relictum, lucem videbit, vel sub veri Auctoris nomine, vel sub alieno.

IG

S. *Ignatius*, Antiochiae Praesul, sub Trajano martyrium passus Romae, feris in theatro lacerandus, et devorandus objectus. Scripsit plures *Epistt.*, quae desid. S. Hieron. in Script. Eccles. affert partem *Epist.*, quam ad Romanos scripsit cum Romam ad passionem duceretur.

IM

Imbrex, Poeta Comicus antiquus, *C. Licinius* dictus. De eo Gel. *l. 13. NN. c. 21.* Ejus *Comoediae* desid. A sedigitio praeponitur, in Judicio Comicorum, etiam Terentio. Eum Sextus Pompejus, ut maxime lepidum, et urbanum Poetam laudat.

Imperatores Romani, praesertim veri Caesares, fere omnes, non solum litteris exculti, eloquentia in primis, fuerunt, sed, et littera-

rum studia promoverunt, immunitates, honores, privilegia, stipendia disciplinarum magistris, et cultoribus larga manu tribuentes. Saevitia autem, et barbaries fere omnium Ethnicorum, qui imperarunt post Claudium, in vexandis, et laniandis Christianis, nullis verbis potest exaequari. Verum Sanguis Martyrum semen fuit Christianorum, ut recte Tertullianus dixit. Imperatores Pontificatum Max. Dictatoriam, Tribunitiam, et Censoriam Potestatem sibi reservarunt. Romanorum Imperatorum Constitutiones, et Edicta innumera desid.

Corollarium I.

Imperium, Romanum, a Romulo fundatum, a parvis initiis in immensum auctum processu temporis fuit, primum per Reges: quibus ejectis, continuatum fuit per Consules, deinde per Decemviros, quibus abolitis ob tyrannidem, iterum per Consules. Vide Liv. *lib.* 2. *Hist.* Post annos alliquot per Tribunos Militares cum Consulari potestate. Vide Liv. *lib.* 3. Non multo post per Dictatorem. Ita Liv. *l.* 4. Postea iterum per Trib. Militares. Ita Liv. *l.* 5. Demum rediit Imperium Reipub. ad Consules. Vide *Consules* in *C.* Post bellum Civile inter Caesarem, et Pompejum omnia reciderunt in unius Cesaris victoris potestatem, et solo nomine Respublica Romana mansit facta revera Regnum, licet Caesar, et Successores Regis nomen, Romanis exosum, detrectarint, et *Imperatores* sint deinceps dicti. Eligebantur Consules, et alii nonnulli Magistratus, ut antiqua libertas stare adhuc videretur: verum omnia fere ad Imperatorum arbitrium fiebant. Senatus enim, et Populus bellis civilibus fessi, Imperantium voluntati obsequebantur, et eorum nutui obtemperabant, legiones, quibus stipati erant, quasque bonis stipendiis sibi addictas habebant, veriti.

IN

Innocentius, vir copiosus, et locuples, Chrysantii Phylosophi avus fuit. De eo Eunapius tradit in *Vita Chrysantii*, (quem ordinis senatorii, et nobiliss. fuisse asserit) ejus existimationem apud omnes longe superasse eam, quae homini privato respondet. Nam ab Imperatoribus ei legum condendarum potestas concessa fuerat, et plures libros edidit Graeca, et Romana lingua, qui tunc supererant. Verum hi nunc latent, vel perierunt.

S. *Innocentius I.* Rom. Pont., patria Albanus, vir notae doctrinae, et sanctitatis, qui, sub Honorio, Rom. Ecclesiae praefuit, et Pelagium, Caelestium, et Julianum damnavit. Obiit an. Christi 417. cum sedisset an. 15., et menses fere 2. Nonnulla ejus Scripta supersunt: alia desid. Vide Collect. Labbaeanam, vel Mansianam Conciliorum ad Honorii tempora. Laudatur ejus fides, et doctrina a S. Hieron. in *Epist. ad Demetriadem*.

Corollarium II.

Inscriptiones, Latinae antiquae magno numero in tabulis aeneis, numismatibus, et marmoribus inventae, et productae sunt a Gruteros,

Fabreto, Ant. Augustino, Muratorio, Finestresio, et aliis: complures autem adhuc latent, et innumerae aliae perierunt. Antiquiores sapiunt sui aevi incultam adhuc Latinitatem. Non desunt tamen Inscriptiones etiam cultioris aetatis, ignorantia lapicidarum, perperam consignatae. Quae privatorum fuerunt, parum culta Latinitate plurimum sunt scriptae: quae autem publica auctoritate incidebantur, accurate scriptae inveniuntur. Fere omnes exaratae videntur cum solis initialibus litteris, in multis saltem vocabulis, caussa brevitatis, addito puncto singulis dictionibus, excepta postrema uniuscujusque versus. Nonnullae Inscriptiones Carmine lucubratae, et editae fuerunt.

Interpretes, inserviebant Senatui Romano, ad exponendas legationes nationum barbararum, quarum Oratores, Romam missi, Rom. linguam ignorabant. Oportebat, eos litteratos esse, et in barbaris linguis versatos.

IO

Io, Poeta, cujus *Tragoedia Calvus* citatur a Servio in *Ecl. 6.* Virgilii.

S. *Joannes*, *Chrysostomus* dictus, ob auream, qua praeditus fuit, eloquentiam: primum forensibus, et secularibus studiis deditus, deinde sacris navans operam, Antiochenus Praesbyter factus fuit, et tandem sub Arcadio, et Honorio Constantinop. Praesul renunciatus. Opera hujus insignis Eccl. Doctoris, in Latinum statim, ut puto, versa ad instructionem Occidentalis Ecclesiae, sunt satis nota. Eorum Latina antiqua *Versio* desid. Desiderantur etiam ejus *forenses Actiones*, Latino proculdubio sermone ab eo lucubratae, ante sacros Ordines: cum per totum Imperium Rom. tunc temporis Judicia Latino sermone agerentur. Obiit in exsilio multis incommodis, et laboribus fractus an. Christi 407., bis a sede sua ejectus instigationibus Eudoxiae, Arcadii uxoris, et politica assentatione complurium Episcoporum. Nicephorus Histor. affirmat, se 1000. Chrysostomi libb. vidisse. Ex quo intelligitur, plura ejus *OO.* intercidisse.

Josephus (Flavius), Sacerdos, et dux Judaeorum fuit contra Romanos, Judaeam rebellantem expugnantes, duce Vespasiano, nondum Imperatore. In hoc bello captus, praedixit Vespasiano Imperium, Romam ductus, scripsit illic *Hist. belli Judaici*, quo bello tandem Hierosolymorum civitas, ut Christus praedixerat, funditus eversa fuit a Tito, Vespasiani, jam Rom. Imperat., filio. Scripsit etiam de *Judaicis antiquitt.*, et *lib. contra Appionem Gramm.* A. Vespas., cui, ut etiam primariis Romanis, valde acceptus fuit ob suam doctrinam, Romana civitate donatus, vivebat adhuc an. 13 Domitiani: quo an., cum esset aetatis ann. 56., ut ipse testatur; *Antiquitatum Judaicarum* Opus absolvit. Alia, siqua edidit, desid. S. Hieron. in *Epist.* ad Magnum affirmat, in Ethnicorum litteris valde versatum fuisse. Ex quo intelligitur, Hebraeos litteratos, non solum Sacris litteris, sed et humanioribus disciplinis Graecorum, et Romanorum dedisse operam, et Romanorum dominantium linguam non

ignorasse: ea autem lingua apud Praesides Judaeae, accusatos, et Christum, et Christi postea discipulos, certissimum mihi videtur ex alibi dictis de Lat. *lingua*. Nec facile eis fuisset, Proselitos facere ex Graecis, et Romanis, si eorum linguam ignorassent. Aequalis, et aemulus Josephi fuit Justus Tiberiensis Hist., de quo Photius in Bibliot.

Jovinianus, haeret. sub M. Theod. damnatus a Syricio Papa an. 390., refutatus a S. Hieron., et aliis. Perpetuam S. Dei Genitricis Virginitatem negabat, ob quod jussu Honorii Imperat. ad Insulam Boam fuit deportatus an. Christi 412. Ejus Scripta perierunt.

Jovinianus, sive *Jovianus*, militum suffragiis fuit electus in Rom. Imperatorem post Apostatam Julianum, cujus edicta, et leges contra Christianos, statim abrogavit, pluraque contra Idololatriam, quae sub Juliano instaurari coeperat, et contra Arianismum, nimium brevi imperii sui tempore, decrevit. Fuit optimus Catholicus, et teste Ammiano Marcellino, excellenti corporis forma, et mediocriter eruditus. Obiit an. Christi 364., aetatis 33. 8. imperii mense, eique Valentinianus in Pannonia natus, (ubi etiam ipse Jovinianus ortum habuerat) successit.

IR

S. *Irenaeus* Lugdun., in Gallia Praesul doctissimus, martyrio cum toto fere suo grege sub Severo Imper. laureatus. Scripsit plura, quae hodiedum leguntur. Plura, ut puto, desid. Ejus libri 5. contra Valentinum solum Latine inveniuntur, licet Graecus ille esset. In *Epist.* ad Theodoram eum citat, et laudat S. Hier., ut etiam in *Scriptoribus Eccl.*

IS

Isaeus, Rom. Orator, tanquam omnibus sui aevi eloquentior laudatus a Plin. Caec. in *Epistt.*, et a Juven. *Sat.* 3. Floruit Romae sub Trajano. Non liquet, an is sit *Isaeus* Rhetor, et Phil., cujus meminit Philostratus in vitis Sophistarum, de quo tradit, quodvis argumentum de re aliqua in compendium redigere docuisse.

Isidorus, Phil. Cynicus in Neronem maledicus. Vide Suet. in *Nerone c. 39.* Vide alium ejusdem nominis verbo *Basilides*.

JU

Jubas, seu *Juba*, Mauritaniae regis Jubae filius. Is valde puer captivus Romam ductus, C. J. Caesaris triumphum secutus est cum aliis captivis ex Africa. Postea J. Caesaris cura educatus, brevi doctissimus evasit, et nonnulla scripsit citata a Plutarcho in *Vita Romuli*. Ab eodem Plut. in *Parallelis* citatur *Jubae lib. 3. de Rebus Africanis*, et Plin. de *Insulis Fortunatis* scribens, affert *Jubae* testimonium. Citatur etiam ab Aeliano *lib. 15. c. 8.*, ubi de margaritarum piscatu. Vel hic, vel alius ejusdem nominis edidit volumen de *Euphorbio* herba, quam multis extulit laudibus. Forsitan haec *Opera* fuerunt ejus patris, qui victus a Caesarianis se interemit, secutus exempla Catonis, et aliorum Pompejanorum. Plin. *l. 5. H. N.* meminit

Jubae, patris Ptolemaei, qui primus utrique Mauritaniae imperavit, deque eo ait, doctrina clariorem fuisse, quam regno.

Corollarium III.

Judices. Olim Judicum munere Senatores Romae fungebantur. Postea an. V. C. 632. C. Sempr. Gracchus, Trib. pl. legem tulit, qua Judicia ad Equites fuerunt translata, quasi parum caste, et juste a Senatoribus exercerentur. Verum an. V. C. 663. Senatus iterum Judicia sibi vindicavit, quia parum integra fide ab Equitibus exercita, adnitente M. Livio Druso, Trib. pleb., qui populum in Equites concitavit. Demum aequa ex parte, lege lata, Judicia penes Senatum, et Equestrem Ordinem fuerunt: penes 300. nempe Equites, et totidem Senatores. Cic. *Philipp. 5.* negat, Judicem esse posse, qui linguam, mores, et leges Rom. ignoret. In Foro Praetores Judicia una cum delectis Judicibus exercebant, et hae caussae *Forenses* appellabantur. In Subselliis exercebantur minora Judicia Tribunorum, Quaestorum, Aedilium, aliorum. Ita Asconius. In Rostris Oratores caussas judicandas orabant. In Curia Senatores, et Principes civitatis de reipub. administranda inter se agebant, ubi multae *Orationes* pro, et contra, de negotiis gravioribus post Consulum relationes, habebantur inter proferendas sententias. De rebus minoris momenti Centumviri, delecti ex omnibus Tribubus, quae 35. erant, terni ex singulis Tribubus judicabant, Praetore praeside, et hae caussae *Centumvirales* dicebantur. Ex Plin Caec. novimus, processu temporis hos Judices ad 180. numeratos fuisse. Ad eos spectabat, judicare de stillicidiis, et alluvionibus, de parietibus, et luminibus, de usucapionibus, de mancipiis, de nexis, de gentilitate, de testamentis, et aliis. Ita Cic. *l. 1. de Orat.* Haec omnia indicant, Senatores, et Equites Jurisperitos fuisse. In provinciis erant etiam Judices, qui Latino sermone Judicia exercebant. Claudius Caesar virum, Graecae Provinciae principem, Latini sermonis parum gnarum, non solum albo Judicum erasit, sed et in peregrinitatem redegit, seu jure Romanae Civitatis privavit. Ita Suet. in *Claudio cap. 16.* Vide *Corrollarium XIV.* in littera *C.* Contra Judices, qui, vel gratia, vel pecunia corrupti judicabant, multae leges latae fuerunt, et graves poenae statutae: verum Petronius canebat de sui aevi Ethnicis judicibus:

Quid faciunt leges, ubi sola pecunia regnat,
Aut ubi panpertas vincere nulla potest?
Ipsi qui cynica traducunt tempora coena,
Nonnunquam nummis vendere verba solent;
Ergo judicium nil est, nisi publica merces,
Atque eques in caussa, qui sedet, empta probat.

Julia, Augusti Caesaris filia, Agrippae uxor, parum pudica, magno ingenio, litterarum amore, et eruditione praedita. Vide quae de ea narrat Macrob. *l. 2. Saturn. c. 5.*, ubi plura ejus dicta ingenio-

sa. Relegata fuit cum ejusdem nominis filia, ob mores impudicos, ab Augusto Caesare.

Julianus, Rom. Imperator, Constantini M. nepos: primùm Christianus: postea Christ. religionis desertor, et infensus hostis, *Apostata* dictus. Pessime usus ingenio, et doctrina sua, ethnici populi plausum ambiens, et nomen Philosophi; libros adversus Christianam religionem, et Christum ipsum, quem *Galilaeum* appellabat, scripsit, animo instaurandi ethnicam superstitionem, quae sensim post Constantinum M. ruebat. *Juliani* libros refutavit S. Cyrillus, Patriarcha Alexand., et multis eloquentissimis Orationibus S. Greg. Nazianz., aliique PP. illius aetatis, in quorum Operibus supersunt nonnulla ex *Juliani* libris illis fragmenta. Supersunt etiam integrae nonnullae ejus *Epistt.*, *Orationes*, et *Satyra* in suos Antecessores, in qua multa contra patruum suum M. Constantinum, quem viperina lingua pungit, quia abjurata Idolorum superstitione, Christianam religionem amplexus fuit, eamque propagavit. *Panegyrica Oratio* Solis, ab eo lucubrata, ineptiis est referta. Eum multis extollit encomiis in *Historia* sua Ammianus Marcellinus, qui sub eo militavit, ut etiam Eunapius in *Vitis Sophistarum, et Philosophorum*. Laudatur item a Mamertino in *Orat.* ei dicta. Hos imitantur hodierni nonnulli Philosophi, *Julianum* (cui similes sunt in apostasia, et in scriptis contra Christum, et Christianam religionem) valde commendantes: digna scilicet tali patella opercula. Illud Marcellinus in *Juliano* non laudat, quod interdixerit Christianis, viris doctis, scholas habere, et Christianis omnibus legere Ethnicorum Poetarum libros, et in humaniorum litterarum studia incumbere. Cavere nempe volebat hoc Edicto, ne Christiani arma ex Ethnicis poetis sumerent ad Ethnicorum deliramenta impugnanda, et deridenda, fabulosa, ridicula, et nefanda de Diis Ethnicorum exponendo. *Edictum*, quo *Julianus* ab scholis amovit Christianos magistros, *crudele* vocat Marcellinus, et *oblivione delendum*. Verisimile est, eum quotquot potuit libros Christianorum, praesertim sacros, combussisse, et omnes, etiam non sacros, a bibliothecis, quas Constantinopoli, et in Antiochiae suburbio construxit (de quibus Zosimus, et Libanius) exclusisse; cum notum sit, Philosophum quemdam factiosum nostrae aetatis, libros omnes, tunc florentium Jesuitarum, ab amplissima bibliotheca sua rejecisse: forsitan, ne locus deesset libris suae factionis. De instauratione, quam frustra tentavit, Hierosolymitani templi, ut Judaeis, Christianorum inimicis faveret, vide Histor. Eccl. In militari tumultu parum abfuit, quin a militibus suis, extremam famem in expeditione quadam timentibus, occideretur. Illum probris, et conviciis incesserunt, Graeculum fallacem, et stolidum eum appellantes. Imperavit an. fere 2, et in pugna contra Persas ferro ictus, miserrime non multo post occubuit an. Christi 362, fassus, se a Galilaeo superatum, ut nonnulli tradunt. Dempto insano conatu instaurandi Idololatriam, non omni-

no malus princeps fuit. Militari virtute claruit: accessum ad se facilem omnibus praebebat: judiciis aderat, et justitiae assertor erat in iis, quae ad Christ. religionem non spectabant, quam arte, et astu magis, quam vi delere cupiebat, licet non paucos Christianos morte affecerit ob spretum cultum idolorum. Ejus animum in Justitiae rectam administrationem hoc factum declarat. Accusavit Cephisius quidam apud eum latrocinii Numerium. Negabat hic, furtum a se patratum, et Accusatorem calumniae postulabat. Cephisius accusator conversus ad Julianum dicebat: *Quis, o Caesar, nocens erit, si negare sufficiat?* cui illico *Julianus*, innocentiam Numerii agnoscens: *Quis, o Cephisi*, inquit, *innocens erit, si accusare sufficiat?* et Numerium absolvit. Moribundus ex teli, vel sagittae ictu, annum agens aetatis 31. prolixe disputavit de Animorum sublimitate cum Prisco, et Maximo Phil. ethnicis, ei caris. Ita Eunapius in eorum *Vita*: quod si id verum, non statim in pugna occubuit, ut vulgo traditur.

Julianus (Salvius), Jurisconsultus, Hadriani Imperat. gratia florens, ac ejus familiaris. Hadriani jussu digessit in titulos *Edictum Praetorium*, et *libb.* edidit, quos *Digestorum*, idest *Edictorum digestorum* inscripsit, ut Cujacius Jurisconsultorum recentium facile princeps, interpretatur. *Juliani* hujus est illud: *Nulla lex tam late patet, ut ad omnia pertingat*. Ejusdem putatur dictum illud: *si pedem in sepulcro haberem, aliquid adhuc tunc discere vellem*. Avus fuit Didii Juliani Imper., qui post Pertinacem imperavit.

Julianus (Didius), Juris peritissimus a Praetorianis emit Imperium: ob quod fuit Senatui R. parum acceptus, et tandem capite ab eo damnatus, postquam Severus ad pontem Milvium eum vicit. Occisus fuit a gregario milite in palatio post menses duos imperii, an. aetatis 60. En alium Fortunae ludum.

Julianus (Ant.), insignis Hispanus Rhetor, et Criticus, citatus a Gel. *l. 1. c. 4.*, et *lib. 19. c. 9. NN. AA.*, ubi narrat controversiam inter *Julianum*, et Graecum Asiaticum de praestantia Graecorum Poetarum, et Latinorum. Vide *Catullus*: *Aedituus*: *Licinius* in suis litteris. De eo ait Gel., publice juvenes docuisse, et florentis hispano ore facundiae, ac veterum rerum, litterarumque peritum fuisse. Minutius Felix testatur, eum de Judaeorum infelicitate scripsisse; quod Opus desid., ut etiam alia, siqua ab eo edita fuerunt.

Julianus, Capuanus Episc. Pelagiani, damnati per totum orbem dogmatis, instaurator, Memorii, Capuani Episcopi filius, et in Episc. sedem successor. Fuit homo lingua, et calamo disertus, sed audacis, et procacis ingenii: utpote, qui cum S. August. certare ausus sit ingenio, propugnans scriptis suis Pelagii errores. *Juliani scripta* periere. Supersunt solum nonnulla fragmenta in Operibus S. August., qui eum refutavit, imperante Honorio, cujus edictis fuerunt Pelagiani repressi.

Julius (C), Aedilis Curulis, et Orator, qui fere quotidie accuratas habebat conciones. Fuit crudelissime interfectus tempore Syllani

belli civilis, una cum Oratoribus aliis, inter quos Q. Catulus, et M. Antonius. Ita Cic. in *Bruto*. Ejus *Orationes* desid.

Julius (Canius), Phil. gravissimus, et constantissimus. L. Sen. de *Tranquil. animi c. 14.* eum adducit pro exemplo animi inter adversa tranquilli. Ad necem requisitus fuit a C. Caligula, (cum quo altercatus fuerat), dum latrunculis luderet. Digna lectu sunt, quae illic evenisse narrat Seneca illi coaevus.

Julius (C), *Strabo* dictus, L. Julii filius, Orator, et Poeta Trag. laudatur a Cic. in *Bruto*, tanquam Orator urbanus, lepore, et suavitate conditus: additque, tunc temporis ejus *Orationes*, et *Tragoedias* extitisse. Eae nunc desid.

Junius (M). De eo Cic. *l. 2. de legibus* loquitur tanquam de perito, et diligenti Romani *Juris* Scriptore. Ejus autem *Scripta* desid.

Junius (Otho), Rhetor scripsit *libros 4. Colorum Rhetor*, quos Gallio *Antiphontis libros* appellabat, quia somniorum in illis multum erat. Vide M. Sen. *Contr. 3. lib. 1.*, et *Contr. 1. lib. 2.* Aliis in locis Seneca *Junii* hujus *Sentt.* refert.

Junius (Max.), laudatur ab Statio, tanquam clarus dignitate, et eloquentia in *Praef.* ad *lib. 4. Sylv.* Ad eum *Lyricum Carmen* scripsit.

Corollarium IV.

Jurisconsulti, antiqui Rom. innumeros libb. de *Jure* edidere, partim in *Tractatibus*, quibus novas Leges, Senatusconsulta, Plebiscita, Edicta Praet. Jus priscum 12. Tabul., et Ceremonias ad cultum Deorum suorum spectantes, in *Pontific. libris* contentas, enucleabant: partim in *Responsis*, quae de *Jure* consulentibus dabant. Haec autem *Responsa*, et *Tractatus* magna ex parte desiderantur, et solum fragmenta praecipuorum supersunt, ex quo, Justiniani Imper. jussu, Tribonianus, magnus *Jurisconsultus*, et Praef. pr., una cum aliis in Jure peritis, a se delectis, *Codicem*, et *Pandectas* ex voluminibus priscorum *Jurisconsultorum*, quae ad 2000. erant, concinnavit, ac veluti succum tunc vigentis legislationis expressit, antinomias devitando, quantum fieri posset in tanta legum varietate, et caussarum multiplicitate. Quoniam vero de *Responsis*, et *Sententiis Jurisconsultorum* mentionem fecimus, juvat hic attexere, duas fuisse invicem oppositas *Jurisconsultorum* Sectas, *Sabinianorum*, nempe, seu *Cassianorum*, et *Proculianorum*, seu *Pegacianorum*. Primae sectae dux fuit Attejus Capito; secundae autem Antistius Labeo. *Sabiniani* aequitatem in Responsis, et libris suis de *Jure*; *Proculiani* autem summum jus spectabant *Jurisconsulti* sine Oratoria per contemptum Leguleii, cauti, et acuti Praecones actionum, Cantores formularum, et Ancupes syllabarum appellabantur. Cuilibet Jurisperito licebat olim, litigantibus, et de *Jure* consulentibus *Responsa* dare, donec Augusti decreto, respondere de *Jure* publica auctoritate iis solum concessum fuit, qui, publico stipendio assignato, ad id muneris a Senatu, vel a Caesare eligebantur: quod munus valde honorificum erat, quia viam muniebat

ad magistratus. Postea vero Adriani, ni fallor, edicto, publicum munus de *Jure* respondendi sublatum fuit, quia saepe minus periti, potentium amicorum favore, vel largitionibus, hoc munere fungebantur, et cuivis in *Jure* versato data, ut olim, facultas de *Jure* respondendi. Vide J. Vinc. Gravinam de *Orig. Juris Civilis*, et *Rempublicam Jurisconsultorum* Jos. Aurelii Januarii, in qua judicium de antiquis, et recentibus *Jurisconsultis* lepido sermone exponitur. De Hispanis *Jurisconsultis*, vide Opus, inscriptum *Arcana Themidis Hispanae*, editum a Fankenau, Dano. Opus autem istud, quod suum fecit Frankenau, cum Matriti degeret, Manuscripto empto; DD. Lucae Cortesii, Regis Catholici Consiliarii fuisse putavit DD. Greg. Majansius, non levibus conjecturis ductus.

Corollarium V.

Jurisprudentia, Facultas nobilissima, a Romanis praecipue exculta, tradit *Jus Civile*, quod per multa secula Romae inter sacras ceremonias inanium Deorum abditum fuit, et solis Pontificibus notum, praesertim, quae in eo ad Fastos, et Nefastos dies spectabant. Primus illud vulgavit CN. Flavius, libertino patre natus. Val. Maximus *l. 2. c. 5.* narrat de eo, quod cum Aedilis Curulis a plebe, cui carus erat, ut nobilibus invisus, esset creatus, et ad collegam aegrotantem invisendum ivisset, neque a nobilibus, quorum frequentia aegroti cubiculum completum erat, sedendi locus ei daretur; sedem Curulem jussit afferri, et in ea coram nobilibus, honoris, ac contemtus sui vindicem assedisse. Idem narrat Gellius *lib. 6. c. 9.* citans L. Pisonem *lib. 3. Annal.* Vide *Flavius* in *F.* De *Juris Civilis* laudibus, vide Ciceronem de *Oratore l. 1.* Illic affirmat, *libellum Juris 12. Tabularum* omnium Philos. bibliothecas auctoritate, et ubertatis utilitate superare. Praefert etiam leges, seu Jus Rom. legibus Lycurgi, Solonis, et Draconis. Demum ait, Romanos prudentia Graecis, ac gentibus ceteris praestare. Haec sub persona Crassi. Utrum nimis gloriose? Critici judicent. Illud interim non silendum, quod, quantacunque fuerit Romanorum prudentia in primis suis condendis legibus, opus fuit, multas 12. Tabularum leges postea abrogare, vel moderare. Constat item, plura a Christianis Principibus, et a Romanis Pontificibus, in Jure Civili Ethnicorum Romanorum emendata, et correcta fuisse, ut jus occidendi uxorem in adulterio deprehensam. Post Jus Papyrianum, et 12. Tabularum, viguit Jus Flavianum, et Aelianum, quae Jura cum Prudentum Interpretationibus Jus priscum continebant.

Justinus, Phil. Christ. doctissimus, martyrio laureatus Romae 2. Eccl. seculo. Plura Romae edidit, quibus Christi religionem illustravit, de quibus S. Hier. de *Viris illustr.* ut *Apologias* binas pro Christianis: *Hortatoriam Orat.* ad Graecos: *Dial. cum Triphone*, et S. *Joan. Apocalypseos interpretationem*: alia, ex quibus multa desid., ut ejus *liber de Anima*, *liber Psaltes* inscriptus, *liber contra haereses omnes*, cujus ipse meminit in *Apolog.* ad Antoninum Pium: *liber* demum

de Monarchia Dei, magna ex parte. S. Hieron. nullam mentionem facit Operis S. Justini contra quaedam Arist. dogmata, quod genuinum S. *Justini* Opus putavit Photius. Ex praefatis Operibus nonnulla indubitata; alia sub dubio S. *Justino* tribuuntur. Nonnulli errores, in quos incidisse S. *Justinus* dicitur, excusari possunt, vel negari, in ejus Operibus inveniri. V. Annatum in *Apparatu*, ubi de *S. Justino M.* Nonnulli hunc confundunt cum Justino historico, qui Trogum Pompejum in Epitomen contraxit. Vide *Pompejus* in *P*.

Justus, Tiberiensis, fabulosus Hist. praesertim de bello Judaico agens. Hist. scripsit a Moyse usque ad exitum Agrippae regis, nihil de Christo, et ejus miraculis narrans. Homo nequissimus, avaritiae, et libidini serviens appellatur a Josepho Hebraeo, cui multas insidias struxit. De eo S. Hieron., Photius, Suidas, et alii. Vide *Josephus* superius.

Juvenalis (Decius Jun.), Poeta Satyricus, patria Aquinas, quem nonnulli Horatio in *Satyris* praeferunt. Admodum senex per honorem militiae, jussu Domitiani, in Lybiam exsul missus fuit, opera Paridis Pantomimi, Domitiano perquam gratiosi, eo quod eum versibus aliquot Juvenalis pupugisset. Post Paridis, et Domitiani mortem Romam rediit, ubi plures vulgavit *Satyras*, quarum 16. solum supersunt. Obiit Hadriano imperante 2. Eccl. Sec. Sunt, qui dicant, iterum sub Hadriano actum in exsilium, et in eo octogenario majorem obiisse, an. Christ. 119. Fuit Martialis amicus.

Juvencus (Aquilinus Vettius), Hisp. Poeta, qui floruit an. Christi 330. Edidit versibus hexam. 4. *Evang.*, *Hymnos*, et versus alios super Christi mysteriis. *Hymni*, et *Poema de Christi Mysteriis* desid. De eo S. Hier. in *Epist. ad Magnum*, et in *Chron.* ad an. Christi 332. In *Comment. ad cap. 2. S. Matt. lib. 1.* affert *Juvenci* versum.

Thus, aurum, myrrham, Regique, Hominique, Deoque
Dona ferunt

Juventius (T), laudatur a Cic. in *Bruto*, ut magnae Juris intelligentia pollens; in dicendo autem lentus, ac pene frigidus dicitur, sed callidus, et in capiendo adversario versutus. Ejus *Oratt.* desid.

Corollarium VI.

Littera *I*, nunc consonans, nunc vocalis est. Consonans, cum post eam vocalis sequitur, et scribi solet longiuscula, ut in vocibus *Jus, Juvenis, Jacio, Jecur*. Saepe etiam ponitur longiuscula pro duabus *ii*, ut in genitivo *Pompeii, Caii*, et scribitur *PompeI, CaI*, vel *Pompej, Caj*. Vocalis *I* magnam affinitatem habebat in sono apud Rom. antiquos cum *u* vocali, et iccirco indifferenter scriptum invenitur in antiquis Roman. Operibus *Mancipium*, et *Mancupium*: *Optumus*, et *Optimus*: *Aucupium*, et *Aucipium*: *Maxumus*, et *Maximus*: *Inclutus*, et *Inclitus*: *Plirima*, et *Plurima*: *Manibiae*, et *Manubiae*. Vide *Y.*, et verbo *Vocales* in *V*. Nominativus pluralis nominum 2. declin., ut differret a genitivo singul. scribi a Rom. antiquis solebat per *ei*, ut *Puerei* pro *Pueri*, *Divei* pro *Divi*. Nunc uterque casus

per solum *i* scribitur. Dipthongus *ai* in nominibus primae declin. in *A*, ut *Musai* a *Musa*, mutata est in *ae*, ut *Musae*, *Terrae*, *Frugiferae* pro *Musai*, *Terrai*, *Frugiferai*. Habebat etiam *i* apud aliquos in sono affinitatem cum *e*, et idcirco multa, quae postea scripta sunt constanter per solum *i*, antea, vel per *e*, vel per *ei* scribebantur, ut *Heri*, *Vesperi*, olim *Here Vespere*. Teste Varrone *de re rustica*, Rustici olim dicebant *veam* pro *viam*, *vellam* pro *villam*. Eodem teste *Familia* olim *Famelia* scribebatur a *Famel* Osco Vocab., quod servum significabat: et vocabulum *Familia*, non nisi pro servis significandis accipiebatur teste Festo, licet postea ad filios, et consanguineos ampliatum sit. In antiq. lapidibus invenitur *Sene* pro *Sine*, *Quei* pro *Qui*. In 12 Tab. legitur *Fulmin* pro *Fulmen*: *Endo* pro *In*: *Diueis* pro *Divis*: *Jovei* pro *Jovi*: *Opeima* pro *Opima*: alia. Contra vero: multa, quae nunc per solum *e*, vel solum *i* consignamus, olim per *ei* scribebantur, et forsitan pronunciabantur: ut *Ubei* pro *Ubi*; *Quasei* pro *Quasi*; *Sei* pro *Si*: *Sibei* pro *Sibi*: *Pisceis* pro *Pisces*: *Nocteis* pro *Noctes*, *Boveis* pro *Boves*. Vide Inscriptionem antiquam, positam L Scipioni, quam affert Q. Mod. Censorinus in *Parad. de Vita*, *et Morte Lat. linguae* pag. 231., in qua scriptum legitur *Tempestatebus*, *Mereto*, *Aide*, *Dedet*, *Fuet* pro *Tempestatibus*, *Merito*, *Aede*, *Dedit*, *Fuit*. Ex dictis colligitur, processu temporis, ut alibi dictum est, et saepe dicendum ad multa praejudicia tollenda, apud Romanos mutatam Orthographiam, et Pronunciationem, multaque vocabula, vel antiquata, vel ampliori significatione donata, novaque plura inducta populi arbitrio fuisse; adeo ut Quintiliani aetate, interprete opus esset ad antiquiorum Latinorum Opera intelligenda; quin tamen ausus fuerit magnus Criticus Quintilianus, *barbaros* Romanos antiquos appellare. Sunt, qui arbitrentur, litteram *i* Latinam eundem sonum in pronunciatione habere, ac *y* Graecorum: et in vocabulis Graecae originis, quae Latina facta sunt, utendum esse *i* Latina, non *y*, more Italorum, qui in vocabulis Italis Graecae originis omnino ab *y* abstinent, Latinam *i* adhibentes. Et haec opinio conformior est Romanorum antiquorum opinioni, secundum quam, a litteris non Latinis abstinebant in Latina scriptione. Vide litteram *Y* in fine hujus *Syllabi*. Littera *I* apud Romanos erat nota arithmetica unitatis, et eam multiplicabant ante, et post *V. X. L. C. M.* in numerando. Cum ante majores numeros appingebatur; eos minuebat: cum post; eos augebat.

KA

Kalendaria, seu *Calendaria*, Romuli, Numae, J. Caesaris, et Ecclesiasticum Vetus, Gallice edidit Franciscus Blondellus in *Historia Kalendarii Romani*. Utrum ea sint legitima, anve supposititia? alii judicent. De Kalendis, seu Calendis, vide *Comitia* in *C*.

Corollarium I.

Prisci Romani frequenter littera *K*, a Graecis accepta, utebantur

loco litterae *C*, praesertim antequam in usu esset littera *G*. Tunc quippe loco *G* utebantur littera *C* in scriptura, et pro *C*, littera graeca *K*. In Inscriptione posita M. Aurelio Antonino legitur *Kasibus* pro *Casibus*. Vide in litteris *C*, et *G* *Corollaria* de his litteris. Vide item *Litterae Latinae* in *L*. Processu temporis in desuetudinem abiit littera *K* inter Romanos, adeout, ne Graeca quidem vocabula, vel ex Graeco venientia, per *K* scriberent, sed per *C*, quod adhuc obtinet. Romanis quippe displicebat, peregrinas litteras, cujusmodi sunt *K*, *Z*, et *Y* in vocabulis jam Latinis usurpare, quantumvis Graeca origine essent: quod adnoto, ne faciles simus in taxanda aliorum Orthographia in scriptis Litinis.

LA

Labeo (Accius), Poeta, Neroni carus, forsitan ex Acciorum Pisaurensium genere ortus. De eo meminit Persius *Sat. 1.*

Labeo (Corn.), citatur a Macr. *l. 1. c. 12. Saturn.*

Labeo (Q. Fabius), Poeta, Orator, et vir Consularis, a quo adjutum Terentium in suis *Fabulis* Santra putavit. Cic. in *Bruto* ait, fuisse eum in Oratoria ejusdem meriti, quo fuit Fab. Pictor.

Labeo (P. Antistius). De eo Cic. in *Bruto* cum laude plura dicit. Fuit Trib. pl., qui cum collega P. Sulpicio restitit C. J. Caes. Straboni, Consulatum contra leges petenti. Syllae partibus addictus, in Senatu fuit a Damasippo interfectus. Vide Plutarchum in *Pompejo*. *OO.* hujus *Labeonis*, et praecedentium ejusdem nominis desid.

Labeo (Antistius), Jurisconsultus, et Gramm. insignis, filius Antistii Labeonis Jurisconsulti, alterius ex conjuratis in C. J. Caesarem. Plura, quae de *Lat. lingua* edidit, desid. Citatur a Gel. variis in locis. Horatius eum insanum appellabat, ut adularetur Augusto, cui *Labeo*, antiqua libertate, in Senatu adversabatur. *Jus* Civile, a Trebatio Testa didicit. In Juris divini, et humani peritia confertur a Petronio Arbitro, cum Servio Sulpicio. Ex eo orta particularis Jurisprudentiae Schola, sive Secta, de qua in littera *J* verbo *Jurisconsulti*. De numero Librorum *Labeonis* dubitatur. Sunt, qui 40.: Sunt, qui 400. edidisse dicant. Ita Gravina, citans Gothofredum juniorem. Forsitan dubium oritur, ex prava numerorum adnotatione in antiquis exemplaribus. Supersunt in *Pandectis* fragm. *libb. Labeonis*.

Labeo (Attius), Poeta Latinus, qui Homeri Opera in Latinum vertit *verbum verbo reddens* nimium *fidus interpres* contra Horatii monitum in *Arte*: quod praestitit non sine multis ineptiis, ob quas irridetur a Persio in *Satyris*, et ab aliis antiquis. Haec *Versio Lat.* periit, vel latet.

Laberius (Decimus), Poeta Mimographus, C. Jul. Caesari carus, *Mimos* lucubravit ante Christi aeram an. 60. In *Mimis* superatus fuit, etiam C. J. Caesaris judicio, a P. Syro, ejus aemulo. Vide *Syrus* in

S. Citatur saepe a Gellio in NN., qui plura *Laberii* Carmina affert; ex quibus apparet, nova Latina vocabula confinxisse, et obsoleta, ac a vulgi faece mutuata non pauca usurpasse. Macr. in *Saturn.* illud insigne ejus dictum affert: *Necesse est multos timeat, quem multi timent*. In *Mimo* inscripto *Rectiorem* loquutus fuit de Democriti Philosophi caecitate. Vide Gel. *l. 10. c. 17.*, et *lib. 11. c. 15.*, ubi citat *Mimum*, *Lacus Avernus* inscriptum, in quo vocabulo *Amorabundus* pro *amore parum pudico irretitus* utitur. Habemus plura fragmenta *Mimorum Laberii*, quae a Grammaticis antiquis citantur. A C. Jul. Caes. Eques factus, jus adquisivit inter Equites sedendi, cum spectacula edebantur. Equites Rom. aegre ferentes, Mimum ad ordinem suum evectum, se coarctabant in theatro, cum sedem quaerebat *Laberius*, ne locum ei darent, eumque a sedibus equestris Ordinis excluderent. Cum ille magno nisu locum quaereret inter Equites, Cicero, qui illic sedebat, et belli civilis tempore fuerat notatus, tanquam, nec Pompej, nec Caesaris certus amicus, sed utriusque in prospera fortuna adulator, ei dixit subridens, se eum recepturum perlibenter, sed non posse, quia anguste sedebat: *Laberius*, vir non obtusi ingenii, continuo Tullio respondit: *atqui solebas olim, duabus sellis sedere*. Ita M. Sen., qui reprehendit immerito, maxime in joco-seriis, et satyricis hanc ambigue loquendi rationem, quae ex *Laberio*, et Cic. in Augustum, et alios manavit. Usum harum item ambiguitatum in vocabulis, parum felici successu *Satyra* quadam, insectatur Boileavius insignis Satyricus Gallus. Macrob. in *Saturn. l. 1. c. 7.* affert nonnullos *Laberii* versus, quibus indicatur: eum Equitem Rom. fuisse, priusquam rogatu Caesaris, in Scaena Mimos ageret. Ibidemque tradit Macrob.: in *Prologo* quodam Caesarem a *Laberio* oblique punctum, eo quod eum ad Mimos agendos compulisset, hocque offensum Caesarem, eum postea in *Mimis* a P. Syro victum pronunciasse. Obiit 10. mense post J. Caesaris necem. Ita Euseb. in *Chron.*

Laberius, Poeta, Martialis aequalis. In eum est Martialis *Epigr. l. 6.*

Labienus (T), Poeta Satyr. Historicus, et Declamator. Ejus scripta S. C. flammis tradita fuerunt ob nimiam alios carpendi licentiam: quam ob rem taedio, ac dolore affectus vitam finivit, vivum se sepulcro includens. M. Seneca, eum magno ingenio, et insigni eloquentia praeditum fuisse tradit. Idem Sen. in *Prooemio lib. 10. Controv.* ait, eum *Rabienum* dictum, quia omnes ordines, et honores rabiose lacerabat, carminibus suis. Postea C. Caligulae jussu *Labieni* Opera quaesita, et lectitata fuerunt; sed hodie desid. Ignoro, an is fuerit filius illius *Labieni* divitis, et factiosi hominis, qui cum inter Caesarianos, et Pompejanos de pace ageretur, eam dissuasit dicens, pacem esse non posse, nisi Caesaris capite delato, ob quod dictum, Pompejo victo, cujus partibus valde addictus erat, a Caesare fuit poena capitis damnatus. Is sua pecunia in agro Piceno oppidum Cingulum aedificarat.

Lactantius (L. Caelius), *Firmianus*, *Christianus Tullius* dictus,

quia nemo ullus ex antiquis Christianis, (et fortasse, ne ex Ethnicis, quidem) tam perfecte est Ciceronis stylum imitatus. A S. Hieron. vir omnium suo tempore eruditissimus appellatur, sed valde pauper vixit. Floruit sub Constantino M., cujus filium Crispum bonis litteris erudivit, cum Nicomediae primum, deinde Romae Rhetoricam publice cum nominis celebritate docuisset. Praeter Opera notissima *Divin. Instit.*, et de *Ira Dei*, quae exstant, plura edidit, quae desid., ut *Itinerarium ex Africa Nicomediam* versibus hexam., de quo S. Hier. in *Scriptor. Eccles.* Item *Symposium*, et *lib.*, qui *Grammaticus* inscribebatur. Desid. etiam *libri 4. Epist.* ad Probum: ad Severum *libri 2.*: ad Demetrianum, auditorem suum, *libri duo*. *Liber de Mortibus Persecutorum*, qui latuerat, inventus fuit, et editus a Baluzio. *Epitome Divin. Instit.* a Lactantio lucubrata, jam tempore S. Hieronymi mutila legebatur. In Bibliotheca Regia Taurinensi inventa fuerunt in hoc seculo plura, quae Operis initio deerant, sed *Epitome* integra nondum inventa est. Vide *Hist. litt. Italiae* Cl. Franc. Ant. Zachariae tom. 2. In *Epistt.* S. Damasi ad S. Hier. fit mentio de *Operibus Lactantii* ad S. Damasum a S. Hieronymo missis, in quibus plures Epistolae erant, nihil de Christ. dogmate continentes. Fuit Arnobii in Africa discip. Dubitatur, an *Lactantii* sint Poemata de *Phoenice*, de *Passione*, et *Resurrectione Christi*, quae cum *Lactantii* Operibus edita leguntur. S. Hier. mentionem facit *Lact. libb. 2.* ad Asclepiadem.

Lactantius, Gramm. Papinii *Thebaidos* interpres. Hunc citatum vidi a Cael. Rhodig. *lect. antiq. lib. 18. c. 1.*, qui *lib. 14. c. 18.* annotat, ab aliis *Luctatium* dici. Cujus aetatis fuerit? ignoro: nec eum citatum ab antiquo aliquo scriptore legi. Hic esse non potest *Lutatius*, sive *Luctatius*, citatus a Varrone, de quo postea; cum Varrone fuerit valde posterior, si Statii fuit interpres.

Laelia, Laelii filia litterata, et eloquens, de qua Quint. *l. 1. c. 1.* ait, reddidisse in loquendo paternam eloquentiam elegantiorem.

Laelius (M), Augur, citatur, ut Hist. a Macr. *lib. 1. Saturn. cap. 6.*

Laelius (Decius. Forsitan *Decimus*), Orator, qui accusavit Repetundarum L. Flaccum, Asiae Propraetorem, quem defenderunt Cicero, et Hortensius.

Laelius, Poeta, qui, carpens carmina Martialis, sua non edebat. Vide *lib. 1. Epig.* Mart. Apulejus in *Apologia* pro se affert cujusdam *Laelii* versus. Forsitan hujus.

Laelius (C), perperam a nonnullis magister Varronis dictus, scripsit de *Proloquiis commentarios*, qui Gellii aevo in bibliotheca Pacis asservabantur. Ita Gel. *l. 16. c. 8.* Vide *Praeconinus* in *P.* De *Oratione Laelii*, qua dissuasit legem C. Papyrii, vide Cic. de *Amicitia*. In *Bruto* multa Cic. de eloquentia *C. Laelii*, ac de ejus *Orationibus*, quas confert cum *Oratt.* Scipionis Africani: multa item de utriusque ingenio, eloquentes in primis ambos vocans. Verum cum fuerint pater, et filius, eodem nomine, et praenomine appellati, suboritur con-

fusio, et dubietas, de quonam *C. Laelio* loquatur Cic. in *Bruto*. Fuit pater, amicissimus Scipionis Afric. antiquioris, et eum sapienter disserentem de *Amicitia* Tullius inducit. *Dialogus de Amicitia Laelius* inscribitur. Hunc puto fuisse *Laelium*, cujus consiliis, et opera Scipio in primis utebatur, cum in Hispania bellabat. De eo multa Mariana in *Hist. Hispaniae lib. 2. Laelii* cujusdam lenitas in dicendo laudatur ab Apulejo in *Apologia* sua: Forsitan hic erat *Laelius* Poeta, de quo supra, cujus versus aliquot Apulejus affert.

Laeta, nobilissima Matrona Rom. Toxotio, S. Paullae filio, nupta. Ad eam est S. Hier. *Epist. de Filiae institutione*, qua indicatur, *Laetam* foeminam valde eruditam, et filiam Albini, Ethnici Pontificis, fuisse ex matre Christiana.

Laevius. Poeta, cujus supersunt nonnulla Carmina.

Lamia (Aelius), Poeta Comicus, qui *Comoedias Praetextatas, et Togatas* edidit. Ita vetus Hor. Interpres.

Lampadio (C. Octavius), divisit in 7. libb. *Punicum Bellum* Naevii, Suet. teste.

Lampridius (L. Aelius), Hist. sub Dioclet. alter ex Historiae Augustae Scriptoribus, qui a nonnullis diversus ab Spartiano perperam creditur. Paucorum Imperatorum *Vitae* ab eo scriptae ad nos pervenerunt. Vide *Spartianus* in *S.*

Lampridius, Burdegalensis Rhetor, quem Sidonius Appollin. acrem vocat, de eo loquens in *Epistt.*

Lanuvinus (L. Ael.), Rom. Eques, Q. Aelii gener, Grammaticam ex omni parte illustravit una cum Servio, Equite etiam Rom. Ita Suet. de *Illust. Gram.* Utriusque Opera desid. nam *Servius* iste diversus est, ut arbitror, a *Servio*, Virgilii interprete, cujus Opera exstant.

Lappa (Rufrenus), Poeta Trag., de quo Juven. *Sat.* 7.

Largus (Scribonius), Medicus Rom. Apuleii Celsi discip., qui scripsit de *Compositione medicamentorum*, a quo plura sumpsere posteriores Medici, nulla facta de eo mentione. Hoc Opus desid. Vide *Celsus* in C.

Largus, Poeta, memoratus ab Ovidio de *Ponto l. 4. Ep. 16.*

Laterensis (M. Juventius), Orator, qui CN. Plancium, a Cicer. defensum, accusavit. Ejus *Orat.* desid.

Corollarium I.

Latinus, Sermo nunquam, ne Ciceronis quidem aevo, purus fuit, sed mistum quoddam ex variarum linguarum vocabulis. Vide Q. Moderatum Censorinum in *Paradoxis de Vita, et Morte Lat. linguae Dissert. 2.* in longa *Adnot. 7.* respondente n. 38. dictae *Dissert.*, ubi multis hoc ostendit. De Latino sermone ait Cic. in *Bruto: Non tam praeclarum est, scire Latine, quam turpe nescire: nec tam mihi Oratoris boni, quam Civis Rom. proprium videtur*. Ibidem de Antonio *(a)*

(a) *Nota heic, Antonium summum Oratorem* inquinate *locutum sermone*

summo Oratore ait, diligenter loquendi laude caruisse; neque tamen admodum inquinate locutum. Variis in locis suorum Operum tradit, Latinum sermonem non copiosum minus esse, quam Graecum. Contra autem L. Ann. Seneca in *Epistt.* paupertatem Latinae linguae deplorat. M. Sen. *Contr. 4. l. 10.* affirmat, Latinam linguam facultatis non minus habere, quam Graecam, sed minus licentiae: quod Senecae dictum valet praecipue in Poeticis Operibus. Vide *Poetae* in *P.* De Oratorio stylo multa L. Sen. tradit *Epist. 115.* ad Lucil. *Multi,* inquit *ex alieno seculo petunt verba; 12. tabulas loquuntur: Gracchus illis, et Crassus, et Curio nimis culti, et recentes sunt. Ad Appium usque, et Coruncanum redeunt. Quidam contra, dum nihil nisi tritum, et usitatum, in sordes incidunt.* In eadem *Epist.* agit de Stylo vario Latini sermonis, tum culto, tum nimis neglecto. Plura de Stylo, et Compositione, tradit etiam *Ep. 116*: plura demum in *Epist. 101.* Cicero in *Oratore* docet, diligentiam in compositione non debere esse operosam, quia infinitus esset labor; et puerilis. De his Quint. *l. 9.*

Latro (Porcius), Orator, et Declamator Hisp. celebris, quem M. Sen. in *libris Controv.* eum, ut absolutissimum exemplar Declamatorum filiis suis proponit. Inter *Fragm.*, et *Opera Sallustii* legitur ejus *Declamatio* in Catilinam, quam nonnulli putant foetum supposititium esse. Aliae *Declamationes*, et *Orationes Latronis* desid. Multarum tamen *Declamationum Latronis* Sententias affert M. Sen. in suis Operibus, in quibus fit etiam mentio cujusdam *Praefationis* ejusdem, quin dicatur, cujusnam libri sit, nec de quo argumento. Eum Ovidius declamantem, cum admiratione audiebat, et nonnullas ejusdem Sententias carminibus suis inseruit. Ita Sen. *Declam. 2. lib. 2*; qui saepe alibi, plura de *Latrone* amico suo non sine encomio tradit. Inter alia de eo *l. 4. Contr.* ait: Coram Latrone neminem declamasse. Discipuli nempe eum, ut exemplar audiebant, non ut magistrum. Initio per contumeliam discipuli *Latronis*, *Auditores.* vocabantur: deinde in usu esse coepit *Auditor* pro discipulo. Sunt, qui dicant, eum prae taedio quartanae duplicis se interemisse: qua insania multi ex Rom. etiam litteratissimis laborabant, parum constanti, et forti ani-

---

Latino (*licet non* admodum inquinate); *quin tamen* Barbarus *in sermone appelletur, aut* Latini sermonis corruptor: *quod Latinis antiquis Patribus, et Christianis Latinis Scriptoribus antiquioribus, non admodum sane inquinate locutis, et quorum scripta non multum inquinate lucubrata sunt, favet: ostenditque contra intemperantes Criticos, per summam injuriam* illos Barbaros, *et* Latini sermonis Corruptores *appellari. Veritati illi praecipuam dabant operam:* quae *autem* veritati operam dat oratio, incomposita debet esse, ac simplex, *ait Sen.* Epist. 40.

mo hujus vitae molestias tolerantes. In sacris litteris neutiquam versati, nesciebant, militiam esse vitam hominis super terram. Militi autem, sine jussu Imperatoris stationem deserere, non licet, ut recte Pythagoras ajebat. Illud mirum, nonnullos Philosophos hujus illuminati seculi, qui Christiani videri volunt, Suicidium approbare. Hi humanitatem, quam tantopere commendant, e medio tollentes, doctrina sua putant, se orbem illuminasse. Sed sinamus, hos (, qui se ingenia fortia, alios fungos, et fanaticos vocant) fortiter insanire, donec aliquis eorum insaniae misertus, eos vinculis constrictos ad Antyciram mittat.

Latronianus, Hisp. Poeta, cum antiquis comparandus, laudatus hoc nomine a S. Hier. de *Viris Illust.*

Lavinius (Pub.), Grammaticus. Ejus liber de *verbis sordidis* citatur a Gellio *lib. 2. c. 10.*, et dicitur non incuriose scriptus. Hic *liber* desid.

Lauranius, reprehendens Servium quemdam super Orthographia, defensum a Messalla, citatur a Quintiliano *l. 9. Orat. Instit.*, ubi de *Compositione*.

Laurea (Tullius), Ciceronis libertus, Poeta Epigramm., Patrono carus. Ejus laudatissimum Epigr. de *Aquis Ciceronianis* affertur a Plin. *H. N. l. 31.*, quod legisse non poenitebit Poeseos studiosum, licet nonnihil obscura prima Disticha mihi videantur. Alia *Laureae* Poetica, quae proculdubio edidit, desid. *Aquas Ciceronis* appellat *Laurea*, quae post Patroni mortem inventae fuerunt in Sylva contigua villae Ciceronis, quam *Academiam* vocabat: in qua, ut arbitror, *Academ. QQ. libros* lucubravit. Hae aquae male affectis oculis salutares erant. *Laurea* claudit Epigr. suum dicens: opportune in Ciceronis Villa inventas, ut, quoniam totum per orbem legebatur Tullius, sint plures aquae, quae oculis medeantur. Ex quibus intelligitur, Ciceronis scripta inter Graecos, Asiaticos, et Afros lecta, et Ciceronis aevo Romanam litteraturam communem inter eas gentes fuisse.

Laurus, Rhetor, et Caussidicus. Eum ridet Mart. *l. 2. Epig. in Laurum*, eo quod, senex cum esset, deliberaret, utrum se inter Rhetores, anve inter Caussidicos numeraret.

Lausus. Ad eum sunt Martialis Epigrammata nonnulla *lib. 6.*, quibus indicatur, eum virum doctum, et Poetarum amicum fuisse.

LE

Corollarium II.

Leges, Romae ferri non poterant sine bonis auspiciis. Si tonabat, si grandinabat, si procella, vel turbo erat, lex ferri Romana non poterat: nec rata habebatur, Auguribus inconsultis, et Populo non rogato. *Leges* Romanae 12 Tabul. (quas integras non habemus) latae, et ratae habitae fuerunt an. V. C. 300. Vide *Tabulae*: *Tullius* in *T.* Consulibus Spurio Tarpejo, et A. Terminio factum S. C., Plebiscito confirmatum, quo decretum fuit, 3. triremes pro majestate Pop. Rom. in-

strui magnifice, quibus legati per Italiam, et universam Graeciam mitterentur, qui leges optimas, quas reperirent, inter alios populos vigentes, Romam adsportarent. Electi ad id fuerunt Spurius Posthumius, Sextus Sulpicius, A. Manlius viri prudentes, et eruditi. Vide Gravinam de *Orig. Juris*. Hae leges, et aliae, postea latae custodiebantur in Capitolio, aereis tabulis incisae, Ciceronis aevo. Vide *Vespasianus* in *V*. Leges novae trinundino expositae erant, ut Rustici Romam ad nundinas euntes eas scirent. Cum Magistratus legem rogabant, populo dicebant: *Velitis jubeatis*, *Quirites* cet. Vide *Jurisprudentia* in *J*. Legum, et legislatorum laudes, et plura ad leges spectantia, vide apud Cael. Rhodig. *lib. 18. c. 19. lect. antiq.*

Lenas, citatur a Quintil. *l. 3., et 10.* in fine, tanquam de *Arte Rhet.* Scriptor. Ejus *Scripta* desid. Eum priorem Gallione fuisse indicat *lib. 3. c. 1.*

Lenaeus, Gramm. Pompei M. libertus, Romae docuit. Scripsit de *Herbis*, *et Plantis*. V. Gell. *lib. 17. c. 16. NN.* Edidit praeterea *Satyras* contra Sallustium Crispum: quae omnia desid.

Lemnus (Tib. Cl.), Claudii Caes. libertus, eidemque ab studiis. Ita ex *vet. Inscriptione* apud Pignorium.

Lentulus (Pub.), Orator Cos., et Imp. in Hispania citeriore. De ejus *Concione ad populum*, priusquam ab ingrata patria Roma excederet, vide Val. Max. *l. 5. c. 3.* Accusavit de vi Q. Minutium Scapulam apud Baebium Praetorem urbanum. Ita in *Diario Urbis* apud Sponium. Vide *Sulpicius* in *S*. Cic. in *Epist. ad eum l. 1. Fam.* ejus sapientiam, summam, et admirabilem appellat, eique debere suum reditum in urbem fatetur.

Lentulus (CN) Augur, et Orator. De eo Sen. *de Beneficiis lib. 2. c. 27.* Tametsi esset Augusto carus, ejus *Orationes* cum risu audiebantur; laborabat namque sermonis inopia, et facilius nummos, licet avarissimus, quam verba emittebat, si vera narrat L. An. Seneca. Quintil. *l. 11. Instit. Orat.* ejus actionem laudat, qua, ait, opinionem aliquam Oratoris indeptum fuisse. Ejus *Orationes* desid.

S. *Leo* Magnus, Papa, doctrina, et eloquentia jam florebat sub Honorio, post cujus excessum Rom. Pont. creatus fuit an. Christi 440. Obiit an. 461. post 20. an., et menses plures, sanctissime obiti Pontificatus. Sub eo congregata fuit Synodus Chalcedon. Generalis.

Leontius, Phil. pater Athenaidis. Vide *Eudoxia* in *E*.

Leontius, Ancyranus Episc. damnavit una cum aliis Episc. Paullum Samosathaeum in Concilio Antiocheno.

Lepidus, vide *Aemilius* in *A*. Illic dictis adde. Ursinus affert denarium argenteum *M. Lepidi*, in cujus parte altera, turrita imago Aegypti signata videtur cum litteris *Alexandrea*; in altera autem sunt haec *M. Lepidus*, *Pont. Max. Tutor Reg.* Ad eum proculdubio respexit Cic. *lib. 5. de Finibus* scribens: *Nos tutores misimus Regibus*.

Lepidus (M), Pont. Maximus. Augustus rerum potitus, Pontifi-

catum Max. in se transferri passus non est, dum M. *Lepidus* vixit, licet ei contrarius fuisset tempore belli civilis. Vide Sen. *de Clementia l. 1. c. 10.*, ubi Augusti clementiam commendat, et moderationem in summa potentia. *Lepidi* hujus sapientia, prudentia, et optimus in Remp. animus, laudantur a Cic. *Philip. 5.* Ejus auctoritate, extincto civili bello, Sextus Pompejus, Magni filius, Romae fuit restitutus. Ita Cic. loco citato.

Lepidus (Manius), Orator, qui in Senatu defendit Lutorium Priscum. Ita Tac. *lib. 3. Ann.* De eo etiam, ut doctrina, et nobilitate praestante *lib. 6. Ann.*, et *lib. 5: hunc,* ait, *ego Lepidum, temporibus illis gravem, et sapientem virum fuisse comperio.* Demum narrat, eum gratia apud Tiberium valuisse. Ejus OO. desid. Ab hoc diversus, ut arbitror, fuit *Lepidus*, Declamator, et postea Neronis praeceptor, de quo Scriptores *Vitae Neronis*. Hujus *Lepidi* Scripta etiam desid.

Lesbia, Catulli amica, et Poetria, quae una cum Catullo Versus componebat. Ita Sidon. Apollin. *l. 2. Epist. 10.*

Levinus, Scriptor citatus a Macr. *l. 3. Saturn.*, ubi de Venere, mare, et de Venere, foemina loquitur.

LI

Libanius, Sophista, notatus ab Eunapio: qui tamen in *ejus Vita* fatetur, fuisse non imparem administrandae reipub., et caussis civilibus. Erat patria Antiochenus, et claruit, tempore Juliani Apostatae, cui gratus fuit, doctrinae fama, Athenis, Constantinopoli, Nicomediae, et in patria, ubi valde senex obiit. Scripsit plura, et leguntur cum plausu ejus *Epist.* Fuit S. Basilii amicus, et ei submisit emendandas suas *Declamationes*. Ita Cael. Rhodig. in *Praef. lib: 19. lect. Antiq.* Sunt, qui dicant, eum ob vitium nefandum, Constantinopoli, ubi scholam aperuerat, ejectum, et Nicomedia itidem, quo concesserat.

Liberalis (Salvius), Orator, qui defendens divitem reum, licet parum reverenter de Vespasiano Imperatore, eum audiente, locutus fuisset, laudatus nihilominus fuit a Vespasiano. Ita Suet. in *Vesp. c. 13.*

Liberthrus, Poeta, citatur a Servio in *Virg.* Ignoro ejus aetatem, et patriam.

Corollarium III.

Liberti, Romae dicebantur servi, qui, accepta a Domino alapa, et legitime concesso pileo, manumittebantur, seu libertatem impetrabant. Hi pileati per urbem incedebant, et Dominorum nominibus vocabantur. Multi ob insignem doctrinam, et fidelitatem *Liberti* fiebant, sub Dominorum clientela manentes.

Libo, Trib. pl. Sergium Galbam, Praetorem in Hispania, reum egit, quod, interposita fide, magnam Lusitanorum manum occidisset, subscribente Catone Tribunitiae Actioni. Reus culpam confessus, et poenam non recusans, parvulos liberos suos flens populo commendare coepit, quo omnes ad misericordiam flexit, et liber evasit. Ita Val. Max. *l. 8. c. 1.*

Libo (Scribonius), Varronis amicus, vir doctus, et Historicus. Ei Varro libros aliquot nuncupavit, et citatur a Macrob. in *Saturn.* Varro *ad Libonem*. Forsitan hic erat *L. Libo*, qui *Annales* edidit, quorum meminerunt Collectores *Fragmentorum Historic.*: nam poterat *Scribonius* etiam appellari, et sub hoc nomine non citari.

Corollarium IV.
De libris superstitiosis Veterum Romanorum, et de aliis sine, Auctorum nomine, Acta publica continentibus.

Libri Fatidici, quorum incerti Auctores erant, supra 2000., exceptis Sybillinis jussu Augusti flammis consumpti fuerunt. Ita Suet. in *Aug. cap. 31.* Vide *Martius* in *M.* De *libris* superstitiosis Ephesi combustis, vide verbo *Divini* in *D. Libri Fulgurales*, citantur ab Ammiano Marcellino. *Libri Fatales, et Rituales* Ethrusci, ut item *Libri*, seu *Commentarii* XV. Virorum citantur a Censorino antiquo scriptore, in Opere de *Die Natali*. *Hi Libri*, ut etiam *Augurales*, in Augurum Collegii bibliotheca asservati, et solis Auguribus noti, de quibus saepe meminit Cicero Augur, desiderantur.

Libri Lintei. In his continebantur scripta publica Romanorum, in quibus, Nomina Consulum, et aliorum Magistratuum, notato die electionis. Hi *Libri* expositi erant in templo Junonis Monetae. T. Livius hos *Libros* non vidit; citat tamen, qui eos viderunt, quin ipse multum illis fidat. Nam *lib. 4.* ait, nonnullos Historicos, qui eos citant, contraria promere in designandis Consulibus, et eorum annis. Instar horum antiquiorum videtur, multo post, alios *Libros Linteos* fuisse, in quib. M. Aur. Phil., et Imp. jussit scribi Acta sua quotidiana, ut reponerentur in Biblioth. Ulpia. Ita Flav. Vopiscus in *M. Aur. Vita*. In hac. Bibliot. repositi etiam erant.

Libri Elephantini, in quibus erant consignata Senatusconsulta, seu Decreta Senatus ad Imperatores spectantia. Ita Vopiscus in *Vita Taciti Imper.* Ex quo intelligitur, hanc Bibliothecam valde celebrem tunc temporis fuisse, et Actorum publicorum refertam. Eam iccirco Vopiscus frequentabat ad eruendam veritatem, cum suas scribebat *Historias*, ut testatur ipsemet in *Vita Probi* Imper. maxime, cum de Actis Senatus, et Populi scripturus erat. Forsitan Acta haec, a Notariis diligenter scripta, substituta *Annalibus Pontiff.* fuerunt, postquam C. J. Caesar, cum Cos. esset, decrevit, Acta quotidiana Sen., et Pop. litteris consignari, et publicari, ut tradit Suet. in *C. J. Caesare*. Olim hi *Libri*, et Acta publica in Aerario ad Saturni templum asservabantur.

Libri Pontificales, *Indigitamenta* inscripti, qui continebant inanium Deorum nomina, et rationes nominum, seu falsam, et vanam Theologiam, cum superstitiosis ritibus Ethnicorum, perierunt. Hi *Libri*, quia Sacra Romanorum continebant, charta Hieratica scripti erant.

Corollarium V.

De libris Haereticis, Impudicis, et Apocryphis Christianorum.

Libri haereticorum, quo pacto legendi? vide *Haeretici* in *H.* Si multis scateant erroribus, ab Ecclesia damnatis, comburendi, et dicendum: *perdo vos, ne perdar a vobis*: quod item, cum valde impudicis, etiam ingeniosis, Catholicorum faciendum; corrumpunt enim mores colloquia prava, et calices sunt Libri istiusmodi, quibus venenum cum melle propinant Scriptores impudici. Ex veterum haereticorum Scriptis contra Catholica dogmata pauca admodum supersunt. *Libri* Apocryphi dicuntur apud Ecclesiast. Scriptores, qui licet errores in fide, vel moribus non contineant, authentici non habentur; seu auctoritate Ecclesiastica sunt destituti. Tales sunt Libri a Gelasio Papa, ut Apocryphi notati, quorum titulos vide in *Decreto* Gratiani *Distinct. XV.* De *Canonibus*, qui *Apostolorum* dicuntur, agit Gratianus *Dist. XVI.*

Corollarium VI.

Libraria, a Rom. vocabatur Taberna, in qua libri venales erant: *Bibliotheca* autem, quae libros ad usum virorum litteratorum continebat. *Librarii* dicebantur, qui libros describebant: *Bibliopolae*, qui libros vendebant. Cicero ad Q. Fratrem *Epist. 5. l. 3.* queritur de librariis, et bibliopolis, eo quod libros Latinos mendose scribant, et mendose scriptos vendant. De hoc etiam S. Hieronymus queritur, praesertim de iis, qui libros suos describebant. Martialis, et Quintiliani aetate celebres Bibliopolae erant Romae Triphon, et Attrectus, ut Sosii, Horatii aevo. Erant etiam multi in provinciis. Catullus meminit *Librariae* Veronensis, in qua multa Poetarum Opera venalia erant in *Epig.* ad Calvum. Martialis. *Lib. 1. Epigg.* monet lectorem, libros suos vendi Romae in *Libraria* Secundi cujusdam, qui Lucensis, viri docti, libertus erat. Is librariam suam tabernam habebat post Pacis limina, et Palladis forum.

Licentius, Poeta Afer, patria Hipponen. S. Aug. amicus, et discip. scripsit *Hymnos*, et *Epistolas*. Inter S. Aug. *Epistt.* legitur *Licentii*, hujus Carmen, quo eum hortatur, ut edat librum de *Musica*, et in lib. *de Ordine* S. Doctor *Licentium* loquentem inducit, ac Poesi deditum testatur. Floruit *Licentius* sub Honorio.

Licentius, alter Poeta, qui sub Adriano Imperatore floruit.

Licinianus (Valer.), Senator, et Cos., postea exsul, et Rhetor factus. Vide Plin. Caecil. *l. 4. Ep. 11.*, vide etiam Juven. *Sat. 7.*, ubi innuit, nonnullos ex Rhetorum schola factos Consules, et alios ex Consulum fastigio, fortuna sic volente, ad Rhetoricam docendam in scholam descendisse.

Licinianus, Poeta Hisp., Martialis amicus. De eo *lib. 1. Epigg.* cum encomio cecinit:

Vir Celtiberis non tacende gentibus,
Nostraeque laus Hispaniae,
Aprica repetes Tarraconis littora,
Tuamque Lalaetaniam.

Ex quibus apparet, eum, vel Lalaetanum fuisse, seu in Lalaetania, quae tractus Cataloniae erat, natum, vel illic munere aliquo functum fuisse Verum in alio Epigram. ejusdem libri, in quo celebres aliquot Poetas nominat, videtur indicare, eum Bilbilitanum fuisse dicens = *Te, Liciniane, gloriabitur nostra* = *Nec me tacebit Bilbilis* = Venatione valde eum delectatum etiam indicat in primo longo *Epigr.*, et *Licinii* Surae, vel clientem, vel libertum, vel amicum, vel propinquum fuisse. *Liciniani* Carm. desid.

Licinius, Poeta Comicus, cui Sedigitius 4. locum inter Comicos assignat. Is erat *C. Licinius Imbrex*, cujus nonnulla fragm. supersunt, de quo in litt. *I.*

Licinius (Largius), Vir ditissimus, et Operum C. Plin. Secundi cupidus, qui vel Hispanus erat, vel Hispaniam incolebat, cum Plin. Caecilius illic res Caesaris procurabat. Vide *Plin.* in *P.*

Licinius (M), Poeta, pater C. Licinii Calvi, magni Orat., et Poemae. V. *Calvus* in *C.* Ad hunc, puto, esse Catulli Carmen, quo, eum, et facetum, et jucundum, et magnum Poetam fuisse indicat. Edidit Poema, *Quintilia* inscriptum, in laudem forsitan Quintiliae amicae. Hoc Poema desid.

Licinius (Clod.), Histor., cujus *liber 3. Rerum Rom.* citatur a T. Livio *lib. 29.* Ejus Hist. desid.

Licinius (Porcius), ex illustri familia Romana, Poeta, Antonii Juliani judicio, suavitate, ac venustate in amatoriis Carminibus Graecorum Poetarum optimis non concedens. Epigr. *Licinii* de homine amore incenso, recitatum a Juliano Athenis in Convivio, est hujusmodi.

Custodes ovium, teneraeque propaginis agnûm,
Quaeritis ignem? Ite huc: quaeritis? ignis homo est.
Si digito attigero, incendam sylvam, simul omnem:
Omne pecus flamma est; omnia, quae video.

Vide *Julianus* in *J.*, *Porcius* in *P.* Sunt, qui putent, *Annal.* scripsisse. Gell. *l. 17. c. ult.* citato Servio, tradit, Poeticam Romae excoli coepisse tempore belli Punici secundi, et affert versus illos *Licinii*, ut arbitror, non *Servii*, ut videtur indicari in meo exemplari, errore forsitan typographico:

Punico bello secundo, Musa, pennato gradu,
Intulit sese bellicosam Romuli in gentem feram.

Quod ego interpretor de publicis Poetarum scholis: nam multo antea Poetas Romae fuisse, licet minus elegantes, testatur Cic. de *Cl. Orat.* V. *Numa* in *N.*, *Poetae* in *P.*

Licinus, Gracchi servus. Eum litteratum hominem vocat Cic. *l. 3. de Orat.* prope finem.

Ligurinus, Poeta, qui ad coenam plures invitabat, ut posset convivis recitare versus suos. Vide Mart. *l. 5. Epigr. in Ligurinum*. Eundem multo sale defricat alio *Epigr.* ejusdem libri, eum notans, quod nimis Poeta, seu potius valde ineptus, et ridiculus esset; cum versus suos recitaret, et stantibus, et sedentibus, et currentibus, et morantibus: omnibus demum, et in omni loco, etiam invitis.

Linceus, Poeta, et Phil. In eum invehitur Propertius, eo quod Cynthiam deperiret suam.

DISCEPTATIO

De Usu Graecae, et Latinae linguae in toto Rom. Imperio.

Lingua. Verisimillimum est, Veteres Romanos initio Reipub. usos lingua Albanorum: cum primi incolae novae urbis omnes fere Albani essent. Vide *Romulus* in *R*. Verum processu temporis, Romam confluentibus, et incolentibus Sabinis, Ceninensibus, Fidenatibus, Hethruscis, et ex magna Graecia non paucis, primaevam linguam vocabulis horum populorum auctam fuisse, et immutatam in multis crediderim. Vide *Latinus Sermo* supra. Ante Ciceronis aevum Latina lingua parum culta, et elegans erat, nec multum difusa: Graeca namque dominabatur, in Oriente praesertim, post Alexandri M. victorias. Postea Romanorum studio exculta, et copia verborum ditior facta J. Caesaris, et Augusti aevo; Tiberii, et sequentium Imperatorum, jussu, et diligentia per omnes Imperii provincias, deductis Coloniis innumeris Romanis, propagata est: adeo, ut inter viros nobiles, et eruditos communis esset. Vide Val. Max. *lib. 2. c. 2.* Nec in Occidente solum, sed et in Oriente Romana *Lingua* veluti vernacula facta fuit inter litteratos; et ita quidem, ut in toto Orbe Romano Latina Opera, etiam Poetica, legerentur Martialis aevo: quod de suis testatur Martialis ipse *lib. 5. Epigr.* dicens.

Sed toto legor orbe frequens, et dicitur: hic est:
Quodque cinis paucis: hoc mihi vita dedit

et lib. 1. *Hic est, quem legis, ille, quem requiris,*
Toto notus in orbe Martialis.

De Ciceronis Operibus ubivis lectis, vide *Laurea* (Tullius) in littera *L*. In Occidente communem fuisse nemo ullus dubitat. In Oriente ejus usum communem fuisse, licet etiam Graeca lingua in pretio esset, haec suadent, 1. quia negotia publica, et caussae judiciales, non nisi Latina lingua expediri poterant, ut saepe dictum est: unde Judices, Patroni, et Actores caussarum, etiam in Oriente, Latini sermonis peritos esse oportebat, 2. quia Oratoribus, qui e Provinciis Romam mittebantur, non nisi Latine responsa dabantur, nec illis licebat nisi Latino sermone in Senatu loqui, 3. quia Provinciarum Praesides, et qui eos cum muniis publicis comitabantur, Romani erant, vel Romana lingua loquebantur pro dignitate tuenda Romani Imperii, 4. quia multae Coloniae Romanorum cum Latinae linguae, et Romanae litteraturae magistris in omnes devictas provincias deducebantur, 5.

quia Testamenta, et contractus, aliaque publica Instrumenta non nisi Latino, seu Romano sermone conficiebantur, et ea rata, et valida non erant, formulis Juris Romani non adhibitis. 6. quia eos, qui ex provinciis Romam ibant, ut publica munera impetrarent, vel alia consequerentur, Latino sermone instructos esse oportebat, ne tanquam barbari despicerentur. 7. quia sede Imperatoria per Constantinum in Orientem translata, Latina lingua illico majori in pretio fuit, utpote *lingua* dominantium, quorum gratiam, sermonis ejusdem usu, captare omnes procurabant. 8. quia notum est, ante Constantinum plures Philosophos, et litteratos alios ex Oriente Romam contendisse, illicque doctrinae fama claros, acceptosque Romanis fuisse: quod assecuti neutiquam fuissent, si Romanae linguae, et Romanae litteraturae expertes fuissent. Tandem, quia lingua dominantium solet victricium armorum fortunam sequi; ac, ut Graeca lingua Alexandri M. victoriis per Orientem fuit propagata, ita Romana lingua postea armis Romanorum. Nec hic omittendum, quod Bembus animadvertit: saepe cultiores Scriptores prodiisse non natos in locis, ubi linguae elegantia tanquam in patria sua viget, propter majorem adhibitam diligentiam in cavendis vitiis, et procurando sermonis cultu: quem negligentius curant, qui congenitum sibi putant. Quod confirmari potest exemplo Tullii, Terentii, Sallustii, Livii, Catulli, Virgilii, Columellae, et aliorum, qui extra Romam nati fuerunt. Et hoc Bembi testimonium favet Latinis Scriptoribus, qui Italiam non viderunt. Non diffiteor, Romanos plures voces ex Graeca lingua sumpsisse, praesertim Disciplinarum, et Artium ingenuarum vocabula: nonnullos item ex Graecis, et Asiaticis Romae Graecam linguam docuisse, etiam cum Romana lingua per totum Imperium propagata erat. At, qui Graecam linguam Romanos docebant, Latinam callere, et ea loqui oportebat, quemadmodum, qui in Italia Germanicam linguam, vel Gallicam Italos docere velit, debet prius Italam linguam callere, et ea loqui. Poterant autem in Oriente Latii linguam didicisse, quia Romani non solum scholas celebres Juris Civilis Constantinopoli, et Berythi habebant, sed, et in aliis urbibus Romanam eloquentiam, et ceteras disciplinas docebant, Alexandriae praesertim, Tarsi, Antiochiae, Nicomediae, Caesareae, et in coloniis omnibus per Orientem dispersis: adeout, etiam Ciceronis aevo, Athenis Latina lingua declamaretur: quod ex *Epistola* Marci Ciceronis filii, Athenis scripta ad Tironem, liquet. Illud vero mihi non satis exploratum: quanto tempore frequens usus Latinae linguae in Oriente obtinuerit; cum certum sit, paullatim in desuetudinem Latinae linguae studium abiisse. Illud unum affirmare possum, Justiniani aetate, sexto nempe Ecclesiae seculo, adhuc Latinam linguam in pretio, et usu fuisse. Nam praeter numismata Imperatorum, in Oriente cusa cum Latinis characteribus, et marmoreas Latinas Inscriptiones, in Oriente exaratas post Theodosium juniorem, Corpus Juris Civilis, et Imperiales Institu-

tiones, Justiniani jussu, a Triboniano, et aliis Jurisconsultis, Latina lingua satis exculta, emanarunt, et Jus Romanum Berythi, et Constantinopoli magna cum auditorum frequentia docebatur a viris doctissimis, munitis privilegio, et Imperiali auctoritate, quibus muniti non erant magistri aliarum Orientis civitatum, licet in illis etiam Jus Rom. doceretur. Tunc autem celebres Juris Professores erant Romae, Constantinopoli, et Berythi, (quam urbem legum nutricem appellabant) Theophilus, Dorotheus, Theodorus, Isidorus, Anatolius, Thallelaeus, Cratinus, et Salaminius. Ex quibus 4. Berythi, 2. Romae, et totidem Constantinopoli Jus Romanum publice tradebant. Post Justinianum, sequentium Imperatorum inertia, amissis omnibus provinciis Occidentis, minus exculta fuit in Oriente Latina lingua, et paullatim sola Graeca lingua in honore fuit. Nihilominus Nicolaus I. Rom. Pontifex seculo 9. in *Epist. ad Michaelen*, Graecum Imperatorem, qui Latinam linguam *barbaram*, ad Nicolaum scribens, appellabat, ait, in Constantinopolitana Ecclesia primum Latinas, deinde Graecas lectiones in Festis, et Stationibus, seu inter Missarum solemnia legi solitas, et mirari se addit, *barbaram* vocari linguam Romanam ab eo, qui se appellabat Romanum Imperatorem. Vide *Episcopi* in *E.*, *Graeci* in *G.* De linguis Romanensibus vulgaribus, vide *Dissertationem de Seculis*, quae *Barbara a Criticis appellantur* in litt. *B.*

S. *Linus*, Rom. Pont., et Martyr, qui S. Petro proximus sucessit in Rom. Cathedram. Scripsit *Acta SS. Petri*, et *Paulli*. Ita Bellarm. de *Scriptoribus Eccl.* Haec *Acta* desid.

Corollarium VII.

Litterae Latinae, aliae vocales, aliae consonantes. Ex consonantibus, aliae sunt mutae, aliae semivocales, arbitrio pronunciantium. Si enim sonus vocalis praeponatur consonanti, fiet semivocalis, ut si *B* littera, quae muta dicitur, pronunciaretur non *Be*, sed *Eb*, fieret semivocalis, ut *F*, *N*, *M*, et quia perpetuo usu ex arbitrio pronunciantium sonus vocalis postponitur in prolatione *B*, muta appellatur, ut etiam *C*, *D*, *T*, cet. Contra evenire posset in semivocalibus, quae mutae fierent, si cum sono vocalis in fine proferrentur, ut Graeci faciunt, qui iccirco omnes litteras *mutas* habent. Veteres Romani, teste Festo, litteras non duplicabant, sed supra primam Sicilicum apponebant, et scribebant *Sel'a* pro *Sella*. Ita S. Isidorus *l. 1. Orig.* Omittebant etiam in scriptura, et pronunciatione consonantem, praesertim *M*, et *S*, cum in illam desinebat vocabulum, si vocabulum subsequens a consonanti inciperet. Sic Terentius scribebat *Ain?* pro *Ais ne? Falsu' sum* pro *Falsus sum*, et Plautus *Factu'* pro *Factum* posito accentu, sive sicilico pro littera, quae omittebatur, et nonnunquam scribebant *St* pro *Est*, ut *Factum' st* pro *Factum est*. Latini inter litteras suas non recensent litteras *y*, *z*, et ante Claudium Caesarem parum in usu fuit littera *x*. Claudius, 3. litteras, ut valde necessarias, addendas Latino Alphabeto reputavit: qua de re, cum pri-

vatus adhuc esset, volumen scripsit, teste Suet. in *Claudio c. 41.* additque, cum Princeps fuit, obtinuisse, ut in usu promiscuo essent. Ex his altera erat digamma Aeolicum, seu inversa *F* pro *V* consona. Carebant etiam minusculis litteris, quas cursivas appellamus.

Livia (Drusilla), Augusti uxor, Tiberii Mater, foemina erudita, et insignis prudentiae, ac iccirco Augusto cara. Fuerat uxor Tib. Neronis, et eam praegnantem abduxit Augustus, post repudiatam Scriboniam ob morum perversitatem. Obiit *Livia* an Christi *29.* Tiberii *16.*

Livius (Titus), Patavinus, rerum Roman. praecipuus Historicus, quem S. Hieron. aureum eloquentiae flumen appellat, licet Martialis Sallustium vocet Romana primum in Historia, et Asinius Pollio in Livio Patavinitatem notaverit. Caligula Caesar Livium abolere cogitavit, nimis verbosum eum appellans. Nihilominus apud exteras gentes tanta fama clarebat, ut nonnulli eruditi ex Hispania Romam perrexerint, non tam, ut Romam viderent, quam, ut *Livium* de facie agnoscerent: aliud, quod mirarentur Romae praeter Romam quaerentes, ut S. Hieron. ait in *Epist. ad Paullinum*. Aug. Caesar, lecta *Livii* Historia, amice ei dicebat, dissimulare nequivisse, se Pompejanum esse, quod Patavinis commune erat, civilis belli tempore Pompejo addictis. Illud etiam in *Livii* Ethnici Historicis scriptis notatu dignum, quod modestissima, et pudicissima sunt: qua in re sese Patavinum legitimum ostendit; cum Patavina pudicitia inter Romanos proverbium esset, maxime cum de foeminis loquebantur: quod non dissimulat Martialis *Epig. l. 11.*

Tu quoque nequitias nostri, lususque libelli
Uda puella leges, sis Patavina licet.

Historias Livii, integras non habemus. Nam ex 142. libris, quos reliquit, soli 25. supersunt, et quidem multis lacunis hiantes, ac mutili. Floro debemus aliquam notitiam eorum, quae in *libris*, qui desiderantur, scripta erant. In M. Sen. *Suasoria 7. de Morte Cic.* leguntur Fragmenta aliquot *Livii*, quae ad *lib. 120.* spectare videntur. Praeter Historica scripsit *libb. de Philosophia*, et *Dialogos*, in quib. forsitan de *Oratoribus*, et *Historicis* agebat. Nam Sen. *Declam. 2. lib.* mihi 4. indicat, eum de *Oratoria* scripsisse, et *Declam. 1.* notat *Livium*, quod Sallustium carpat ob male expositam sententiam, quam a Thucidide mutuasse est arbitratus. Quintil. *l. 10. Instit.* ejus ubertatem, et eloquentiam in concionibus commendat, ut in narrationibus candorem, et suavitatem. Ibidem mentionem facit *Epist. Livii* ad filium de Ciceronis, et Demosthenis lectione. Vide L. Sen. *Epist. 101. ad Lucil.* Obiisse dicitur Patavii an. 4. Tiberii: V. C. 770. an. aetatis agens 76; post Christum 17. Christophorus Landinus dicitur primus repertor, et editor librorum *Livii*. Verum ante eum *Livii* exemplar se habuisse testatur Petrarcha. Galli queruntur, quod eis infensum se ostendat in Historiis suis.

Livius, T. Livii filius. Plin. *l. 5. H. N.* fatetur, se ejus scriptis usum fuisse. Haec Scripta desid.

Livius, gente Afer, cujus meminit Valerius quidam in *Epist. ad Ruffinum*, eum gravem, et uxoratum Historicum appellans, additque, reprehendisse Canium, Gaditanum Poetam, parum pudicum. *Livius* hic videtur Christianus fuisse. Ejus *OO*. desid.

LO

Lollius (Max.), Orator. et Declamator, ut indicat Hor. in *Epist.* ad eum, ut amicum scripta. Ad eundem est Hor. *ode lib. 4.*, in qua ejus in judicando integritatem laudat, quin corrumpi se sineret amore *ducentis ad se cuncta pecuniae*: quin immo Judices pecunia corruptos severe puniret. Eidem dicit, non unius anni Consulem futurum, sed perpetuo Consulatus honore fruiturum, si semper honestum utili praeferret. Fuit Cos. sub Aug., et Rom exercitus in Thracia dux. Semel a Germanis victus, eos saepe postea profligavit. Vellejus testatur, eum designatum moderatorem, et custodem C. Caesaris, Augusti nepotis. Forsitan *Epistolae* Horatii ad *Lollium*, scriptae fuerunt ad *Lollii* Consulis filium natu maximum, quod Juvencius suspicatur.

Longinus, familiaris Antonii Oratoris. Cicero sub Antonii persona *lib. 1. de Orat.* prope finem, eum commendat, tanquam instructissimum in Historia, in Jure Civili, in Antiquitatibus, et in exemplorum copia. De ejus Operibus a Cic. nulla mentio fit, quae, ut arbitror, Antonii aetate legebantur.

LU

Lucanus (Acilius), M. Annaei Lucani per matrem Aciliam avus. De eo in antiquo *Comment. de Vita Lucani* traditur, fuisse frequentem Oratorem apud Proconsules in Hispania, ejusque memoriam in nonnullis ejus scriptis durare. Quaenam autem haec scripta ab eo edita fuerint, non dicitur. Forsitan erant ejus *Orationes*, quae desid.

Lucanus (M. Annaeus), Hisp. Poeta notissimus, L. Senecae ex fratre Annaeo Mela nepos. Plura Poemata panxit praeter *Pharsalin* inscriptum, quod morte praeventus, cum an. natus esset 17. emendare non potuit, libris prioribus tantum, adjutus opera Pollae uxoris, emendandis intentus. Desiderantur *Lucani Saturnalia*, *Sylvae*, *Medea*, *Orpheus*, et alia. Nec integra est *Pharsalia*; nam in fine *lib. 10.* nonnulla deesse videntur. Conspiravit, una cum Pisone, quem multis ornat laudibus heroico Poematio, quod adhuc legitur. Detecta conspiratione, Neronis jussu, capitis damnatus fuit, et morti addictus venarum incisione, magno cum Poetices damno, licet Quintil. eum magis, inter Oratores, vel Historicos recensendum putet, quam inter Poetas. Ad Quintiliani judicium alludere videtur Mart. in *Lucani* persona dicens.

Sunt quidam, qui, me, dicunt, non esse Poetam;
Sed, qui me vendit, bibliopola putat.

Idem, quod bibliopola, putasse videtur Auctor *Dial. de Oratt.*, eum cum Virgilio, et Horatio conjungens in poetico decoro, Sacrarium

ejus Opus appellans, ut Opera Virgilii, et Horatii. Idem putant multi alii, qui parum a Virgiliana majestate distare *Lucanum*, sunt arbitrati, licet valde juvenis *Pharsaliam* lucubrarit.

BREVIS DISCEPTATIO DE LUCANI PHARSALIA.

Sub Judice adhuc lis est, utrum *Pharsalia* inter Epica Poemata, anve inter *Historias de Bello Civili* sit numeranda? Qui contendunt meram historicam narrationem esse versibus traditam, negant, *Lucanum* inter Epicos Poetas recensendum, et ad puros eum versificatores rejiciunt. Ego vero non video, quam ob rem *Lucanus* Poetae Epici laude privandus sit, et cur *Pharsalia* non sit Epos appellanda. Fabulas, inquies, non adhibuit *Pharsaliam* suam scribens, quod fecerunt Poetae Epici illustriores, Homerus, et eum imitatus Virgilius, qui principes in hoc genere Poeseos habentur, ad quorum normam Epici omnes debent se conformare, ut inter Epicos Poetas censeantur. Qui enim facta vera heroum suorum narrant, et versu scribunt, versificatoris historici magis, quam Poetae Heroici nomen merentur. Quod si inter narrandum declamatorio stylo res exaggerant, Oratores, vel Declamatores dicendi sunt: quae omnia in *Lucano* a Criticis notantur. Sed, qui ita de *Lucani Pharsalia*, et de *Lucano* sentiunt, ut ei Poeticum nomen eripiant, mihi dicant, velim: unde acceperint, ad Epopejam pangendam fabulis uti oportere. Ex Epopejae definitione, ab Aristotele tradita, nihil tale requiri video. Quinimmo vera, aut similia vero de Heroibus narranda praescribitur, et hujusmodi, quae viros principes possint ad similia opera excitare. An forsitan de Poesi Epica actum esset, et Epicum Poema scribi non potuisset, si Graecia mendax ridiculas *fabulas* suas commenta non fuisset? Si ita, Hebraeis, et Christianis Poetis negatum erit, Heroes in Sacris litteris insignes, Epico carmine, eorum vera facta narrando, canere, si nolint scripta sua Graecorum Fabulis exornare, et per omnia velint veritatem consectari: quod dicturos non arbitror, qui *Lucani* Poema Epicum esse negant, eo quod Graecorum mendaciis destituatur. Si enim Poetae, et *Vates*, et *Divini* appellantur, a vero abhorrere minime debent: praesertim, cum vera narrando, et a fictionibus abstinendo, possunt, et docere, et delectare. Non diffiteor, Homerum, et Virgilium, fabulas in Epicis suis Operibus usurpasse. Verum sunt, qui putent, iccirco fabulas adhibuisse, quia confictos Heroas, seu quorum facta ex vera historia nihil, aut certe parum heroici habebant, sibi canendos sumpserunt, et inopia rerum verarum mirabilium, quae legenda ederent, ad fabulas lectoribus propinandas confugisse. *Lucano* autem suam scribenti *Pharsaliam*, nec veri Heroes defuerunt, nec facta mirabilia, quae lectoribus suis exhiberet. Quid igitur mirum, si a fabulis immiscendis sibi temperarit? Quid? quod lectori sapienti, et ingenioso nihil magis sapit, quam veritas. Qui fabulas poeticas suis inserunt Poematibus, illud spectare videntur, ut lectores intelligant, se in Graecorum vana Theologia esse versatos, deosque

saepe inter sese digladiantes, et invicem iratos ob hominum negotia inducunt, quod valde ineptum est, et praeter decorum, quod ab Scriptore accurato debet servari. Nec immerito ob has ineptias Homerus carpitur a Lactantio Firmiano (*lib. 1. Divin. Instit. c. 3.*). Cum vero nesciunt nodum aliquem solvere, et Heroem suum pugnantem in magno discrimine versari vident, a quo sese liberare propria virtute, et arte non valet; illico Deum aliquem, veluti ex machina advocant, et in scenam producunt, qui heroem, vel, injecta nube, invisibilem reddat, vel in locum tutum transferat: quod sane parum commendat herois fortitudinem, et virtutes alias, quas sibi canere proposuerant heroico carmine, atque ad imitationem denarrare. His Epicis Poetis dici potest, quod Cic. *lib. 1. de Nat. Deorum* = Ut tragici Poetae, cum explicare argumenti exitum non potestis, confugitis ad Deum =. Omnia demum fucata magis, et affectata, quam vera, Poetae illi a vera historia destituti, lectoribus exhibent, quae viris sapientibus, et verum amantibus parum afferre delectationis necesse est; cum omnia fictis Fabulis niti animadvertant, parumque inesse iis, quae promunt, veritatis: ut merito dixerit Poeta Gallus in altera ex suis Epistolis:

L' ignorance vaut mieux, qu' un savoir affectè:
Rien n' est beau, je revien, que par la veritè.

Vide Plutarchi libellum de fructu ex Poetarum lectione: ubi de Poët. Fabulis, et mendaciis; vide etiam Platonem de *Repub.*, ubi a sua Republica Homerum rejicit ob fabulosas de Diis narrationes. Non me latet, in Fabulis ipsis poeticis veritatem, nescio quam, occultam, a viris, Philosophiae, et Theologiae ethnicae non ignaris, inveniri, ut suam opinionem, et canones Epicae Poeseos tueantur. Verum quid opus est, has veritates aenigmaticas, allegoricas, atque involutas quaerere ad insignia, et heroica laudanda, et exponenda; cum veritates patentes, et admiratione dignae, quae mentem, et phantasiam lectoris oblectent, et ad imitationem alliciant in promptu habentur? Notatur in *Lucano* stylus tumidus; at, ante *Lucanum* in multis Romanis Poetis notatus fuit, quin iccirco Poetarum nomen amiserint. Forsitan si diu *Lucanus* vixisset, et emendare *Pharsaliam* potuisset, tumorem illum depressisset, et ad justam mensuram, detractis vitiosis, carmina sua redegisset. Sed, de his hactenus. Vide *Alpinus*, *Musa*, *Nero* in suis litteris. *Lucani* laudes innumeri, etiam ex antiquis, fuerunt persequuti. Legi inter eos meretur Papinius Statius in *Lucani Genethliaco*, in Pollae Argentariae gratiam, et solatium lucubrato. Ex Suetonio novimus, Neronem Caesarem, qui magni Poetae nomen ambiebat, *Lucani* famam, et gloriam in Poesi aequo animo non tulisse, eamque contemptu suo deprimere voluisse: quae altera ex praecipuis caussis fuit in *Lucano* odii in Neronem, et consentiendi Pisonianae conjurationi, quae et Pisoni, et *Lucano*, et conjuratis aliis finem attulit infelicem an. 10. Neronis, Christi 65.

teste Eusebio in *Chron.* Nihilominus Neronem benigne se gessisse in *Lucani* Scripta post ejus mortem, ac cupiisse, a se invidiae notam in *Lucani* famam amovere, indicat antiqua Inscriptio, si legitima ea sit, Romae inventa, ut creditur, sub *Lucani* statua, jussu Neronis posita, quae sic habet = *M. Annaeo Lucano* = *Cordubensi Poetae* = *Beneficio Neronis* = *Fama Servata* =.

S. *Lucas*, Antiochensis Medicus, humanis primum litteris in patria eruditus, postea discipulus Apostolorum, et Sacer Historicus. Fuit comes S. Paulli in peregrinationibus suis. Scripsit Romae *Acta Apostolorum*, in quibus res Sancti Paulli narrat usque ad 4. Neronis annum: quod Opus lucubravit post Evangelium suum scriptum, ut ipse testatur *Actorum* initio. Laudatur a S. Paullo, cui carissimus fuit. Vixit an. 84., et in Achaja obiisse creditur. De arte pictoria, cujus peritus fuisse dicitur, nihil tradit S. Hier. de eo scribens in *Scriptor. Eccles.*, deque ea merito dubitatur. Alia, siqua edidit, latent, vel interciderunt.

Lucensis, *Vir doctus* a Martiali dictus, vide *Corollarium VI.* in fine, verbo *Libraria*.

Luccaejus (L), Praetor, Histor. non vulgaris, Ciceronis amicus, quem Cic. *l. 5. Epist. Famil.* rogat *Epist. 12.*, ut in *Historiis* suis, rerum, a se in Consulatu gestarum, luculentam memoriam faciat, eas extollendo, ac nonnihil in eis narrandis gratiae, et amicitiae tribuendo. Hae *Historiae Luccaei*, ut etiam ejus in Catilinam *Oratio*, citata ab Asconio, desid. Fuit Pompejo addictus; veniam tamen a Caesare impetravit. Attico parum carus fuit, licet Ciceronis amicus.

Lucianus, Presbyter Hierosolym., cui apparuit Gamaliel, S. Paulli magister, ostendens locum, ubi sepultus fuit S. Stephanus Protomartyr. Haec narrat ipse, qui S. Stephani reliquias invenit, cum Joannes Praesul Hierosolym. esset sub Honorio, vel M. Theodosio. Narrat etiam, a Gamaliele sibi dictum, eum, et filium suum Abibonem cum Nicodemo fuisse a Joan., et Petro Apostolis baptizatos, et juxta S. Stephani corpus sepultos. Vide *Hist. Chrysippi* Hierosolym. Praesbyteri apud Photium, qui *Luciani* de hac re histor. narrationem tradit.

Lucianus, Antiochenus Presbyter, et M. passus sub Caro, et Diocleт. S. Athanasius narrat, *Luciani* Sacrae Paginae versionem ad Hebraici textus fidem, ab eo emendatam, et editam, tempore Constantini M. Nicomediae fuisse inventam. Fuit magister Arii, Eusebii Nicomediensis, et Caesareensis, qui a doctrina magistri postea recesserunt, prava dogmata contra Dei filii divinitatem spargentes.

Lucianus, antea Christianus, et postea magis Atheus, quam Ethnicae superstitioni addictus, citatur a Lact. *lib. 1. Divin. Instit.* Supersunt plures *Luciani Dialogi*, in quibus Deos, et homines cavillatur Sed multa ab eo edita, ut puto, perierunt. Vixit sub Trajano. *Blasphemus* a Graecis appellabatur, quia Christum, et Trinitatem irrisit.

A canibus discerptus interiit: nec immerito, qui contra omnes latrabat, omnesque mordebat.

Lucifer, Calaritanus Praesul doctiss., et acerrimus Nicaenae Synodi contra Arianos propugnator. Verum zelo, non secundum scientiam, in eos abreptus, docuit, non communicandum cum Arianis, qui poenitentes ad Catholicam Ecclesiam redibant. Ejus super hac re, (in qua, magis schismaticus, quam haereticus fuit) scripta interciderunt. Obiit an. 370.

Lucilius, Phil., et Poeta, Siciliae Procurator, et Rom. Eques, L. Annae Senecae amicus intimus, et discipulus, ad quem sunt plures *libri Epistt. Senecae*, et alii Senecae Tractatus. Scripsit *Poema de Monte Ethna*, ut indicat Sen. *Epist. 80.* Idem Seneca *Epist. 46.* laudat *Lucilii* librum ad se missum, ac ejus captum dulcedine totum confestim se legisse testatur. De ejus argumento nihil tradit Seneca. *Lucilii* hujus scripta, de quibus etiam Sen. mentionem facit *Epist. 19.* eorum elegantiam, ac Auctoris ingenium commendans, desiderantur. Ejus praenomen, et patriam nescimus.

Lucilius (C), Rom. Eques, CN. Pómpei magnus avus, Poeta Satyricus Romae celebris. Ab Horatio notatur tanquam parum accuratus, et fluens lutulentus in *Satyris*, quarum *30. libros* edidit, quibus, ut ait Horatius, multo sale urbem defricuit. Plures nempe dotes in eo agnoscebat, quae commendabilem eum redebant, adeout eum imitari Horatius non dedignaretur. Verum de eo addit.

Sed ille,
Si foret hoc nostrum fato delatus in aevum,
Detereret sibi multa: recideret omne, quod ultra
Perfectum traheretur, et in versu faciendo
Saepe caput scaberet vivos, et roderet ungues.

Ab hoc Horatii judicio dissentit Quintilianus *lib. 10.* dicens: *Ab Horatio dissentio, qui Lucilium fluere lutulenter, et esse aliquid, quod tollere possis, putat. Nam eruditio in eo mira, et libertas, atque inde acerbitas abunde satis.* Mihi mirum non est, quod minus accuratus in versu faciendo fuerit *Lucilius*; cum tot *Satyras* lucubrarit. Si tot, quot *Lucilius*, scripsisset Horatius, forsitan minus accuratus, quam ille, fuisset. Horatius eum Satyrae inventorem facit, et primum inter Latinos *Satyricos* dicit. Sed fallitur; cum plures ante *Lucilium Satyras* scripserint, licet minus elegantes. Nec tam graves poenae 12 Tabul. legibus statutae fuissent contra famosi carminis scriptores, nisi fuissent jam tunc Satyrici Poetae, qui civium famam versibus suis lacerarent. Floruit *Lucilius* an. 125. ante Christi ortum. Ab Adriano Imp. *Lucilii Satyrae* omnium Poetarum *Satyris* praeferebantur, et nonnulli omnibus Poetis *Lucilium* anteponebant; quod Quintil. neutiquam probat, et ait *lib. 9.*, eum praeter *Satyras*, *Grammaticae Canones* scripsisse; sed forsitan de illis Grammaticae Canonibus loquitur, quos *Satyris* suis *lib. 9.* inseruit, ubi de vario litterarum usu

in scriptura, et de pronunciatione verba facit. *Satyrarum* plurimarum, *Hymnorum*, et *Epodon Lucilii* fragmenta supersunt ab Stephanis collecta, et accuratius a Francisco Dousa, Jani filio, cum notis. Obiit Neapoli sub an. V.C. 651. an. aetatis 43. A Cicerone, Seneca, Gellio, et aliis antiquis versus *Lucilii* saepe citantur. Verum integrae *Satyrae* nullae leguntur. Fuit Scipionis Africani junioris amicus, et invectus fuit in Metellum Macedonicum, Scipionis inimicum, teste Plinio.

Lucinius, Hispano-Baeticus, vir sacrarum litterarum intelligentiae studiosus, et ditissimus. Misit Bethlehem ad S. Hieron. ex Hispania 6. librarios, ut omnia S. Hieron. Opera accurate describerent, et ad se deferrent. Misit etiam tantum auri Alexandrinae, et Hierosolymorum Ecclesiis, quanto posset multorum inopiae subveniri. Laudatur, tum ejus studium, et largitas in pauperes, tum etiam odium, quo serpentes per Hispaniam haereses prosequebatur, a S. Hieron. in *Epist. ad Theodoram* Lucinii uxorem, qua eam consolatur in morte mariti, quae accidit, cum is constituerat ad Orientem se conferre, ut S. Hieron., et loca Sancta inviseret.

Lucius, Poeta Tragoediarum Scriptor, de quo Macrob. *l. 2. Saturn. c. 4.*

Lucius, Orator, et Poeta, Martialis aevo clarus. Martialis indicat *lib. 1.* fuisse valde divitem, et natione Hispanum. Fuit homo facetus. De eo multa Cael. Rhodig. *l. 20. c. 26. lect. antiq.*

Lucretius (T. Carus), quem Ricciol. inter Poetas 2. classis recenset, quia archaismis refertus: fuit Phil. Epicuri sectator, cujus doctrina Poemate suo promovere summo studio nititur, Epicurum suum valde commendans, et Atheismo favens. A Cicerone ejus *Poema* emendatum dicitur, quod ab Auctore, morte immatura extincto, praestari non potuit. Opus Lucretii valde mancum ad nos pervenit. Supersunt namque solum 6. libri. ex 20., et eo amplius, in eo ut dicitur contentis. A Prisciano enim citatur *liber 7.* a Macrobio *lib. 17.*, et Varro *lib. 4., de lingua* Lat. tradit unum, et 20. libros a Lucretio relictos fuisse. Sunt tamen, qui putent, eum de alio, nobis ignoto Lucretio, vel de alio Lucretii opere loqui. Ovidius de *Lucretii* carminibus cecinit.

Carmina sublimis tunc sunt peritura LucretI,
Exitio terras cum dabit una dies.

Poggius testatur, se partem *Lucretii*, quae latebat, invenisse. *Lucretius*, sibi mortem conscivit an. aetatis 44. ante Christum 51. V.C. 703. Polignaccius, celebris Poeta Gallus, postea S. Eccl. Cardinalis, *Anti-Lucretium* edidit, quod Opus cum plausu legitur, ut etiam *Philosophia Antiquo-Nova* P. Thomae Cevae, qui in ea, carmine heroico, *Lucretium* in multis refutavit.

Lucullus (Q. Fab.), Poeta, cujus Epicum carmen citatur a Fulgentio Gramm. Quod carmen desid.

Lucullus (L), eloquentia, et militari virtute insignis. Fuit Cos., et post multas victorias triumpho decoratus an. 70. ante Christ. ae-

tam. *Xerxes togatus* appellabatur, eo quod immensis aedificiis terras, et maria occuparet. Dicitur primus chartas Geographicas Romae publice exposuisse, et publicam bibliothecam erexisse, licet alii hanc laudem Asinio Pollioni tribuant. In Ciceronis *Acad. QQ. liber 4. Lucullus* inscribebatur teste Nonio. An id verum sit? Vide *Cicero* in *C.* In *Lucullo* eum Tullius multis mactat laudibus, ejus ingenium, et eruditionem commendans. Vide Plut. in *Lucullo*, ubi ejus impensas, et studium in libris conquirendis narrat, laudans ejus liberalitatem in a se emptis libris, publico usui exponendis. De bibliotheca, quam in praedio suo habebat, ex qua Cicero nonnunquam libros extrahebat, ut eis uteretur, loquitur Cicero in altero ex suis Operibus. S. Isid. *Orig. l.* 6. tradit, eum bibliothecam instruxisse ex libris, quos ex Ponto, devicto rege Mithridate, Romam secum adsportavit an. V. C. 681. Verum potuit etiam aliunde pecunia, qua abundabat (erat enim ditissimus) sibi libros procurare, quod Plut. testatur. Fuit nimius in aedificiis, vestibus, pictis tabulis, et signis.

Ludi Romanorum. Vide *Amphitheatrum*, *Circus*, *Scholae*, *Spectacula*, *Theatra* in suis litteris. *Ludi* Graecorum in publicis spectaculis erant 5. modi certandi, saltu, disco, cursu, lucta, et pugilatu. Plato in sua *Repub.* optabat, foeminas una cum viris hisce *Ludis* exerceri: quod Christiano pudori, et modestiae probari neutiquam potest, saltem quod ad luctam, et pugilatum attinet: in quibus, deposita omni veste, hi *Ludi* fiebant, et miror tot imagines, et statuas impudicas inter Christianos videri, et laudari in seculo illuminato; cum vel Ethnici ipsi eas reprobarint, etiam, qui non valde pudici erant. Propertius Poeta, haec cecinit.

Quae manus obscaenas depinxit prima tabellas,
Et posuit casta turpia visa domo:
Ille puellarum ingenuos corrupit ocellos
Nequitiaeque suae noluit esse rudes.

Aristoteles puniendos illarum figurarum Artifices praecipit.

Lupus (Pontius), Eques Rom. luminibus captus, et Caussidicus egregius. Vide Valer. Max. *l. 8. c. 7.*

Lupus (Jun.), Orator, ex Senatorio ordine, Vitellii Accusator. Ita Tac. *lib. 12. Ann.*

Lupus (Lentulus), Cos. an. V. C. 597. damnatus fuit repetundarum. Nihilominus postea fuit Censor factus: forsitan eloquentia sua populo ostendens, inique a Judicibus se damnatum fuisse. Eum Lucilius famosis versibus operuit, teste Horatio.

Lupus, Vir Praetorius, Ciceronis amicus, oravit caussam agri Campani satis accurate in Senatu, et magno cum silentio a Patribus auditus fuit. Fuerunt in ejus *Oratione* nonnulli aculei in C. J. Caesarem: contumeliae in Gellium: expostulationes cum CN. Pompejo absente. Ita Cic. ad Q. Fratrem *Epist. 1. l. 2.* Haec Or. desid.

Lupus, Poeta Siculus, de quo Ovid. de *Ponto l. 4. Ep. 16.*, ejus Opera multa memorans, quae desid.

Lupus (P. Rutilius). Plures hujus nominis in libris, et marmoribus antiq. memorantur: inter eos *P. Rutilius Lupus*, Rhetor, qui, Quintiliano teste, accurate scripsit de *Arte Oratoria*, et Opus de *Figuris*. De primo opere vide Quint. *lib. 3 : de 2. lib. 9. Orat. Inst.* Haec *OO.* integra ad nos non pervenerunt. Runkenius, quae exstant, *commentariis* illustravit, et plura de eo tradit: inter alia, eum ante Cornelium Celsum floruisse: quod colligit ex Quintil. dicente, *Celsum Rutilio accessisse*. Id probat saltem, ejusdem aetatis fuisse Celsum, et Rutilium, huncque aliquid de Rhetorica ante Celsum edidisse. Vide *Celsus* in litt. *C.*

Lutatius, sive *Luctatius* (Q), diversus a Q. Lutatio *Catulo*. Vide *Catulus* in *C.* Scripsit Ter. Varronis aetate, et citatur a Varrone *lib. 9. de lingua Lat.*, a Solino *c. 2.*, a Servio demum, qui volumen *Q. Lutatii*, in varios libros divisum, *Historias Communes* vocat. Ex quo intelligitur, eum Historicum fuisse. Ejus *Hist.* desid.

Luscus (Aufidius), Jurisconsultus, et Praetor, olim Scriba, quem ridet Hor. *l. 1. Sat. 5.*

Corollarium VIII.

Luxus, contra Romanorum priscorum luxum, vide L. Senecam in *Epistt. ad Lucilium*, ubi saepe in luxum, et divitias immodicas invehitur, ut etiam in aliis libris suis. Cum leges sumptuariae Romae vigebant, et privati paucis contenti erant, Respublica floruit, et exteris gentibus venerationi fuit. Postquam divitiarum immodicarum cupiditas, et luxus Romanorum animos occuparunt, omnia sensim in deterius ruerunt, donec tandem Imperium, quod sine fine futurum Virgilius putavit, a barbaris devictum, prostratum, ac fere in nihilum redactum fuit. De Neronis luxu, et prodigalitate, vide Suet. in *Nerone*. Romani antiqui dominari aurum possidentibus optabant: non aurum possidere: quod M. Curius Sabinis, a se devictis, et aurum ei offerentibus, dixit, cum rapula forte coquentem eum convenirent. Postea Romani auri sacra fame, et luxu dominatum amiserunt, et ex dominis servi facti fuere nationum, quibus imperabant: quod praevidisse videtur Jugurtha, rex Mauritaniae, Romae per aliquot tempus commoratus, exclamans, cum abiret: *O! Urbem venalem, et cito perituram si emptorem invenerit:* quod in *Belli Jugurthini Historia* Sallustius narrat, luxum, et avaritiam Romanorum sui aevi saepe reprehendens. Horat. *Ode 3. lib. 3.* fortiores Romanos optat in spernendo auro, quam in eo cogendo; cum auri fames impellat ad fraudes, furta, et rapinas, ad injusta judicia, ad sacrilegia, homicidia, et jura omnia violanda = *Aurum irrepertum, et sic melius situm = Cum terra celat, spernere fortior = Quam cogere humanos in usus = Omne sacrum rapiente dextra.* V. *Judices* in *J.*

LY


Lyde. Ad eam est Horatii *Ode lib. 3.*, in qua indicat, sapien-

tia munitam, Poetriam, Psaltriam, et apte pulsandi lyram peritam fuisse.

Corollarium IX.

Romani per litteram *L* indicabant numerum 50., praenomen *Lucius*, et plura alia, praesertim in Inscriptionibus. Per eam enim notatur *Lex*, *Legatum*, *Legio*, *Libens*, *Libertus*, *Lustrum*, *Ludus*, alia. Multa vocabula, quae ab *L* incipiunt, ut *Locus*, *Lis*, *Látus*, inveniuntur scripta ab antiquis per *st* ante *l*, ut *Stlocus*, *Stlis*: quod indicat aliter, ac nos vocabula incipientia ab *L* pronunciasse.





SPECIMINIS VET. ROMANAE LITTERATURAE DEPERDITAE, VEL ADHUC LATENTIS,

SEU

SYLLABI HISTORICI, ET CRITICI, CET.

PARS II.

MATTHAEUS AIMERICHIUS LECTORI S.

Visum est Viris eruditis, quibus labor iste supra opinionem meam probatus est, quique, ne in absolvendis coeptis Diphilo tardior essem, hortatu suo, et libris commodatis, ad illum non intermittendum excitarunt: visum, inquam, commodius hocce Opus Lectoribus evasurum, si in duas divisum Partes ederetur, ut qui velint, dividuum, seu in duo mediocris molis Volumina dispertitum illud habere possint. Placuit eorum consilium, libetque eisdem de me optime meritis morem gerere, ac una tuis commodis inservire. Vale.

MA

Macedo, Phil.; vir probus, A. Gellii amicus, et familiaris. De eo A. Gel. *l.* 13. *c.* 8. narrat, dicere solitum, scribi debere prae foribus omnium templorum hunc Pacuvii versum: *Ego odivi homines ignava opera, et philosopha sententia*. Vide *Philosophi* in *P.*

Macedonius, (a quo Macedoniani haeretici, negantes Spiritus Sancti divinitatem) fuit Constantinop. Praesul intrusus ab Arianis in locum Paulli, legitimi Pastoris, in exsilium acti sub Constantio Imperat., Arianorum fautore. In Catholicos crudelissimus fuisse dicitur, et ob sua flagitia a Constantio, qui ei antea favebat, a sede dejectus. *Macedonii* errores damnati fuerunt in Concilio Constantinop. 1. sub S. Damaso Papa, et Theodosio seniore an. Christi 381. *Macedonii*, et sectatorum *OO.* perierunt. Vide Hist. Eccl. Vide etiam Hieron. Osorium Episc. Algarb. eloquentissime Mecedonianos refutantem *lib.* 3. aurei libelli de *Vera Sapientia*.

Macer (Aemilius), Poeta Veron., quem ut elegantem laudat Quintil. *l.* 10. *c.* 1., scripsit de *Herbis* diligenter, de *Venenatis Animan-*

tibus, et *de bello Trojano*. Supersunt sub *Macri* nomine multa Carm. Verum Opus, quod de *Herbis* exstat sub *Macri* nomine, suppositi-tium non immerito censetur a Criticis; cum in eo citetur Plinius, Ovidii aetate, in qua *Aemilius Macer* floruit multo posterior. Fuit Ovidii amicus, et valde familiaris. Testatur namque Ovidius de *Ponto lib. 2. Epist. ad eum*, in qua de ejus scriptis meminit, se perductum a *Macro* per varias Asiae urbes. Obiit an. V. C. 738. Cum hoc non confundendus *Aemilius Macer*, qui sequitur.

Macer (Aemilius), Jurisconsultus sub Alex. Severo Imp., qui ad eum nonnulla misit Rescripta. Scripsit post Ulpianum, Menandrum, et Paullum, quorum mentionem facit. Edidit de *Appellationibus libb. 2.*: totidem *de re militari*: totidem *de Officio Praesidis*. Duos item *de publicis judiciis*: et totidem ad *legem 20. Haeredit.* In *Pandectis* Justin. nonnulla horum Operum fragm. supersunt.

Macer (Baebius,) citatur a Servio ad *Eclogam 9. Virg.*, ut scriptor narrans ortum stellae amplissimae, quasi lemniscis coronatae, post necem C. J. Caesaris.

Macer, Trib. pl. *Orat.* habuit de *recuperanda Tribun. potestate* post Syllam. Sallust. affert ejus Sentt.: quae leguntur in fragmentis *l. 2. Histt. Sallustii*.

Macer (C. Licin.), Vir Praetorius, scripsit *Annales*, ex quibus T. Livius *lib. 4.* plura accepit, aitque, eum consuluisse *libros Linteos* in aede Minervae. Hujus *Macri* multi ex antiquis mentionem faciunt, et inter eos Tullius *lib. 1.* de *legibus*, ubi testatur, eum in *Orationibus* nimium, et ineptum fuisse, notans ejus loquacitatem, et impudentiam. Repetundarum reus factus, ante Judicum sententiam se interemit sudario spiritum, sive respirationem sibi intercludens. Ita Val. Maximus *l. 9. c. 12. Macri OO.* desid. Multi Romani gravis criminis postulati, ac Rei facti se occidebant ante damnationem, ne eorum bona hastae subjicerentur. Id cavere voluit *Macer*, se ante sententiam occidens.

Macrinus (Opilio), Jurisconsultus, et Orator. Primum Tabellio, deinde Fisci advocatus, et post varia munia Rom. Imperator, qui a Militibus una cum Diodumeno filio post an. 1. imperii occisus fuit an. Christi 218. Vide Capitolinum in ejus *Vita*.

Macrinus, Vir litteratus, ad quem est scripta 2. Persii *Satyra*.

Macrinus (Baebius), Rhetor Alex. Severi magister. Ita Lampridius.

Macrobius (Theod., Ambrosius, Aurel.), Vir illustris, Grammaticus notiss., et Cubicularius, sive rei vestiariae Praef. in Palatio Theodosii M., et filiorum. Fuit Cos., et forsitan non alienus a Christ. religione, sine qua vix acceptus fuisset Christianissimo Principi Theodosio, et filiis. Scripsit (praeter erudititss. Comment. ad Filium Eusthatium in *Somnium Scipionis*, a Cicerone lucubratum, et *lib. de differentiis Graeci, et Lat. sermonis*) *Saturnalium* Opus: quod integrum ad nos non pervenit. Nam in Vaticano Codice adnotatum

est, nonnulla infine 7. *lib.*, qui ultimus nunc est, deesse, et forsitan post hunc alii libri fuerunt ab eo editi, qui latent, vel perierunt. In libris 2., 3., 4., et 6., nonnulla desunt. In *Saturnalium* libris ostendit, ex quibus Poetis Graecis, et Latinis Virg. profecerit in suis Poematibus, versus Virgilii cum aliorum versibus conferens. Plura etiam ipse ex Gellio, et Val. Max. mutuatus est.

Maecianus (L. Volusius), Jurisconsultus, quo usus est Antoninus Pius Imp. Ejus in Jure auditor fuit M. Aurel. Antoninus Phil. qui eum amicum vocat in Rescripto quodam. Scripsit *Fideicommissorum libb.* 16. De *publicis Judiciis libb.* 14. *De Assis distributione libellum*, et de *lege Rhodia*.

Maevius, Poeta Virg. coaetaneus, eidemque parum probatus. De eo, et de Bavio Maro Ecloga 3. canit.

Qui Bavium non odit, amet tua carmina Maevi :
Atque idem jungat vulpes, et mulgeat hircos.

Maevius, quem Mart. vocat jucundum, probum, et innocentem amicum, ac utraque lingua doctum. Unum in eo fuisse malum ait, quod Poeta fuerit, unde illi, quod fortunam adversam experiretur. Vide *lib. 10. Epigr.* Non liquet, an is sit *Maevius*, quem citat Nonius afferens versum *Maevii* ex *Gallinaria*.

Maevius, Poeta, Horatio coaevus, in quem est *Ode* Horatii in *lib. Epodon.*

Magi, seu artem magicam exercentes, S. C. sub Tiberio fuere ab Italia expulsi cum Mathematicis, seu Astrologis, qui ex stellarum positu eventura praedicebant. Ita Tac. *lib. 2. Annal.* Plura de artibus hisce antiquos Rom. scripsisse puto, quae perierunt. Vide plura de *Magia*, et *Magis* apud Rhodig. *l. 9. lect. antiq. c. 23.* Foeminae magicis artibus deditae Horatii aevo Romae fuerunt Canidia, et ejus sodales Sagana, Veja, et Folia Ariminensis. De his ac de earum veneficiis, et magicis carminibus; Vide Hor. *Ode 5. libri Epodon, et Sat. 8. lib. 1.*, ac verbo *Canidia* in *C.* Plut. in libro de *Oraculorum defectu* tradit, foeminas Astrologiae peritas, eclipseos lunae praescias, finxisse, se magicis carminibus posse lunam rubore suffusam e caelo deducere: quod vulgus credebat, et crotalorum, ac tympanorum strepitu, ei se succurrere posse contra magicas artes putabat.

Corollarium I.

Magistratus, Romanorum. Vide *Oratores*: *Comitia* in suis litteris. Qui una eundem Magistratum petebant *Competitores* vocabantur: unde inter Romanos *Candidatos*, (quo nomine appellabantur Magistratus petitores) etiam amicos et consanguineos saepe rixae, et inimicitiae nascebantur. Repulsam passus non semel competitorem suum accusabat ambitus, cum nempe pecunia, vel donis suffragatores corruperat. Multi ex Summatibus Romanorum, in libera Repub., ut Magistratus a populo impetrarent, populares fiebant, affectantes, sibi res plebis cordi esse, et paratos plebem defendere contra poten-

tiores Patricios. Verum nonnulli ex his plebis fautoribus, et plebi caris, ob suspicionem affectati regni non semel, vel S. C., vel privati alicujus zelo, et regii dominatus odio, infelicem exitum habebant: quod Gracchis, et aliis valde plebi acceptis accidit. T. Livius *lib.* 39. auctor est, Magistratus, concione advocata, solemne carmen precationis fari solitos priusquam populum alloquerentur. Quaenam autem verba hujus carminis essent, non dicit. Forsitan erant haec: *velitis, jubeatis Quirites* cet. Sigonius de *antiquo Jure* Rom. agens tradit, Romae legibus cautum, ne Senator, aut Consul infra 50. aetatis an. ne Praetor infra 40, ne Aedilis ac Quaestor infra 27. eligerentur.

Magius (P), Trib. pl. Collega suo M. Virgilio in dicendo paullo copiosior. Ita Cic. in *Bruto*.

Magius, Tivi Livii gener, et alter ex Rhetoribus, de quibus M. Seneca, qui eum laudat praesertim in *Prooemio Controv. lib.* mihi 10.

Magnus, Orator, alter ex accusatoribus Roscii, a Cicerone defensi. Vide Comment. in *Oratt.* Ciceronis.

Magnus, Rom. Orator, ad quem est S. Hieron. *Epistola*, qua ei respondet interrogatus, cur saecularibus litteris nonnunquam illustret Opera sua?

Mamercus, Poeta videri volebat nihil recitando. Ita Mart. *Epigr.* in eum *lib.* 2., quod sic habet.

Nil recitas, et vis, Mamerce, Poeta videri.
Quidquid vis esto, dummodo nil recites.

At poterat *Mamercus*, quin recitaret, optimus Poeta esse.

Mamertinus (Cl.), Rhetor, et Cos. ab Apostata Juliano creatus, cui recitavit *Orat.* Eucharisticam, et Panegyricam pro adepto consulatu. Aliis *Orationibus* Diocletianum, et Maximianum Caesares laudasse dicitur: quod si ejus sint *Orationes* his dictae, de quarum Auctore dubitatur, oportuit, eum diutissime vitam prorogasse. Istae *Oratt.* supersunt. Utrum alias lucubrarit? ignoro.

Mammaea, Christ. Imperatrix, natione Syra, Origenis discipula, mater Sev. Alex. Imperatoris ex Vario Marcello marito. *Acci* Hispana Colonia ei Inscriptionem posuit sub statua eidem erecta, in qua eam, et Severi Alex. Imperat., et castrorum matrem Accitani appellant.

Mancinus (A. Hostilius), Orator, accusavit incassum Manuliam, famosam meretriculam, quae noctu eum, ejus aedes pulsantem, lapidarat. V. Gel. *l.* 4. *c.* 14. *Noctium*.

Manes, Persa, haeresiarcha, primis Ecclesiae seculis notissimus, a quo *Manichaei*, qui eo duce duo ponebant principia, seu duos deos, unum boni, alterum mali auctorem. Nuptias, vinum, et noxia animalia a malo deo esse dicebant, et insana alia multa affirmabant. Errores suos magna cura dissimulabant inter Catholicos commorantes, quo majus damnum Catholicae Ecclesiae inferrent, multos pervertendo callidis, et occultis colloquiis. Eorum dogmata a S. Augu-

stino, antea Manichaeo, et ab aliis refutata validissime fuerunt. In Labbeana, vel Mansiana Conciliorum collectione legitur *Manetis Epist.* ad Marcellum, virum nobilem, et divitem, quem ad se trahere cupiebat. Legitur etiam disputatio in magnis Marcelli aedibus habita an. Christi 277. inter Archelaum, Charcarorum in Mesopotamia Episcopum, Marcelli amicum, et *Manetem* coram Ethnicis Philosophis Judicibus, qui sententiam contra *Manetem* tulerunt. Tam male ei cessit haec disputatio, ut ludibrio *Manes*, et Ethnicis, et Catholicis fuerit, statimque illinc abierit cum doctrinae suae ignominia. Adeo insaniebant *Manichaei*, ut Solem, qui nos, et pecudes illuminat, et cursu suo annum peragit, Christum esse arbitrarentur. Damnati fuerunt *Manichaei* in variis Conciliis, et eorum scripta igni tradita. Non defuit hujus seculi illuminati Philosophus, magni apud suos nominis, qui ab insania *Manichaeorum* non multum recessit: quinimmo eorum praecipuum errorem visus est suscitare scriptis suis voluisse, ut ostendit Auctor Operis Gallici inscripti *l' Oracle des nouveaux Philosophes*. *Manes* ob scelera sua jussu Persarum regis excoriatus occubuit. Varia *Manetis*, et *Manichaeorum OO.* citantur a S. Aug. contra *Manichaeos* scribente; quae perierunt. Vide *Marcella* suo loco.

Manilius (M), Astronomus Poeta. Ejus *Poema Astronomicon* sub Tiberio editum, integrum non habemus. Supersunt solum *5. libri* de Stellis fixis, et *liber quintus* mutilus est. Ceteri desid. Scripsit etiam *de Venatione* carmen, nisi si Opus istud alterius *Manilii* fuerit. Non liquet, an idem sit cum *Manlio* Mathem., qui sub Augusto floruit, de quo Plin. *H. N. lib. 36.* Forsitan *Manlius* pro *Manilius* illic scriptum legitur culpa librariorum, vel typographorum. Quae *Manilii* leguntur, inventa fuerunt a Poggio sub Martino V. Rom. Pont. Initio *lib. 3.*, vel non multo post initium, veniam orat., si nonnunquam vocab. non Latinis utatur.

Manilius (M). De eo loquitur tanquam de viro multiscio Cicero *lib. 3. de Oratore*. Forsitan idem erat cum praecedenti.

Manilius (Sura), Orator, notatus a Domitio Afro dicente de eo, cum orabat: non agere, sed satagere, quia multum inter orandum discurrebat. V. Quintil. *l. 11.* Ejus *Orat.* desid.

Manilius (T), Senator, citatus a Cic. testis in *Oratione pro Roscio Amerino*, quam adolescens habuit. Fuit vir doctus, et omnis litteraturae indagator. Citatur a Plin. *lib. 10. c. 2. H. N.*, ubi de *Phoenice*. Floruit Marii, et Syllae temporib., et jam Senex, ad aevum Ciceronis pervenit. Ejus *OO.* desid.

Manlius (CN), scripsit *Iliada* Latine, quod Opus desid.

Manlius, sive *Manilius* (Chrestus), scripsit *Deorum Hymnos*, qui citantur a Fulgentio Gramm. antiquo Christ. Hi *Hymni* non extant, vel latent.

Manlius (L), Vir consul. ad quem est Hor. *Ode l. 4.*, in qua laudatur ejus facundia, pietas, et nobilitas.

Manlius (Theodorus), bis Cos. (cujus primum Consulatum sub Honorio an. Christi 399. laudavit Claudianus). Scripsit Astronomica pedestri sermone. Non confundendus cum Poeta Manilio, qui Astronomica versibus edidit.

Marathus (Jul.), Augusti libertus, qui Patroni sui res mandavit litteris. Ita Suet. in *Augusto*. Ejus *Scripta* desid.

Marcella, Martialis uxor, videtur docta fuisse. Vide Mart. *Epig.* ad eam *lib.* 12.

S. *Marcella*, Romana nobilissima, Albinae filia, vidua, in sacris litteris valde erudita, ad quam S. Hieron. Epistolas dedit. Discipula fuit primum S. Athanasii, et S. Petri Alexandrini, postea S. Hieronymi, qui ejus Epitaphium ad Principiam scripsit. Origenistarum haeresim ex urbe expulit, et obiit paucis diebus post captam a Gothis Romam sub Honorio. Prima omnium Romae Monachalem vitam professa traditur. Supersunt nonnullae *S. Marcellae Epistolae*, ex quibus, doctissimam eam fuisse, dignoscitur. Eam viri docti consulebant, teste S. Hieron.

Marcellianus (L. Aurel.), Augusti libertus, excerptor *V. S. L. M.* in simulacro. Ita Sponius in *Miscellaneis*. Cujusnam simulacrum fuerit? Sponius non dicit. Forsitan Numinis, cui *votum solvebat libens Marcellianus*.

Marcellinus (Flav.), Notarius, et Trib., qui jussu Honorii praefuit collationibus inter Cathol., et Donatistas, Carthagine in Africa habitas. Dicta ab utriusque partis Episcopis, ejus jussu, litteris consignabantur ab Exceptore, seu Scriba. Horum Scriptorum superest solum *Epitome* in collectione Conciliorum. Vide Possidium in *Vita S. Augustini*. *Marcellino* huic dicavit S. Aug. insigne Opus de *Civitate Dei*. Ad eum Carthaginem proficiscentem mandata dedit Honorius, quae habentur *lege* 3. *de Relig.*, et *lege* 51. *de Haeret.*, ubi de *Marcellino*, ac de ejus Actis contra haeret. Donatistas fit mentio. De ejus morte agit S. Hieron. *l.* 3. *contra Pelag.*, et S. Augustinus. Orosius *lib.* 7. *Hist.* eum vocat *virum prudentem*, *industrium*, *et bonorum studiorum appetentissimum*.

Marcellinus (Ammianus), Latinus Historicus, satis veridicus, sed parum laudatus a Latinitate. Ex 31. *Histt. libris*, quos edidit, 13. priores desiderantur: qui supersunt satis corrupti a librariis, et mutili inventi a Poggio sunt. Militavit sub Juliano Apostata, quem ad nauseam laudat. Nihilominus illum reprehendit, quod vetuerit, Christianos docere, et doceri. Vide *Julianus* in *J.* Sunt qui dicant, Christianum fuisse. Saltem se non male in eos affectum ostendit scriptis suis: forsitan, quia sub Christianis principibus scribebat. Fuit patria Antiochenus, et vivebat sub Valente, ad cujus usque interitum, a Nervae principatu perduxit *Historiam* suam. Laudatur a Libanio, qui tradit, eum caussas egisse in Romano foro. Ipse vero *lib.* 27. laudat modestiam, humilitatem, parsimoniam in victu, et vestitu provincialium Episcoporum.

Marcellinus (CN. Lentulus), Orator, et Cos. concionem habuit, in qua de nimia Pompeii potentia querebatur. Ita Val. Max. *l. 6. c.* 2. Huic, in Senatu, qui ad Caesarem inclinabat, contra Pompejum oranti, dixit Pompejus: *Non te pudet, Marcelline, male mihi dicere, per quem e muto eloquens, e famelico vomens factus es?* Ita Plut. in *Apophtheg.*

Marcellus (M), Orator, et Cos., quem laudat Cicero in *Bruto* ab eloquentia, et doctrina. De ejus consulatu meminit idem Cic. in *Epist.* ad eum *lib. 4. Fam.* Partes Pompeii secutus, veniam a Caesare impetravit, pro qua ei gratias egit Cic. in *Oratione pro M. Marcello*. De hoc *Marcello* testabatur Brutus in *lib. de Virtute*, citato a Sen. in *Consol. ad Helviam*, nunquam bonarum artium cupidiorem fuisse, quam, cum Mytilenis exsularet. Interfectus fuit, ante reditum ad suos, a familiari P. Magio Chilone. Ita Cic. *l. 4. Epistt. famil.*, *et lib. 13. ad Atticum*.

S. *Marcellus*, Papa, et Martyr Christi sub Maxentio Tyranno. Scripsit plures *Epistt.* Ecclesiasticas, inter quas una directa fuit ad Episcopos Antiochenae Provinciae.

Marcellus (M. Cl.), Annibalis victor, et Syracusarum expugnator IV. Cos. Fuit accusatus a Siculis, et pro se caussam dixit in Senatu, qui, eo audito, Siculorum querelas rejecit, *Marcellum* absolvens. *Marcellus*, ut majori cum libertate Senatus judicaret, cum accusatoribus suis e curia exivit. Postea Siculos supplices in clientelam suscepit. Ita Val. M. *l. 4. c. 1.* Priusquam Syracusas diripiendas militibus permitteret, concionem flens ad exercitum habuit, edicto cavens, ne quis in direptione ditissimae urbis corpus liberum violaret. Nihilominus a barbaro, et inconsiderato milite Archimedes celeberrimus Geometra, et machinator, quem salvum in primis voluisset Marcellus, cum lineas duceret, occisus fuit: quod *Marcellus* aegerrime tulit. Hujus vitam litteris consignavit Plut. De Archimede narratur, eum Speculis Ustoriis, ut vocant, naves Romanorum nonnullas combussisse. Si hoc verum, Specula Ustoria nota antiquis fuerunt.

Marcellus, Poeta, qui fl. in fine 4. Eccl. Seculi, scripsit Poemata de *Medicinalibus*, quorum plura carm. desid.

Marcellus (C), Collega Cic. in Auguratu, et Consulatu scripsit *libb.* de *Jure Augurali*. Ita Cic. *l. 2. de Divin.*

Marcellus, Burdegal Medicus Empiricus, Theod. M. Archiater Christ. Exstat ejus liber *Medicamentorum* ad filios, quem interpolatum edidisse dicitur Janus Cornarius.

Marcellus (Eprius), Orator, de quo Tac. *l. 4. Hist.*

Marcianus (Aelius), Jurisconsultus inter Consiliarios Alexandri Severi numeratus. Ad eum sunt *Rescripta* Antonini Caracallae, et Severi. Papiniani *libros* de *Adulteriis* illustravit. Plura edidit ad Jurisprudentiam spectantia, quorum fragmm. supersunt in *Digestis*. Floruit cum fama summi Jurisconsulti sub Severo, et Caracalla.

Marcion, haeresiarcha 2. Eccl. Sec. primogenitus Diaboli a S. Polycarpo Romae appellatus. Ponebat 3. principia, seu 3. deos. Unum Judaeorum: alterum Christianorum 3. Infidelium. Rejiciebat vetus Testamentum tanquam a malo Haebraeorum deo, et novum non integrum probabat. Nuptias exsecrabatur, et Verbum divinum veram assumsisse carnem negabat. In desperationem, et haereseos barathrum actus fuit a Patre, Synopes Episcopo, qui zelo, sed non secundum scientiam, noluit eum poenitentem in communionem recipere post grave delictum ab eo admissum. Quae *Marcion* pro suis erroribus scripsit perierunt. Ea refutaverat Tertullianus 5. *libris*.

Marcius, sive *Martius*, Poeta, et Vates fatidicus antiquus, qui binos *libb. fatidicos* edidit. Nonnulli *Marcii* hujus versus adducuntur a Macrob. in *Saturn.* Livius etiam nonnulla ex *Marcio* affert *lib. 25. Hist.* suae de *ludis Apollini faciendis*, quibus praeesse debebat Praetor, qui summum jus diceret. Cetera perierunt. Fertur Cannensem cladem praedixisse. Alii eum *Marsum*, alii *Marsium* vocant, errore, ut puto, librariorum.

Marcius (Marcellus), Rhetor, amicus Montani Votieni, qui frequenter in suis scriptis ejus mentionem faciebat tanquam hominis diserti. Ita Sen. in *Controv.* afferens ejus sententiam, a Votieno, de ejus declamatione agente, relatam.

Marcomannus. Ejus Comment. sequi se testatur Sulpicius Victor. Ita Suet. *de Cl. Rhetoribus*.

S. *Marcus*, Evangelista, qui suum Evang. Romae Latino sermone scripsit, et edidit, probante S. Petro. Hujus Evangelii paginae autographae, quae religiose Venetiis asservantur, Monfalconio in suo *Itinere Italico*, Latino sermone scriptae visae sunt post earum examen. Sunt, qui negent, paginas illas a S. Marco scriptas: licet communis ea sit Venetorum persuasio: quod in Marchione Maffejo, nisi fallor, de Illustribus Veronensibus scribente, legitur. Alia forsitan edidit, quae latent. Obiit Alexandriae, cujus Eccl. Praesul erat 8. Neronis anno. Tirinus in *Evangel.* expositione testatur, communem opinionem esse, S. *Marcum* Latine *Evang.* scripsisse.

Marcus (Pomponius), vir litteratus, ad quem *Epist.* scripsit, et cui suam ordinandam biblioth. demandavit Aug. Caesar.

Marcus, Martialis amicus, quem doctum Mart. vocat *lib. 10. Epigr.*, et *lib. 1.* indicat, eum Poetam fuisse.

Marillus, quem alii *Marullum* vocant, fuit Rhetor, et Declamator, cujus Sentt. affert Sen. in *Controv.*, ubi Magistrum suum eum appellat: quod indicat, eum sub Augusto jam floruisse.

Marinus, Poeta vetus, *Lupercalium* Scriptor, qui tradit, Romulum a Roma dictum, non Romam a Romulo. Forsitan putavit cum aliis, Romam 800. an. ante Romulum conditam fuisse. Ejus versus aliquot affert Servius *ad 1. Virg. Eclogam*. Alii eum *Marianum* appellant.

Marius, Vir multiplicis doctrinae, de quo Ovid. *l.* 4. *de Ponto Epist.* 16. cecinit.

Et Marius Scripti dexter ad omne genus.

Ejus scripta varia desid.

Marius (C), Arpinas, VII. Cos., quod nemini in Rom. libera Repub. contigerat, *Orationem* habuit ad pop. Rom., in qua non inficiabatur, se ex ignobili genere ortum, et parum in disciplinis ingenuis versatum. Verum militari virtute, et disciplina sua fecisse ajebat, ut domus suae nobilitas in se inciperet: quod contra accidebat nonnullis nobilibus, qui ei obloquebantur, novitatem, et ignobilitatem familiae ei objectantes: qui nempe ignavo otio, et luxui dediti faciebant, ut nobilitas in eis finem haberet, illustre nihil ad famam agentes. Vide Sallust. in *Jugurtha*, ubi hujus *Marii Orationis*, quae desideratur, sententias illustres affert. Plures in castris *Orationes* ad milites habuisse, nullus dubito: cum Romanorum exercituum dux egregius, et saepissime, tum in Civili bello contra Syllam, tum etiam in legitimis contra Reipub. hostes victor fuerit. Vide de eo plura in Rom. Historicis, qui ejus prosperam, et adversam fortunam luculenter denarrant. Cicero Poema in laudem ejus edidit, inscriptum *Marius*. Plutarchus ejus *Vitam* scripsit.

Marius, fabriferrarii filius, alter ex Tyrannis tempore Aureliani Imperat. Ejus ad Milites *Orationem* affert Trebel. Pollio.

Marobuduus, Suevorum princeps, qui partes Romanorum in Germania secutus, et magna gloria apud suos florens, Catualdae, nobilis juvenis vi, e regno pulsus, ad Romanos sub Tiberio se recepit. *Orationem* magnificam in Senatu Romae habuit, qua se, et Antiocho, et Pyrrho regibus aequabat. Ravennam, relicta Roma, profectus, illic inglorius consenuit. Vide Tac. *lib.* 2. *Ann.*

Marcellus (Victorius), ad quem est Statii *Epist. l.* 4. *Sylv.* laudatur tanquam magnus Orator ab Statio, et tanquam magno praeditus ingenio. Videtur tunc adhuc juvenis fuisse.

Marsus (Vibius), de quo tradit Tacitus *l.* 6. *Ann.* vetustis moribus, et studiis illustrem fuisse.

Marsus (Domitius), Poeta, qui *Amazonidem* scripsit successu parum felici, si Martiali credimus, qui saepe de eo meminit in suis *Epigr.* ac levem appellat, de ejus *Amazonide* verba faciens. Ejus meminit Ovid. de Ponto *l.* 4. *Ep.* 16. Melenim puellam celebravit, teste Martiale. Ex eo affert Suet. versum in Orbilium Grammat., sua saevitia in discipulos, notum.

Siquos Orbilius ferula, scuticaque cecidit.

Martia, Hortensii uxor, docta foemina. Ita Sidonius ad Hesperium.

Martialis, Medicus Erasistrateus, scripsit *libb. binos Anatomicos*. Erat septuagenarius, cum Galenus 34. aetatis an. ageret. Vide Galenum in *lib. de scriptis propriis*.

Martialis (Juvencus), Historicus, citatus a Sidonio Apollin. *lib. 9. Epist. 14.*

Martialis (Garguilius), Hist. scripsit *Hist.* vitae *Alex. Severi*, et *libb. de re hortensi*, citatos a Palladio, et Servio. Supersunt nonnulla ejus *de re rustica* fragmenta. Citatur etiam tanquam Hist. a Vopisco in *Vita Probi* Imp.

Martialis (M. Valer.), Poeta Epigrammatarius acutissimus, Hispano-Bilbilitanus. Verisimile est, nonnulla soluta Oratione scripsisse, quae non exstant, cum vel in Hispania, vel Romae caussas egisse alicubi indicet. Vide *lib. 7. Epigr.* ad Sextum. Nec minus verisimile est, ejus plura Carmina periisse (cum in omni carminum genere se se exercuisse affirmet in *Epigram. ad Tuccam lib. 12.*): quod optandum esset omnibus impudicis accidisset. Si Navagerus aliqua exemplaria Martialis quotannis Vulcano, aut Musis sacrificarit, ea igni tradens, ut testatur Paullus Jovius, Historicus non nimis veridicus, idque faciebat ob carmina parum pudica, quibus Martialis Opera scatent; fas est arbitrari, Navagerum pro aequitate sua idem fecisse cum Catulli exemplaribus, licet Jovius id non referat. De sua bibliotheca meminit Mart. *lib. 14. Epigr.* hoc Disticho.

Pellibus exiguis arctatur Livius ingens,
Quem mea non totum bibliotheca capit.

De suis Epigr. candide, et ingenue fatetur, nonnulla mala, alia mediocria esse. Nihilominus ea toto orbe legebantur, de quo ipse gloriatur *lib 5. Epigr. Sed toto legor orbe frequens*, cet. Romanis etiam primariis fuit gratissimus ob suos urbanos sales, et singulare ingenium. A Domitiano plures honores impetravit. Aelius Verus Imp. *Martialem*, suum appellabat Virgilium. Eum pecunia donavit, cum in Hispaniam proficisci decrevit, Plinius Caecilius, qui in *Epist. ad Corn. Priscum l. 3. Epist.* eum laudat, et de ejus morte non sine animi sensu loquitur. Sunt, qui Catullo in *Epigr.* eum praeferant: sunt qui multum infra Catullum fuisse contendant. Unusquisque, ut libuerit, sentiat: per me licet: neque enim in huc sitae sunt opes Graeciae. Obiit Senex in patria.

Marullus, Poeta Mimographus, Romae floruit sub Antonino. Nimia scribendi licentia utebatur, Summates Romanos carpens. Ejus *Carm.* desid.

Marullus alter, Trib. plebis, qui statuis Caes. coronas detraxit, memoratur a Plut. in *Vita Caesaris*.

Masurius (Sabinus), Jurisconsultus magni nominis sub Aug., et Tiberio. Ejus *lib. 1. Memorabilium* citatur a Gel. *l. 6. c. 7. NN.*, et *lib. 4. c. 9.* ejus *Comment. de Indigenis*, et alibi. Fuit Atteii Capitonis in scholam successor, et primus, qui publica auctoritate de Rom. Jure cum stipendio respondit. Eques factus fuit ob suam probitatem, et doctrinam. Ex *Masurio* universam Juris disciplinam indicare Persius voluit versu illo.

Excepto, si quid Masurj rubrica notavit.

De eo meminerunt Plin. in *H. N.*, et Macrob. in *Saturn.* Praeter libros memoratos a Gellio, scripsit de *Furtis* librum, cujus meminit etiam Gel. *l. 11. c. 18.*, et in *Pandectis* indicatur, eum scripsisse *3. libb. Juris Civilis: libros Responsorum ad Vitellium*, et *ad Edictum Praet. Urbani*. Qui libri desid., ut etiam *de Fastis* bini minimum libri ab eo editi, quorum fragm. solum supersunt.

Maternus, Jurisconsultus, laudatus a Mart. *lib. 10. Epigr.* Non liquet, an is sit *Maternus*, alter ex Interlocutoribus in *Dial. de Oratoribus*. Hic *Maternus* Orator, et Poeta fuit. Scripsit namque Tragoed. *Medeam*, *Thiestem*, et *Catonem*. Idemque partes agit Poetices in dicto *Dial.* contra Aprum, qui partes Oratoriae tuetur.

Corollarium II.

Mathematici, quo nomine vulgo appellabantur Astrologi Judiciarii, *Chaldaei* etiam dicti, fuerunt primum ab Agrippa Praetore; et Aug. Caesare: deinde a Tiberio ex Italia pulsi. Ita Tac. *l. 2. Ann.* Eos cum Judaeis novo decreto Claudius Imper. Roma ejecit. Vitellius eos inauditos capite damnabat. Vide Suet. in *Vitellio*, et Tac. *l. 12. Ann.* V. *Chaldaei* in *C*. Apud veteres Matheseos studia inter puerorum rudimenta numerabantur. Vide Cael. Rhod. *l. 10. cap. 4. lect. antiq.* Forsitan hoc de Arithmeticae, et Geometriae elementis faciilioribus affirmabatur: quod addo, ne Mathematici nostrae aetatis veteribus irascantur.

In plerisque *Mathaeseos* partibus parum eruditi Veteres Romani fuerunt, si cum hodiernis Mathematicis conferantur. In Astronomia, praesertim invento telescopio, magni progressus aetate nostra facti, et multa priscis Romanis ignota in Caelis observata sunt. Nihilominus *Mathesis* fuit a Romanis exculta, et exstant nonnulla eorum Opera ad *Mathesim* spectantia, sed multo plura desid.

Matho, assiduus Declamator, quem Mart. carpit, eo quod etiam febri laborans a declamando non abstineret. V. *lib. 14. Epig.* Est etiam, in *lib. 10. Epigramma Mathonem* pungens, quod est hujusmodi.

Omnia vis belle Matho, dicere: dic aliquando
Et bene: dic neutrum: dic aliquando male.

Matius (C), a Cicerone *lib. 7.* in *Epist. 15.* ad Trebatium, suavissimus, et doctissimus appellatur: gaudetque Cic., Trebatium in ejus familiaritatem venisse.

Matius (CN.), Poeta. Gellius *lib. 10. c. 24.*, ejus binos Mimijambos afferens, hominem eum impense doctum vocat. Idem de eo ait Macrobius *l. 1. Saturn.* eosdem Mimijambos afferens. Julianus Rhetor *Matii* Mimijambis valde delectabatur propter nativum saporem, et singularem eorum suavitatem. De eo Terentianus Maurus, Varro, et alii antiqui,

Matronianus, Poeta Hisp. valde eruditus, in metrico opere cum veteribus comparandus, cujus Opera Poetica, vario metro edita, tempo-

re S. Hieron. legebantur, ut S. Doctor testatur. Fuit Treviris occisus jussu Maximi Imper. cum Priscilliano, Felicissimo, Juliano, Euchrotia haereticis, quorum deliria sectabatur. Ejus *OO.* Poetica non exstant.

Mauricianus (Junius), Jurisconsultus, qui floruit sub Antonino Pio, quod probabilius videtur, quam quod sub Antonino Caracalla, vel sub Alexandro Severo vixerit. Edidit ad *Julianum Notas*: *de Poenis libros 2. Ad legem Juliam, et Papiam libros 6.* Ex quibus Operibus nonnulla fragm. sunt in *Pandectis*.

Maurus (Terentianus), Carthagin. Poeta, qui secundum Ricciolium sub Honorio floruit: secundum alios paullo post Martialem. Scripsit vario carmine jam senex Tractatum satis diffusum de *Litteris, Syllabis, Pedibus, et Metris*, quod Opus exstat, et verisimile est multa alia, quae non exstant, aut latent edidisse. Citatur a S. August. *lib. 6. de Civit. Dei*, et alibi, ut etiam ab aliis antiquis. Ipse plures Poetas in suo *Tractatu* citat, eorum versus pro exemplo adducens.

Maximinus, Imperator, in Christianos crudelissimus. Ejus jussu editus fuit liber inscriptus *Acta Pilati*, multa nefaria de Christo continens.

Maximus, Ovidii amicus, quem *facundum Oratorem* appellat *l. 1. de Ponto Epist.* 3. ad eum. Eidem caussam suam, valde difficilem, idest reditum e Ponto, et Augusti veniam commendat. Ad eundem sunt aliae Ovidii *Epistt.* praeter citatam, in qua indicat prope finem, *Maximum* legere solitum scripta sua Ovidio: quae scripta desid. Erat *Maximus* ex Fabiorum illustri familia, valde carus Augusto, et fautor virorum litteratorum. Ejus pater vocatur ab Ovidio sui ingenii dux, et impulsor, ut Poeticam excoleret.

Maximus (Statilius), scripsit *lib. de singularibus Ciceronis vocabulis*, teste Charisio *lib. 2.* Sallustii Historias etiam illustravit: quae *OO.* desid.

Maximus (Rutilius), Jurisconsultus, qui Servii Sulpicii successor fuit, et Trebatii in Jure magister. Scripsit ad *leg. Falsid. lib. sing.* Ex quo nonnulla in *Pand.*, ubi de *Legatis, et Fideicom.*

Maximus (Marius), Hist. scripsit *Trajani Imp. Vitam*, quae desid., et citatur ab Spartiano in *Vita Alex. Sev.* Citantur etiam alia ejus scripta ab Amm. Marcel. *l. 28.*

Maximus (Fabius), Narbon. ex equestri ordine, scripsit *libros* aliquot de *Philosophia Stoica*, Horatii aetate, qui libri desid. Fuit Pompejanus.

Maximus, Phil., quo cum Julianus Apostata, morti proximus, prolixe disputavit de animorum sublimitate. Erat hic valde carus Juliano, ut testatur Eunapius in *Vitis Phil., et Sophist.*

Maximus (Q), *Verrucosus* dictus. De eo Cic. in *Bruto* ait, temporibus Fabii Maximi habitum fuisse Oratorem.

Maximus, Tyrius, insignis Stoicus, qui Romae floruit sub Antonino. Fuit M. Aurelii Phil. magister, qui honorificam de eo men-

tionem facit in Scriptis suis, Supersunt nonnulla ejus Scripta. Alia desid.

Maximus (Junius), Statii aequalis, dicitur Sallustii, et Livii *Historias* in *Epitomen* contraxisse, quod colligi viri docti putant, ex *lib.* 4. *Sylvarum* Statii.

Maximus (Q. Fab.), Cos., militari arte clarus. Is fuit, qui cunctando rem Romanam, pene ab Annibale profligatam, restituit, et Annibalem vicit. De eo magna cum laude Ennius, et Romani Histor. Habuit *Orat. funebrem* in morte filii. Cic. de *Senect.*, et in *Bruto* valde eum commendat. Vide Plut. in ejus *Vita*, et Titum Livium. Ejus *Or.* desid.

Maximus, illegitimus Imperator, a cujus duce Gratianus occisus fuit. Eum vicit Theodosius, qui Gratiani, et Valentiniani II., ejus fratris, neces vindicavit. Fuit optimus Catholicus, et eruditus. Damnavit Priscillianum, et ejus socios, quos morte affecit. Scripsit ad Syricium Rom. Pont., ad S. Ambrosium, et Episcopos alios, sese Catholicum sincerum ostendens.

Maximus, Phil. Cynicus, Constantinop. Praesul illegitime electus, et rejectus a Conc.-Constantinop. I. 150. Episcoporum, imperante Theodosio: quo in Conc. haeresis Macedoniana damnata fuit, et Fides Nicaena confirmata sub S. Damaso Papa.

Maximus (Valerius), Histor. floruit sub Tiberio, cui nuncupavit libros suos *Dict.*, *et Fact. memorab.*, qui a Gellio, et Plut. citantur. Ad nos hoc Opus integrum non pervenit; deest quippe postremus liber, cujus *Epitomen* edidit C. T. Probus. Verum superest solum hujus *Epitomes* 1. *caput*, quod est de *Romanis Praenominibus*. Sunt qui dicant, Opus *Val. Maximi*, quod legitur, esse Compendium Operis longe majoris, et melius scripti a *Val. Max.* Sunt etiam qui dicant, solos *libb.* 9., qui exstant, esse *Valerii Max.*, et 10. ei falso tribui, nec constare, quisnam sit hic *C. T. Probus*, cui adscribitur *Epitome libri* 10., quam habemus.

ME

Mecoenas, sive *Maecenas* (Cilnius), Rom. Eques nobiliss., et ditiss. Augusto Caes. in primis carus, et insignis virorum litteratorum, maxime Poetarum, sui aevi fautor. Ei Virgilius dicavit *Georgica* sua, et Horat. plures *Odas*, *Epist.*, et *Satyras*, multis eum mactans encomiis. Sen. *Epist.* 115. graphice describit ejus stylum, et mores valde effoeminatos. In ejus Scriptis, quae aetatem non tulerunt, notat Seneca plures phrases, quae in praefata *Epist.* legi possunt. Aug. Caesar, ut ejus stylum irrideret, consimili stylo ad eum scribebat, et eodem nonnunquam cum eo loquebatur: *Vale*, inquiebat, *Mecoenas*, *Mel gentium*, *Ebur Etruriae*; *Laser Aretitinum*, *Tiberinum Margaritum*, *Cilneorum Smaragde*, *Jaspi figulorum*, *Berylle Porsenae*: *Carbunculum habeas*. Ita Macrob. *lib.* 2. *Saturn.* A. L. An. Sen. laudatur ejus ingenium mite, suave, et nemini maleficum in summa auctoritate. Ejus moderationem commendat etiam Propertius *l.* 3.

Elegia 8.; ac etiam ignotus Auctor *Elegiae in morte Mecoenatis*. Nec desunt, qui affirment, suavitatem, et moderationem Augusti natura sua iracundi, monitis *Mecoenatis* adscribendam. Narrant enim cum Aug. rerum potitus, pro tribunali sedens, multos adversae partis ad se vocasset, ut eos proscriberet, *Mecoenatem* in sinum ejus projecisse schedulam, in qua scriptum erat: *Surge Carnifex*, qua lecta, omnes reos a se innoxios, et cum venia dimisit. Ita Dion. *l. 55*. Induit etiam mitius ingenium Liviae uxoris prudentissimae consiliis, illud forsitan Laberii ei suggerentis: *Necesse est multos timere, quem multi timent*. Vide alia de *Mecoenate* apud L. Sen. de *Provid. c. 3*. Inter *Fragm. Vet. Tragic.* leguntur fragm. *Mecoenatis* Tragoediae *Octavia*, et incertae alterius Tragoediae. Nonnulla item sunt *Mecoenatis Epigramm* fragm. inter *Fragm. vet. Epigramm.* Hor. *Ode 9. lib. 2.*, qua *Mecoenatis* uxorem Lyciniam laudat, indicat, eum in animo habuisse, de Aug. rebus *Historiam* texere, et ex Solino *c. 18.* colligitur, eum *Hist.* scripsisse. Ea enim, quae narrat de puero, quem amabat Delphinus, a *Mecoenate* ait accepisse. Suet. in *Hor. Vitâ* affert fragm. Epist. *Mecoenatis* ad Aug., qua ei dicebat: *Horatii Flacci, ut mei, memor esto*. L. Ann. Sen. *Epist. 10. ad Lucil.* citat ejus Trag. *Prometheus*, librum eam appellans. Suet. in *Vita Horatii* promit nonnulla *Mecoenatis* carm., quibus testatur, se plus Horatium diligere, quam viscera sua. *Mecoenatis OO.* intercid.; celebratur tamen ejus versus de contemnendo sepulchro.

Nec tumulum curo: sepelit natura relictos.

Quintil. *l. 9. Inst.*, ubi de *compositione*, ostendit *Mecoenatem*, virum alias doctum, in scriptis suis decorem non servasse, affertque ex ejus Opere, nescio quo, clausulas lascivientes, et exultantes in re tristi. Obiit an. V. C. 746.

Mecinius (L), Ciceronis amicus. Ad eum est *Epist.* Cic. *l. 5*, in qua indicatur, eum litteratum fuisse.

Corollarium III.

Medici, in duas sectas fuerunt Romae divisi. Altera Methodicorum; Empiricorum altera. Vide Corn. Celsum in *Praef.* ad libros suos. C. J. Caesar Medicos, et aliarum artium Romae professores Romana Civitate donavit; qui honos peregrinis erat in primis exoptatus: quo factum est, ut non deessent ex ingenuis Romanis, qui de Medicina scriberent, quorum *OO.* desid. Partiri a nostris Medicis *Medicina* solet in Physiologiam, Pathologiam, Hygiinem, et Therapeuticen. Celsus aliter eam partiebatur, in eam, quae victu: alteram, quae medicamentis: tertiam, quae manu mederetur. Ita in *Prooemio lib. 1.* ex veteribus. Graeci tradunt, Medicinam esse omnium Artium antiquissimam, inventam ab Api, Aegyptiorum rege, Phoronaei filio. Alii autem Apollinem hujus artis inventorem faciunt, ut Ovid. *Metam. l. 1.* sub Apollinis persona canens.

Inventum Medicina meum est, opifexque per orbem
Dicor, et herbarum subjecta potentia nobis.

Homerus ait, omnes Aegyptios Medicos esse: Vide Laertium in *Platone*, et verbo *Botanica* in *B*. De odio Romanorum in Medicos, vide *Archagatus* in *A.*, *Cato* in *C.*

Mela (Annaeus), M. Senecae filius, natu minimus, et a patre laudatus tanquam magnae spei adolescens, ab omni civili ambitu alienus, et eloquentiae cupidissimus: ejus item ingenium supra aliorum filiorum ingenium pater ipse commendat. Vide M. Sen. in *Praef.* ad *lib. 2. Controv.* Fuit Lucani pater, et rerum Caesaris in Hispania Procurator. Detecta Lucani filii in Neronem conspiratione, se interemit. Sunt, qui putent, eundem esse cum Pomponio Mela Geographo insigni, qui 3. *libb. de situ orbis* eleganti Latinitate scripsit: inquiuntque, *Pomponium* dici potuisse, quia a Pomponio aliquo fuerat adoptatus, nec ex ejus scriptis demonstrari posse, eum Mellariae, et non Cordubae natum fuisse. Ego addiderim, potuisse casu aliquo, quamvis ex Senecis Cordubensibus esset, Mellariae nasci. Plin., et Solinus fatentur, se Operibus *Melae* usos.

Melania, docta foemina, Ruffini comes in Orientis peregrinatione, et Origenis errorum per Occidentem cum Ruffino disseminatrix,

Meletius, Praesul Alexand. Arianus, qui Catholicam fidem defendit, cum Arianam perfidiam vellet tutari.

Melior (Umbritius), Plinii aevo Haruspicinae peritiss. Scripsit de *Etrusca disciplina*, et citatur a Plin. *l. 10. H. N.*

Melior (Atedius), Papin. Statii amicus, ad quem mittit *lib. 2. Sylvarum*, et eum in litterarum judicio, et in omni vitae colore tersissimum appellat. In Praefatione ad lib. 4 Sylvarum, quem ad Meliorem mittit Statius, Marcellum eum appellat: quod indicat diversos hos *Meliores* (forsitan fratres) fuisse.

Melissus (C), Gram. Aug. libertus, biblioth. porticus Octaviae Praefectus, Comoediae Trabeatae inventor. Ita Sueton. de *Ill. Gram.* De hoc arbitror loqui Ovidium *l. 4. de Ponto Ep. 16.*, ubi ejus Musam levem appellat, nisi si de *Melisso*, qui sequitur, loquatur. Ejus OO. desid.

Melissus (M. Cilnius), Mecoenatis libertus, citatus a Plin. variis in locis *H. N.*, ubi fatetur, se ejus scriptis profecisse. Vel hic *Melissus*, vel praecedens, 60. aetatis an. agens, scripsit *Ineptiarum*, seu *Jocorum libros*. Sunt qui putent, eundem *Melissum* fuisse hunc cum *Melisso* Augusti; verum praenomina sunt diversa. Ejus etiam OO. desid.

Memmia, sive *Emmia*, quae temporibus Ennii scripsit *Hymnos* in Apollinem, et Musas, citatur a S. Isidoro in *Originibus*.

Melissus (Aelius), Gramm. scripsit *libb.* de *loquendi proprietate*, et nonnullos alios, qui desid. Eum ridet Gel. *lib. 18. c. 19.* ob suam jactantiam. Citatur a Charisio, ubi de voce *Clunes*.

S. *Melithon*, Sardensis Episc. in Asia, qui, teste S. Hieron., plura edidit: quae desid. Eorum tamen fragm. supersunt.

Membranae, dicebantur pelles animalium curatae, Pergamenae chartae dictae, quia Pergami inventae pro Scripturis, deficiente papyro Aegyptia, vide verbo *Scriptura* in *S*.

Memmius (Q), Orator. In antiqua *Vita* Terentii fit mentio Orationis, quam accusatus pro se habuit: quae Or. desid.

Memmius (C), Orator, qui asperrimas *Oratt.* contra C. J. Caesarem habuit, quib. minore asperitate C. J. Caesar respondit. Accusavit etiam A. Gabinium, qui, quamvis nocens, absolutus evasit ob nimiam *Memmii* in filium Gabinii asperitatem. Ita Val. Max. *l. 8. c. 1.* Cicero in *Bruto* eum numerat inter claros Oratores. Fuit etiam Poeta, de quo Ovid. *l. 2. Trist.* Hic Bithyniae Gubernator sub C. J. Caesare creatus, Poetam Catullum secum duxit in Provinciam, ut ipse Catullus testatur, et Martialis *lib. 12. Epig.* indicat, eum Patronum virorum litteratorum fuisse, et in eos munificum. Fuit Trib. pl., et Praetor, qui repulsam passus fuit in petitione Consulatus. Ei suum Poema dicavit Lucretius. De eo, et de aliis ludicris Scriptoribus Plin. Caecil. in *Epist. ad Aristonem*. Gel. *lib. 19. c. 9.* narrat, a Graeco quodam juvene Asiatico notata fuisse tanquam dura ejus Carmina, ut Naevii implicata, Hortensii invenusta, et Cinnae illepida. Ex quo intelligitur, (quod etiam animadvertit Gel.) Graecos litteratos Latinarum litterarum ignaros neutiquam fuisse, ac Athenis, postquam Romanis subjectae fuerunt, Romanam litteraturam in pretio fuisse, et potuisse Graecos de Poetis Rom., Oratoribus, et Histor. judicare. Inter Cic. *Epist. ad famil. lib. 13.* legitur *Epist.* ad C. *Memmium*. Hic exsul fuit in Patrarum urbe, lege Pompei *de ambitu* postulatus, et damnatus. (Ita Appianus de *bello civili l. 2.*) licet a Cic. defensus. Ejus *OO.* non exstant.

Memor, Poeta Trag. frater Turni, Poetae Satyr., de quo Mart. *l. 11. Epig.* Raderus in *Comment. ad Mart.* affert nonnulla *Memoris* carm. Planciades Gram. citat ejus Trag. *Hercules*, quae desid. Fuit statua ornatus.

Memorialis (Marcel.), vir doctus, electus ad lucubrandum Breviarium Actorum Collationis, Carthagine habitae inter Cathol., et Donatistas, Marcellino Praeside sub Honorio an. Christi 411.

Corollarium IV.

Memoriae Artem, a Simonide inventam, plures ex Rom. litteratis excoluisse arbitror, quos inter recenseri possunt Q. Hortensius, et M. Seneca. Magnam Memoriae vim cum magno ingenio conjungi posse, ostendit Famianus Strada in altera ex suis Prolusionibus, ubi mentionem facit singularis memoriae Francisci Suarezii, Hispani, tunc Theologiam Romae docentis, cum ejusdem acutissimo, et solidissimo ingenio conjunctae, experimento facto in Operibus S. Augustini, quae Eximius ille Doctor memoria tenebat, ut etiam Opera ab ipso edi-

ta 20., et eo amplius, magnis voluminibus. Themistocles ajebat, se malle Artem obliviscendi discere, quam Artem reminiscendi. Vide Sen., in Prooem. *Librorum Controv.* Cic. *l.* 1. *Tusc. QQ.* Quintil. *l.* 10., et 11. Plin. *l.* 7. *H. N.* De *Memoria* haec Seneca *l.* 7. *de Benef. c.* 28. *Fragilis est Memoria, et rerum turbae non sufficit: necesse est, quantum recipit, emittat, et antiquissima, recentissimis obruat.* Vide plura de *Memoria* legi digna apud Cael. Rhodiginium *lect. antiq. lib.* 10.

Memorius, Episc. Capuanus, S. Aug. amicus, vir doctus, et pater Juliani, Pelagiani dogmatis acuti propugnatoris, contra quem S. August. scripsit. V. *Julianns* in *J.*

Menander, Simonis Magi discip., ac magister Basilidis, et Saturnini haeret. Vide *Saturninus* in *S.*

Menander (Arrius), Septimii Severi, et ejus filii Caracallae temporibus inter Jurisconsultos celebris, et Caracallae consiliarius. Scripsit *de re militari libb.* 4., ex quibus nonnulla fragm. in *Pand. Justin.* manent. Ejus mentionem facit, ut dictum est, Aemilius Macer in scriptis suis.

Mendes (Asclepias), Ethnicus Theol. Hujus *libri de rebus divinis* citantur a Suet. in *Vita Aug. Caes. c.* 94., in quibus de Acciae Augusti matris somnio. Liber ille periit, vel latet.

Menelaus, Mathem. magni nominis sub Trajano in fine 1. Eccl. seculi.

Mento, Rhetor, cujus Sentt. affert Sen. in *Controv.*

Messalla (Vipsanius), alter ex interlocutoribus in *Dial. de Orat.* Aquilii Reguli frater. Utriusque eloquentia illic laudatur. Sub Vespas. floruit, et fratrem accusatum valde juvenis defendit. V. Tac, *Annal. l.* 4., ubi ait, eo die magnam eum eloquentiae, et pietatis famam adeptum fuisse. *Historiam* edidisse indicat Tac. *lib.* 3. *Ann.* Ejus OO. desid.

Messalla, Orator doctus, et potentiss. sub Alex. Severo, qui cogitavit, ei in uxorem tradere Theocliam, sororem suam. Ita Lampridius. Ex quo intelligitur, eum nobiliss. etiam fuisse.

Messalla (M), Augur erudititss., qui *libb.* edidit de *Auspiciis* citatos a Gellio *lib.* 13., *c.* 13., *et* 14. *NN.*, in quibus locis plura verba ex illis affert. *Libri Messallae* perierunt, vel latent.

Messalla (M. Val. Corvinus), Senator, Phil., et Orator, Triumviris formidabilis ob suam auctoritatem. Postea tamen Augusto rerum potito reconciliatus, Augur, Cos., et Praef. urbis fuit. De eo fit mentio in *Dial. de Orat.*, et Quint. *l.* 10. tradit, eum multa ex Graeco in Lat. vertisse, ibidemque eum laudat, et notat. Triumphavit de Gallis. Ad eum est Horatii *Ode lib.* 3., et in *Epist. ad Pisones*, ut magnus Orator ab Hor. laudatur. De eodem etiam, ut de viro insigni *l.* 1. *Sat.* 6. fit mentio. In Velleji Paterc. *l.* 2. exstat magnum Messallae hujus encomium, ut etiam in M. Sen. *lib.* 3. *contr.* 12., ubi ait, fuisse ingenii exactissimi in omnium studiorum partes. Latini

serm. observatorem diligentissimum, et habuisse *pro Pithodoro* dissertiss. *Orationem*. De eo fit etiam mentio a L. Ann. Seneca in *Ludo de Morte Claudii*, ac a Cic. in quadam *ad Brutum Epist.* Per hunc Messallam fuit Augustus *Pater patriae* in Senatu, acclamatus. Suet. in *Augusto c. 58.* affert verba acclamantis, et Augusti responsum ad acclamationem, quae non sine lacrymis ab Aug. audita fuit. Jussu Aug. edidit *lib.* de *Augusti progenie*, qui exstat. Cetera ejus *OO.* desid. Obiit aetatis agens an. 63. V. C. an. 765. Ante mortem omnium, etiam proprii nominis, oblitus fuit. Ita Plin. *l. 7. c. 20. H. N.* Quod narrat Plin. de *Messalla,* possem ego narrare de Jesuita quodam ingeniosissimo, in Theologicis magistro meo: de cujus acutis, salsis, et extemporalibus Dictis, si collecta fuissent, quemadmodum a C. J. Caesare collecta fuerunt Dicta acuta Ciceronis, potuisset ingens volumen scribi. De Messalla, qui obiit in medio principatus Augusti, Ovidius ejus amicus agit *Epist. l. 1. de Ponto*: idemque ejus jam mortui laudes cecinit carminibus, quae non exstant. De illis vero mentionem facit *Epist. 7. l. 1. de Ponto* ad Messallinum ejus filium.

Metellus (Q)., Vir Consul. Auguralis, Censorius, et Triumphalis: *Macedonicus* a devicta Macedonia dictus. Egregiis animi dotibus, ac militari arte, atque virtute claruit. Fuit felicissimus. V. Val. Max. *l. 7. c. 1.*, qui narrat, ea, quae eum inter mortales felicissimum reddiderunt. De eo ait Plin. *lib. 7. H. N.* a 4. liberis illatum esse rogo, uno Praetore, tribus Consularibus; ex quibus, duo triumpharant, et unus fuerat Censor. De eo etiam Plut. *de Fortuna Romanorum* agens, et *Caecilium* eum appellans: additque, duos Consulares generos, et nepotes ornatissimos habuisse.

Metellus (Q), *Numidicus* dictus a devicta Numidia, de qua Romae triumphum egit. Fuit non eloquentia minus, quam milit. gloria conspicuus. De ejus *Orat.* in CN. Manlium meminit Gel. *l. 6. c. 11.*: et *lib. 15. c. 14.* citat Metelli *lib. 7. Accusationum*. Ab eodem Gel. memoratur ejus *Orat. de ducendis uxoribus*, in qua quidnam in ea a nonnullis fuerit reprehensum tradit. Fuit exsul, et in exsilio scripsit *Epist. ad Domitios*, quae citatur a Riccobono in *Notis ad Cl. Quadrigarium*. Vide *Praeconinus* in *P.* Incertus haereo, utrum is sit *Q. Metellus Celer*, anve hujus frater *Q. Metellus Nepos*, vel horum pater, aut avus? Hoc scio, omnes Coss. fuisse, et *Nepotem* quidem, cum Cicero exsulabat. Ad utrumque sunt Cic. *Epistt.*, quae indicant, ambos insignes Oratores fuisse, et complures *Oratt.* habuisse. Cicero de *Claris Orat.* haec habet: *Q. Metellus is, cui 4. filii consulares fuerunt, in primis est habitus eloquens, qui pro L. Cotta dixit, accusante Africano, cujus aliae Orationes, et contra Tib. Gracchum, expositae sunt in Fabii Annalibus*. Verum haec ad primum *Metellum Macedonicum* spectant. Ad eundem forsitan spectat gravissima, et sublimis *Q. Metelli* de devicta Carthagine sententia, quam vide apud Val. Max. *lib. 7. c. 2.* Naevius Satyras contra *Metellos* scripsit,

in quibus dicebat, *Metellos* fortuna, non merito, Consules factos fuisse. V. *Naevius* in *N*. Omnes hi *Metelli* ex eadem familia illustrissima, et fortunatissima fuerunt. Verum eorum consanguinitatis gradus me latent, et malo de illis dubitare, quam errare, eos assignando.

S. *Methodius*, Olympi Lyciae, et postea Tyri Episc. valde doctus, qui, vel sub Decio, et Valeriano, vel sub Dioclet. Martyr occubuit. Scripsit contra Porphyrium, et Origenem. V. S. Hieron. de *Script. Eccl.*

Metius. Vide *Tarpa* in *T*. citatur sub hoc nomine, ut Scriptor in *antiqua Terentii Vita*, vel Donati, vel Suetonii.

Metronactes, Phil. De ejus immatura morte querebatur Lucilius in *Epist*. quadam ad L. Ann. Senecam, qui hac occasione de brevi, et longa vita plura disserit *Ep. 94*. ad Lucil. Alia de hoc Phil. ignoro.

Metrodorus, scripsit 15. libros de zonis, quos citat Servius in *Commentariis ad Georgica Virgilii*.

MI

Militaris Ars. De ea proculdubio multi ex Romanis scripsere, quorum OO. desid. Haec ars erat Romanorum propria, qua totum pene orbem subegerunt. De nonnullis Operibus, quae exstant, ac de aliis, quae non exstant, quibus haec Ars a Romanis Scriptoribus fuit illustrata, sparsim in hoc *Syllabo* fit mentio. Vide *Romani* in *R*.

Millenarii, sive *Chiliastae*, haeretici Cerinthiani erant, qui sub S. Sixto Rom. Pont., et Hadriano Imp. docebant, Christum post Resurrectionem 1000. an. regnaturum in terris, Sanctosque, cum Christo victuros, fruentes omnibus deliciis, et corporis voluptatibus. Patres, qui *Millenarii* dicuntur, doctrinam de Corporeis impudicis voluptatibus neutiquam tradiderunt.

Miltiades, vir litteratus, qui sapienter scripsit *Apologiam pro Christi religione* sub Commodo, qui a Christianorum caede abstinuit. Eum Sophistam Ecclesiasticorum in bono sensu appellat Tertullianus. Scripsit insuper contra Montanum, et fanaticas ei devotas foeminas Priscillam, et Maximillam.

Mimerius, Monachus, vir eruditus, ad quem scripta aliqua misit S. Hier. Videtur facundus Orator fuisse, ut indicat S. Hieron.

Mimi; et *Pantomimi*, Comoediam gestu totius corporis membrorum representabant, actionem dictis respondentem, et congruentem adhibentes: quod sine multa eruditione praestare non poterant. Exstat vetus Epigramma de *Pantomimo*, cujus postremum Distichon est hoc:

Tot linguae, quot membra viro: mirabilis ars est,
Quae facit articulos, ore silente, loqui.

Verisimile est, multos eorum, Auctores, et Actores fuisse Mimicarum Comoediarum, quas dabant: quod de *Laberio* notum est. Inter Mimicarum Fabularum ad populi oblectationem Actores, clari in primis fuerunt, praeter *Aesopum*, et *Roscium*, *Metrodorus*, et *Sorex* L. Syllae gratissimi. Item *Acilius*, memoratus in antiqua Inscriptione, (quam affert Vossius) *Archimimus* dictus: *Lentulus*, homo ne-

quam Domitiani aevo, qui ob sua flagitia e cruce pependit, de quo Mart. in *lib.* Epigr. de *Amphitheatro*, S. Hieron. ad Sabinianum, et Tertul: *Latinus*, cujus Epitaphium affert Mart. *l. 9. Epigr.*, et floruit sub Domitiano: *Hostilius*, de quo Tertul. in *Apolog.*: *M. Marullus* sub Antonino Phil., de quo etiam Capitolinus, et Servius in *Virg. Eclogas*. Recenseri etiam inter Mimos potest *Diphilus* Tragoedus, de quo Val. Max. *l. 6. c. 2.*, et Cic. ad Atticum *Epist. 19. l. 2.* Inter Graeca Epigram. legitur hoc in *Memphim* Pantomimum, in Arte sua parum peritum:

Saltavit Nioben: saltavit Daphnida Memphis.
Ligneus, ut Daphne: saxeus, ut Niobe.

Vide *Bathillus*: *Histriones*: *Juvenalis* in suis litteris.

Mindius, Rhetor, de quo M. Sen. *Declam. 2. l. 4.*

Minervius, Rhetor Burdegal., de quo S. Hier. in *Chron.* ad an. Christi 349. ait, Romae florentissime docuisse. Eum Symmachus laudat *l. 4. Epistolarum*.

Minnermus, Poeta, edidit *libros 2. Elegiarum*, qui citantur ab antiquo Horatii Commentatore.

Misitheus, Vir doctiss., et disertissimus, cujus filiam duxit Gordianus junior Imper. ad an. Christi 238. Sub ejus ductu puer Imperator vicit Persas an. imperii 5. Hanc victoriam *Misitheo* deberi scripsit Gordianus Romano Senatui, cujus jussu Arcus Romae erectus, in quo scriptum fuit: *Misitheo, eminenti viro, Praef. praet. Parenti Principum*. Magnus hic vir insidiis Philippi Arabis peremptus fuit, et non multò post itidem optimae indolis Princeps Gordianus. Ita Zosimus.

Mithridates, Rex Ponti, qui multos annos cum Romanis pugnavit, et tandem a Pompejo victus fuit, 22. linguis loquebatur, quas inter, Latinam non praeteriit. Vide Gel. *l. 17. c. 16.* Fuit in re Medica peritissimus. Plin. *l. 23. c. 8. H. N.* meminit *Comment.* ab eo scriptos, quos Pompejus in ejus scriniis invenit, et in Latinum verti jussit a liberto suo Lenaeo: quae versio desid. Superest solum lucubratio de *Antidoto*. Haec constabat ex duabus nucibus siccis, totidem ficis, rutae foliis 20. simul tritis, cum grano salis: quae siquis jejunus sumat, nullum ei venenum nociturum tradit. Haec Antidotus *Mithridatica* dicta, celebratissima fuit. Ita Gel. loco citato. *Mithridates* saepe anatibus Ponticis, quae venenis pascuntur, vescebatur, et earum sanguinem remediis contra venena addebat. Gladio se occidit, quia veneno assuetus, eo se necare nequivit. In Fragm. *Hist. Sallustii* reperitur *Epist. Mithridatis* ad Arsacem regem, in qua multa dicit contra Romanos, cum quib. per an. 40. varia fortuna bellum gessit. Vide *Asclepiades* in *A.*

MN

Mnesteus, Valeriano a litteris secretioribus, insidias hero suo struxit, quibus hic periit an. Imp. 6. Ita Vopiscus.

Moderatus, patria Gaditanus, a Columella diversus, scripsit Graece Philosophica. Erat secta Pythagoricus, et Columellae aequalis.

Modestinus (Herennius), Jurisconsultus, Papiniani discip., et Juris Professor, aequalis Ulpiani, Alex. Severo a Consiliis, et ei valde acceptus, multisque honoribus ab eo cumulatus. Fuit etiam Maximini Junioris in jure magister, ac usque ad Gordiani imperium instar Oraculi consulentibus de Jure respondit. Erat valde versatus in Graeca, et Romana lingua, et Poeta dicitur fuisse. Graece scripsit librum de *Excusationibus*: Latino autem sermone plurima Jus illustrantia reliquit. *Differentiarum* puta *libb. 9.*: *Excusationum libb. 6.*: *Regularum libb. 10.*: *Responsorum libb. 19.*: *Pandectarum libb. 12.*: *De Poenis libb. 4.*: et de *Dotis differentia. lib.* singularem, ac alia plurima. Verum ex tot Operibus solum fragm. supersunt in *Corpore Juris*. Hunc fuisse postremum inter insigniores Jurisconsultos Romanos tradit Gravina.

Modestus (C. Jul.), Hygini libertus, Patroni sui in doctrina aemulator. Gel. *lib. 3. c. 9.* citat ejus *lib. 2. QQ. confusarum*, in quo narrabatur historia de Equo Sejano plane singularis, ex qua proverbium de hominibus calamitosis ortum: *ille habet Equum Sejanum*; qui enim equum istum possederunt (plures nempe viri praeclari) omnes ad unum adversum fatum subierunt. Scripsit item de *Feriis* librum memoratum a Quintil. Gel., et Diomede. Suet. tradit, valde pauperem fuisse, et a C. Licinio sustentatum. Forsitan hic est *Modestus*, de quo Mart. *l. 10. Epigr.* in Crispum, indicat, magna perspicacia, et intelligentia, etiam rerum obscurarum, praeditum fuisse.

Molo (Apollonius), patria Alabandensis, *Rhodius* dictus, quia Rhodi diu vixit. Fuit eloquentiae magister Romae egregius, cujus alumnus Cic. in adolescentia fuit. Tanti ejus eloquentiam faciebat Cic., ut, cum jam inter caussarum patronos clarum haberet nomen, eum Rhodi, quo concesserat, denuo audire voluerit, seque illi reformandum, ac veluti recoquendum in Oratoria dederit. Cic. *de Cl. Orat.*, eum Actorem summum caussarum, et Magistrum appellat. Ex quo intelligitur, eum in foro Romano caussas egisse. V. Quint. *lib. 12. Instit.* Ei concessum fuit in Senatu sine interprete Graece loqui, quod nemini ante eum fuerat permissum. Ita Val. M. *l. 2. c. 2.*

Mommius, Poeta *Attellanarum* Scriptor. *De* eo Macrob. in *Saturn.* ait, post Novium in *Attellanis* eum insignem fuisse existimatum. Forsitan hic est *Mummius*, facili unius litterae in nomine immutatione, inter Mimos a Vossio recensitus.

Moneta, Romana antiqua, vide *As*: *Denarius*: *Numa*: *Sestertium* in suis litt.

Montanus (Votienus), Narbon. Orator celebris: ingenii vir a Tac. appellatus *l. 4. Ann.* Ob contumelias in Tiberium majestatis poenas tulit. S. Hier. in *Chron.* tradit, in Balearibus exsulem obiisse. De eo Sen. in *Controv.* ait, Sententias repetendo corrupisse. Scaurus *Ovidium inter Oratores* eum appellabat.

Montanus (Curtius), Orator, et Poeta. De eo Tacitus *l. 4. Hist.* afferens nonnulla ab eo in Senatu Acta, vivente Vespas., et Praetore Domitiano. Idem Tac. narrat *l. 16. Ann.* magna vi accusatum a Marcello ob detestanda carmina ab eo edita. Oravit contra Aquilium Regulum. Ita Tac. *l. 4. Hist.* Ad eum est Plin. Caec. *Epist. l. 7.*

Montanus (Jul.), Poeta non contemnendus, Tiberio carus. De eo L. An. Sen. *Epist. 123.*, in qua nonnulla ejus carm. affert, et ait, frequentissime ortus, et occasus Solis mentionem suis versibus inseruisse. Hac occasione narrat, Natam Pinarium, hominem facetum, cupidum eum audiendi, dixisse: se paratum esse eum audire ab ortu ad occasum Solis. Alia narrat satis arguta in Butam quemdam, qui vita in contrarium circumacta, noctu vigilabat, et interdiu dormiebat, a Varo dicta, auditis versibus *Montani* de ortu Solis, et occasu. Eam vivendi rationem Romae jam tum usitatam carpit Sen. *Epist.* praefata. Non audeo dicere, hunc *Montanum* esse, de quo Ovid. *l. 4. de Ponto Ep. 16.* cecinit:

Quique, vel imparibus numeris, Montane, vel aequis,
Sufficis, et gemino carmine nomen habes.

De eodem ait M. Sen. in editione Gothofredi *l. 7. Contr. 1.* fuisse comem, et egregium Poetam.

Montanus haeret. Vide *Cataphrygae* in *C.*

Moschus, Rhetor, veneficii accusatus, a Torquato Oratore defensus. V. *Torquatus* in *T.*

MU

Mucianus, (non *Mutianus*, ut nonnulli scribunt). De eo in *Dial. de Oratt.* narratur, contraxisse complurium Oratorum *Orationes* in bibliothecis repositas, *13. libris*, et *3. libris*, *Epistolas*. Ex quo licet intelligere, *Orationes* habitas, vel pro rostris, vel alibi, asservatas diligenter in Romanis bibliothecis fuisse, ut etiam innumeras virorum doctorum *Epistt.* Haec *Collectio* desid.

Mucianus (M. Licin. Crassus), Histor. Ejus *Histt.* citantur a Plin. non semel in *Hist. Nat.* Fovit partes Vespasiani, a quo ob merita sua consors imperii factus, et III. Cos. fuit. Ejus *Hist.* desid.

Mucianus (P. Crassus), inter felicitatis exempla recensitus a Plin. Fuit quippe Cos. Pont. Max. ditissimus, eloquentiss. Jurisconsultissimus, et nobiliss. Ita Historici Rom., (quos inter Sempronius Asellio) citati a Gel. *l. 1. c. 13. NN.* Vixit sub Nerone, Galba, et Vespas. Ejus *OO.* latent, vel perierunt.

Corollarium V.

Mulieres Romanae, sub Heliogabalo suum Senatum in Quirinali habuerunt, quem *Senatulum* appellabant, in quo plura ridicula agebantur, et decernebantur. Matri suae Semiamirae, Heliogabalus locum in Senatu dabat, eamque sedere faciebat in Consulum subselliis, frementibus Senatoribus. Mox cautum fuit, ne Mulieres in Senatum ingrederentur, et diis inferis devovebatur caput illius, per

quem id esset procuratum, et factum. Lege etiam cautum erat, ne foeminis revelaretur, quod in Senatu agebatur. Nota est Praetextati pueri lepida fabula, qua matris curiositatem fuit cavillatus. Vide *Foeminae* in *F.*

Munatius, alter ex comitibus litteratis Tiberii in expeditione militari ad Orientem. De eo *Hor. Epist. l. 1.* Tiberii, juvenis tunc, comites vocat Horat. *studiosam cohortem*.

Corollarium VI.

Municipia. Horum jura ignota esse Gel. indicat *lib. 16. c. 13.*, ubi tradit, secundum aliquos melioris fuisse conditionis, quam Colonias, pluresque Rom. Colonias Municipia fieri petivisse, ut etiam plura *Municipia* Colonias fieri. Adrianus Imper. mirabatur, Italicenses, et Uticenses Municipes, petivisse Colonos fieri. Vide *Coloniae* in *C.*

Muraena (Licinius), uxoris Mecoenatis frater. De eo *Horatius lib. 3.* Odarum.

Musa, Rhetor, et Declamator, notatus a M. Sen. in *Praef. l. 1.*, et *5. Contr.* Ejus Sententias affert *l.* mihi *7.* Eum ingeniosum, sed turgidum dicit.

Musa (Ant.), Augusti, et ut puto, Agrippae Medicus. Ei a Senatu statua fuit posita, quia Augustum bis a gravi morbo liberarat. Fuit Asclepiadis discip. De eo Hor. *l. 1. Epistt.*, et Plin. *l. 19. H. N. Musae OO.* desid., inter quae *liber de Betonica*, Agrippae, Augusti socero, dicatus.

Musaeus, Poeta valde impudicus, de quo Mart. *l. 12. Epigr.* Servius in Virg. citat *Musaei* carmen *Crater* inscriptum.

Corollarium VII.

Musica. De ea plures Romanos antiquos scripsisse (inter quos Plut., et Macrobius in *Somnium Scipionis*) nullus dubito. Paucissima tamen Opera de ea supersunt. Quae pro, et contra *Musicam* ab antiquis dicta sunt, vide apud Cael. Rhodig. *lect. antiq. lib. 9. c. 1. 2.*, usque ad 10.

Musonianus, vir doctus, quo usus est Constantinus M. ad limatius noscendas superstitionum sectas, ut Manichaeorum, et similium. Erat enim utriusque sermonis facundia clarus, et sectarum omnium notitia instructus. Vide Ammianum Marcel. *l. 15.*, et Cael. Rhod. *l. 20. lectt. antiq.*

Musonius, Phil. Etruscus, probitate, et doctrina clarus. Romae docuit, cujus auditor fuit A. Gel., qui plura ab eo sapienter dicta narrat *lib. 5. c. 1.*, et *lib. 16. c. 1.* Floruit sub Vespas., et filiis. Cum Vespasianus Philosophos Roma expulit, *Musonium* excepit, qui fuerat a Nerone exsilio multatus, et Romam redierat. Forsitan ex eadem familia fuit

Musonius, Christianus litteratus, et Athenis magister, docendi munere a Juliano Apostata privatus, quia Christianus erat. Ita Eunapius in *Vita Proaeresii*.

Corollarium VIII.

M, non solum littera apud priscos Rom. erat, sed etiam numeri millesimi nota, quae facta fuit ex conjunctione duorum numerorum, quorum unusquisque numerum quingentesimum indicabat, sic *CIↃ.*: ex qua numerali nota postea coaluit *M* pro *Mille*. Poetae Latini euphoniae studiosi, quoniam littera *M*, in fine pronunciata, mugitum quemdam secum in sono affert, vocabula in *M.* finita, vocali subsequente, per ellipsim elidunt. In compositis mutatur, tum in scriptura, tum in pronunciatione in *N* ante litteras *D*, *T*, *C*, *Q*, etiam in derivatis, ut *Idem* in *Identidem* non *Idemtidem*: *Tantum* in *Tantundem*: *Eorum* in *Eorundem*: *Num* in *Nuncubi*, *Nunquam*, *Quanquam*, *Quicunque* cet. Item *Am* ante *F* mutatur in *N*, ut *Anfractus*, pro *Amfractus*. Littera *M* non solum erat Millenarii numeri nota, quam saepe multiplicabant, sed, et per hanc litteram indicabant praenomen *Marcus*, et agnomina *Magnus*: *Maximus*, et Christiani etiam *Martyr*.

NA

N*Arcissus*, Libertus, et ab Epistolis Claudii Caesaris, fuit Praetorio munere decoratus. Ita Suet. in *Claudio c. 28*. A militibus tumultuantibus, ad quos sedandos a Claudio missus fuit, cum suggestum oraturus ascenderet, dicteriis, et scommatibus irrisus fuit. Ita Dion Cassius. S. Paullus in *Epist.* ad Romanos salutat eos, qui sunt ex *Narcissi domo*, quae forsitan domus ipsa *Claudii* erat, in qua ipse, Claudii gratia florens, in primis dominabatur.

Nasica (P. Scipio), Orator, Orationem habuit, teste Livio *lib. 38.*, plenam verbis decoris, non communiter Corneliae gentis, sed propriae familiae suae, quae *Oratio* desid. Ex hoc intelligitur, quid intersit inter Gentem, et Familiam, ac Scipionis familiam ex gente Cornelia fuisse. Hic adhuc adolescens a Senatu fuit vir optimus judicatus, et cujus ductu postea Tiberius Gracchus, seditiosus Trib. plebis subselliorum fragmentis in concione occisus fuit sine publica auctoritate.

Naso (Actorius), citatur a Suet., ut Historicus in *Vita C. Caes. c. 9.*

Nata (Pinarius), Sejani cliens, alter ex Oratoribus, qui Cremutium Cordum accusarunt. Ita Tac. *Ann. l. 4.* Vide *Montanus* in *M.*

Naevius (CN.), antiquus Poeta Campanus, qui fl. circa an. V.C. 520., scripsit *Annales*, *Comoed.*, *et Tragoed.* satis dura, et obsoleta Latinitate. Earum titulos vide in collectoribus *Fragment. Poet.* Vide etiam Gel. *l. 19. c. 7. NN.*, ubi plura vocabula sordida *Naevii*. Sedigitius ei 2. locum dat inter Comicos. Cicero in *Epist. ad Catonem Uticensem* citat ex *Naevio* illud = Laetus sum, laudari me abs te, pater, laudato viro = In *Oratore* citat *Naevium* inter Poetas, qui in versu faciendo saepe hiabant, et pro exemplo adducit hunc *Naevii* versum.

Vos, qui accolitis Histrum fluvium, atque algidum.

In *Dial. de Senect.* adducit etiam versum *Naevii* parum concinnum. Edidit hexametris Poema inscriptum *Iliados Cypriae*, ex quo Sosipater hunc versum affert,

Collum marmoreum torquis gemmata coronat.

et Priscianus hunc:

Faecundo penetrat penitus, thalamoque potitur.

Varro in *libris de Latina lingua* saepe *Naevii* verba affert. Plura ex *Naevio* fragmenta citantur, et adducuntur ab antiquis Grammatt., et a Gellio Epitaphium, quod sepulchro suo inscribi voluit Campana superbia ab illo compositum. Metellis fuit infensus, et in eos, ac in alios viros Romae primarios *Satyras* vulgavit, ob quas fuit in carcerem retrusus, et postea exsilio multatus, obiitque Uticae exsul. Alter ex Metellis carmina in eum scripsit. Inter quae illud memoratur:

Dabunt malum Metelli Naevio Poetae.

Ex quibus intelligi potest, ante Lucilium Satyras scriptas fuisse: cum *Naevius* antiquior Lucilio *Satyras* ediderit, quae ei non levia mala attulerunt. *Naevii* Poemata desid. Supersunt solum fragm., et integrum Epitaphium, quod sepulchro suo inscribi voluit, quo dicitur: mortuo *Naevio*, Romanos loqui Latine nescituros. Illud affert Q. Moder. Censorinus in *Parad. de Vita*, et *Morte Lat. Linguae*. *Dissert.* 3., ubi plura etiam in *Adnot.* ad eam, de *Naevii* Latinitate, ex Gellio, loco jam citato.

Naucratia, Gram. sub Commodo, ad quem scripsit *Onomasticon*, cum Athenis doceret.

Corollarium I.

Nautica Ars. Eam ignorasse Romanos dici non potest; cum tot victorias maritimas, ex Carthaginensibus praesertim, classibus suis reportarint. De hac autem Arte vix quicquam scriptum invenio in antiquis Scriptoribus Romanis, qui ad nos pervenerunt. In arte Nautica, tum quod ad navigandi peritiam, tum quod ad navium structuram pertinet, multo peritiores sunt nautae hodierni antiquis Romanis, Poenis, Phoenicibus, et Aegyptiis. De Aegyptiis magnis navigiis classis M. Antonii in Actiaca pugna, castellorum, et urbium specie, quae, non sine gemitu maris, labore ventorum ferebantur, constantes a senis ad novenos remorum ordinibus, vide Florum *lib.* 4. *cap.* 11. Acus nautica, qua navigationes suas ad certos portus dirigerent, ignota illis fuisse videtur, ut etiam Poenis, qui ex Phoenicibus Nauticam artem didicerunt. Ignotam autem eam fuisse antiquis Phoenicibus, qui Salomonis naves gubernabant, vix crediderim: cum multa eos ex omniscio Salomone, ad rectam navigationem spectantia, didicisse simillimum vero censeam, et a Salomone hoc naturae secretum, in Magnete situm, neutiquam ignoratum putem. Illud novimus, eos stellam polarem in navigationibus diligenter observasse.

Nazaraei, haeretici, primo Eccl. seculo docebant cum Cerintho, et Ebione, legem veterem cum nova servandam esse. *Nazaraeorum* Evangelium a S. Hieron. citatur.

Nazarius, Rhetor sub M. Constantino: quem Romae laudavit Oratione Panegyrica, ei absenti dicta, quae superest, quin de aliis *Nazarii* Operibus aliquid ab antiquis scriptum legatur. De eo meminit S. Hier. in *Chron. Euseb.* ad an. Christi 328., ubi eum insignem Rhetorem appellat. Meminit etiam de eo Ausonius in Epigram. de Professorib. Burdegal. Habuit filiam, virginem Christianam, *Eunomiam* dictam, in eloquentia, patre non inferiorem. Ita S. Hieron. in *Chronico Euseb.* ad an. Christi 339.

NE

Necepsus scripsit de *Cometarum differentiis*, et citatur a Servio in Virg.

Nemesianus, Poeta Charthag., qui fl. an. post Christum 280. Hunc arbitror fuisse *Aurelium Olympium Nemesianum*, qui sub Numeriano, et Dioclet. edidit *Cynegetica*, *Nautica*, *Halieutica*, et *Eclogas*. Ex his supersunt *Cynegetica*, seu de *Venatione*, Opus heroico carm. ad Carinum, et Numerianum, Cari Imperat. filios, scriptum, et *Eclogae 4.* Cum eo de Poetica laude certare dignatus est Numerianus Imperator, cui valde carus erat. Usus fuit satis culta latinitate, et ejus Opera Hinchmari aetate in scholis legebantur. Vide *Calpurnius* in C. Sunt qui dicant, Nemesiani Opera, quae exstant, Actio Sincero Sannazario deberi. Sunt etiam qui *Nemesiano* tribuant aliqua Calpurnii Siculi Opera, et contra.

Nemesis, Poetria, *Delia* dicta, Tibulli amica, et ab eo celebrata. Formosa appellatur a Martiale *l. 8. Epigr.* De ea Sidonius Apollin.

Nepos (Licinius), Rhetor. De eo meminit Sen. in *Suass.*

Nepos (P. Val.), Orator, alter ex accusatoribus Milonis, quem defendit Cic., quin potuerit eum sententiae damnationis eripere. Milonis accusatores alii; fuerunt *Appius* major, et M. Antonius. Milo damnatus, Massiliae exsul est commoratus. *Oratio pro Milone* dicta non fuit a Cicerone, amicorum Clodii occisi armis perterrito, prout nunc legitur.

Nepos (Metellus), Trib. pl. Ciceronis inimicus, qui saepe contra Ciceronem oravit, et noluit, Ciceronem, finito Consulatu, *Orationem* ad populum habere, sed solum jurare. Erat Metelli Celeris, amici Ciceronis, frater. Vide *Epistolas* Ciceronis ad Celerem *l. 5. Famil.* Vide etiam *Metellus* in *M.* Cum corvum magistri sui sepulchro insculpere fecisset Nepos, dixit Cicero: *Digna retributio*: *Metellum enim volare, non orare docuit*: quo notavit inconstans, et volubile *Metelli* ingenium.

Nepos (Corn.), Veronensis, T. Pomp. Attici, Ciceronis, et Salustii amicus. Huic dicavit Daretis Phrygii *de bello Trojano* Historiam, quam in Latinum conversam edidit: si tamen haec versio subdititia non sit, ut putant nonnulli. Scripsit plura, quae interci-

derunt. Inter ea numerantur *Vitae excellentium Roman. Imper.*: quo de Opere ipse loquitur in fine *Vitae Hannibalis*. Item *Regum Vitae*, de quib. in *Vita Timoleontis*. S. Hieron. in *Praef.* ad *lib. de Scriptor. Eccl.* indicat, *Nepotem* de Graecis, et Latinis Scriptoribus *lib.* edidisse, qui desid. Gel. *l. 15., c. 28. NN.* citat *Nepotis lib. 1. de Vita Ciceronis*, et *l. 8. c. 18. Libros exemplorum*, qui non exstant, uti neque *Annales*, citati a Gel. *l. 17. c. 21.* Item *Chronica*; at forsitan haec eadem cum *Annalibus* erant. *Chronicorum* fragm. nonnulla leguntur. De *Annalibus*, vel *Chronicis Nepotis*, valde brevibus, videtur loqui Catullus, qui ei librum suum dedicavit dicens:

Cum ausus es unus Italorum;
Omne aevum tribus explicare chartis,
Doctis, Jupiter, et laboriosis.

Suet. *de Ill. Gramm.* citat libellum *Nepotis*, quo distinguit Litteratum ab Erudito. Quae supersunt *Nepotis*, sunt pura, et eleganti Latinitate lucubrata. Nonnulli *Vitas excellentium Imperatorum* tribuunt Aemilio Probo. Verum haec opinio jam communiter improbatur a Criticis. Videtur ex illustri Corneliorum familia originem duxisse. Obiit principatus Augusti initio, ante Christum natum an. 30. V. C. 724. veneno a liberto Callisthene corruptus.

Nepotianus, Clericus valde eruditus, (teste S. Hieron.) Altinodori Episcopi nepos, qui in flore aetatis sancte obiit. Ejus *Epitaphium* scripsit S. Hieron.

Nero quidam, nobilis adolescens, et ingeniosus, Nyseorum Patronus commendatur a Cic. Silio Propraetori *l. 13. Epist. famil.*

Nero (Domitius), Rom. Imperator post Claudium, seu potius Romani Imperii monstrum, Romae natum, crudelitate, et vitiis aliis notissimum. Victorinus M. in Apocalipsim scribens existimat, eum futurum in fine temporum Antichristum, licet nonnulli *Commentarios in Apocal.* qui in *Bibliot. PP.* leguntur, *Victorini M.* esse negent. Tac. *l. 13. Ann.* ait, eum an. natum 16., ut honestis studiis, et eloquentiae gloria nitesceret, caussam Iliensium suscepisse, et impetrasse a Claudio, ut omni publico onere solverentur: ait etiam, eo orante, Bononiensi Coloniae, igne absumptae, a Senatu subventum centies Sestertium largitione. Verisimile est, has *Orationes* a Seneca, Neronis institutore, compositas, et a Nerone recitatas, ut aliae, de quibus postea. Ait enim Tac. ibidem: initio operam eloquentiae non dedisse, et *Orationem*, ab eo habitam in Claudii funere, et Apotheosi, compositam a Seneca fuisse, additque, tunc dictum: ex iis, qui rerum Romae potiti fuerant, primum *Neronem* fuisse, qui alienae facundiae indigeret. Nam eloquentes fuerunt omnes ejus Decessores C. J. Caesar, Augustus, Tiberius, C. Caligula, et Claudius. Poesim excoluisse, et Poetam sui temporis praestantissimum videri voluisse, Hist. Rom. tradunt. Vide *Lucanus* in *L.* Sed quam immerito hanc laudem ambierit, ostendunt Carm. nonnulla ampullata nimis, et tur-

gida, quae, celato Auctoris nomine, affert Persius in *Satyris*, et Neronis censentur. En illa:

Torva mamilloneis implerunt cornua bombis,
Et raptum vitulo caput ablatura superbo
Bassaris, et Lyncem Moenas flexura Corymbis
Evhion ingeminat; reparabilis assonat echo.

Initio *Vitae Domitiani* fit mentio a Suet. Neroniani *Poematis in Clodium Pollionem*, virum Praetorium, quod Poema *Lusio*, sive *Luscio* inscribebatur. In *Fragm. libri de Cl. Poetis*, qui Suet. tribuitur, ab Auctore antiquo *Vitae Lucani*, narratur, *Lucanum* in publicis latrinis (honor sit auribus) clariore strepitu ventris emisso, *Neronem* irridendo, recitasse, magna consessorum fuga, hemistichion quoddam versus *Neronis*: *sub terris sonuisse putes*. Urbem incendio, quod 7. dieb., et 7. noctibus duravit, delere funditus voluit, ut novam aedificaret, quam de suo nomine *Neroniam* appellaret. Instar magnae civitatis domum Romae extruxit, quae *aurea* fuit dicta, quia omnia, vel aurea, vel deaurata in ea erant. Ad domum hanc aedificandam innumeras civium aedes diruit, ob quod Poeta quidam hoc Distichon vulgavit:

Roma domus fiet: Vejos migrate Quirites,
Si, non, et Vejos occupat ista domus.

De Poëtica *Neronis* non convenit cum Tacito Suetonius. Hic de *Nerone* loquitur, tanquam de Poeta non contemnendo. Tacitus contra. Nihilominus affirmat *l. 15. Ann.*, Quinctianum conjurationi Pisonis in *Neronem* consensisse, propterea quod a *Nerone* probroso carmine diffamatus fuisset: et Philostratus mentionem facit de *Hymnis*, et *Tragoediis Neronis*. Dicitur etiam *Troica* scripsisse, quibus incendium Urbis, a se procuratum, expressit, quaeque ex altissima Moecoenatis turre Urbis flammas cum gaudio aspiciens, ad lyram canebat. Laudat quin etiam Suet. ejus in Mithridatem *Carmina*. Seneca autem in *QQ. NN. l. 1. c. 5.* commendat hunc *Neronis* versum:

Colla Cytheriacae splendent agitata columbae.

Medici fatentur, *Neroni* deberi inventum valde, salubre, et variis morbis pellendis utilissimum, potus aquae distillatae, et gelu, vel nive refrigeratae, nisi, si hoc inventum magistro ejus, L. Ann. Senecae, sit tribuendum. Ingenio eum praeditum fuisse satis vivido, et disciplinarum omnium capaci, si in eas studuisset, nemo inficias ibit, lecta ejus *Vita*. Verum, excepta Poesi, vix in alias ingenuas disciplinas incubuit. Animum nempe annis puerilibus detorsit ad ea, quae eum litteratum facere non poterant: ut caelare, pingere, canere, lyram pulsare, equos regere, histrionium agere. Vide Tranquillum in *Nerone*. Imperavit an. 14. Hostis patriae ob crudelitatem, et alia scelera a Senatu judicatus, et damnatus, se interemit an. Christi 68. Vide *Agrippina* in *A*. Primo sui imperii quinquennio tam bene se gessit, Trajano teste, ut nemo ullus ex optimis principibus eum aequaverit in recta Imperii administratione: cum scili-

cet magistri sui Senecae consiliis paruit. Vide Sen. in libris de *Clementia*. Postea innumeris vitiis se contaminavit, luxu praesertim, impudicitia, et crudelitate. Vide Suet. in ejus *Vita*. Plin. narrat, uno die tantum cassiae, aliorumque aromatum, et odorum combussisse quantum Arabia felix annuo foetu dare non poteat. 800. nummorum millia Tyridati diurna advictum, et expensas assignavit.

Nerva, Imperator, vir doctus. Apollonium Pythagoreum Phil. familiarem habuit, et veluti magistrum audiebat. Optimas leges tulit. Inter alias sancivit, ne mares castrarentur, quod etiam decreverat Domitianus, jussitque Magistratibus, ne quem insectarentur propter solam religionem. Imperavit an. unum, et menses aliquot. Obiit an. Christi 98., aetatis an 68. Ita Petavius.

Nerva (Coccejus), Jurisconsultus doctissimus, Nervae Imperatoris avus. Tacitus *lib. 6. Ann.*, de eo tradit, fuisse omnis humani, et divini Juris peritissimum. Fuit intimus Tiberii amicus: consilium autem moriendi cepisse, ait Tac., et abstinentia vitam finivisse, licet contrarium ei suaderet Tiberius. Mori autem voluisse creditur taedio crudelitatis, et rerum Tiberii, quas videre morte pejus aestimabat, secum reputans, fieri non posse, Tiberium monitis suis ad bonam mentem traduci, quod, ut optimus amicus, in primis optabat. Obiit an. Christi 34. De eo meminit Hor. *Satyr. l. 1. Sat. 5.*, missum fuisse a Senatu Brundusium ad M. Antonium, qui eam urbem obsidebat an. V. C. 713.

Nerva (M. Coccejus), Jurisconsulti filius, qui 17. aetatis anno publice de Jure consultus respondebat. Scripsit *libros de Usucapionibus*, quorum meminerunt Ulpianus, et Paullus in *Digestis*.

Nestorius, Constantinop. Praesul, haeresiarcha, a Conc. Ephes. Generali damnatus. Virus suum scriptis spargere coepit contra Christum, et Deiparam paullo post Honorii excessum, ut, non multo post, Eutiches suum, et iccirco de illis agere supersedeo.

NI

Nicanor (*Saevius*, vel secundum Macrobium in *Saturn. Suevius*) praeter *Commentarios*, qui Suetonii aetate jam perierant, scripsit *Satyram*, ex qua Macr. *l. 3.*, et *6. Saturn.* aliquot versus affert. Diversum hunc puto a Nicanore Alexandr., qui de *punctis*, quibus in scriptura utimur, scripsit.

Nicaena Synodus, sub S. Sylvestro, et Constantino M. celebrata, 70. canones edidit teste S. Athan. in *Epist.* ad Marcum R. Pont. Canones 30. fuerunt Graece editi: 30. Latine. S. Athan. orat Marcum, ut 10. alios auctoritate Romanae sedis roboret. Vide Dist. 16. Gratiani.

Nicetes, Sacerdos, et Sophista celebris, C. Plin. Caecil. magister. Hunc fuisse puto *Nicetem* Smyrnaeum, quem Adrianus Musaeo Aegyptio adscripsit. Antiquioris Nicetis, declamatoris insignis, meminit Seneca *Suas. 3.*

Nicia (Curtius), vir doctus. Cic. familiaris, ut constat ex Cic.

Epist. ad Dolabellam, et *Atticum*. Haesit Pompejo, et C. Memmio. Sed illum graviter offendit, et ei domo sua interdictum fuit a Pompejo ob suspiciones quasdam. Vide Suet. de *Illustr. Gram.*

Nicolaus, alter ex 7. primis Diaconis, a quo Nicolaitae haeret. 1. Eccl. Sec., qui docebant, uxores communes esse debere.

Nicolaus, Damascenus, Hist. Poeta, et Phil. Augusto valde carus. Athenaeus narrat, ab ejus nomine appellatas *Nicolaos* palmarum balanos ex Syria, et hoc nomen eis impositum ab Augusto, qui eis, ut *Nicolao*, plurimum delectabatur ob earum suavitatem, et venustatem. V. Cael. Rhodig. *l. 5. c. 6. lect. antiq.* Scripsit *134. libb. Hist.* quorum nonnulla supersunt fragm.

Nicomachus, vir eruditus, alter ex Interlocutoribus in Macrobii *Saturnalibus*.

Corollarium II.

Nicostrata, Evandri mater, *Carmenta* dicta, quia versibus dicitur nonnulla Opera scripsisse. Rom. Historici tradunt, eam Bellum Trojanum ante Homerum carmine cecinisse. Forsitan ejus *Carmm.* ad antiquos Rom. pervenerunt. Tradunt etiam, eam Latinas litteras invenisse. Verum non multum adlaborandum ei fuit in illis inveniendis; cum antiquae Latinae litterae non multum a Graecis differrent. Facta quidem nonnulla immutatio valde levis, quae processu temporis major effecta est, qualem nunc cernimus.

Niger (Aquilius). Citatur, ut Histor. a Suet. in *Augusto*. Ejus Hist. desid.

Niger (Brutidius), Histor. et Rhetor, cujus mentio fit a M. Sen. in *Suasoria de Morte Cic.*, et in *Controv.*, ubi ejus Sentt. referuntur, et in *Suass.* exstat ejus *Hist.* fragmentum.

Niger (M. Messalla), Orator, et Patronus M. Scauri, pro quo oravit una cum aliis Oratoribus.

Niger (Q. Caecil.), Siculus Orator, Libertinus, et professione Judaeus. Is contendebat in accusando C. Verre, cujus Quaestor in Praefectura Siciliae fuerat, Ciceroni praeferri. Verum victus fuit a Cicerone, qui ei dicebat: *Quid Judaeo cum Verre?* alludens ad legem Judaeorum de abstinendo a carnibus porcinis.

Nigidius, Rhetor, qui florebat circa tempora priscorum Oratorum, scripsit *de Gestu*. Ita Quint. *lib. 11. Orat. Instit.*

Nigidius (P), *Figulus* dictus, Varronis aequalis, eidemque in doctrina pene par. Erat Phil. Pythag. Medicus, et Gramm. clarissimus. Ejus OO. desid. In illis notat Gel. Styli obscuritatem. Valde commendatur a Cicerone in *Epist.* ad eum *lib. 4. Famil.*, ubi multa de ejus ingenio, et doctrina. Citatur a Suet. in *Aug.*, ut vaticinatus de *Augusto*, recens nato, eum orbis dominum futurum. Quo vaticinio postea creditum est, eum in Magia, et Astrologia valde versatum fuisse. Id Lucanus videtur indicare *l. 1. Phars.* de eo canens.

At Figulus, *cui cura Deum, secretique mundi*

Nosse fuit, quem non stellarum Aegyptia Memphis
Aequaret visu, numerisque moventibus astra.

In *Commentariis*, quos *Grammaticos* inscripsit, contendebat, inter litteras *N*, et *G*, et inter *N*, et *C* esse debere litteram mediam, vim novae litterae habentem. Pro quo statuebat, in dictionibus *Anguis*, *Ingenium*, *Angaria*, ut etiam in vocibus *Ancora*, *Increpo*, *Incurro* veram litteram *N* in prima syllaba non reperiri, sed adulterinam; quod ex pronunciatione colligebat; lingua quippe palatum non tangit, cum voces illae proferuntur. Vide Gel. *l. 10. c. 14.*, vide etiam *l. 10. c. 4.*, ubi Gellius *Nigidii* opinionem affert de Nominibus, et Verbis, tum Latinis, tum Graecis, qua putat, non positu fortuito, sed quadam vi, et naturali ratione facta esse: (quod clarius in Scholis dici solet, non ex hominum institutione, sed natura sua rerum signa esse), quae sane parum firmis rationibus statuere mihi videtur. Vide eundem Gel. *l. 5.*, qui citat *Commentarium 29. Nigidii*, ubi de Etimologia verborum *Avarus*, et *Locuples* disserit. P. Nigidium in exsilio obiisse nonnulli tradunt. Ad eum exsulem scribit Cic. spe reditus eum consolans, suam operam, et officia ad hoc ei pollicitus *lib. 4. Epist. Famil.* Cur ei attributum fuerit *Figuli* agnomen? Variae sunt Scriptorum opiniones.

Nisus. Scripsit *Commentarios in Fastos*. Ita Macrob. *l. 1. c. 12. Saturn.* Ejus Scripta desid.

NO

Corollarium III.

Nobiles Romani antiqui lunulas in calceis gestabant. Hinc ortum adagium: *Nobilitatem in astragalis, seu in talis habere*, de eo dictum, qui, nulla dote praeditus, nobilitate tumet, et de majorum suorum factis gloriatur, nihil ipse gloriosum agens. Qui merito proprio nobiles fiebant, homines novi dicebantur.

Nobilior (M. Fulvius), vir Consularis, scripsit *Fastos*, quos in templo Herculis Musarum posuit. Ita Macrob. *l. 1. Saturn. c. 12.*, et *13.* Videtur in Poetas, et Poesim propensus fuisse. Vide *Poetae* in *P.*

Nomenclatores. Hi notos habebant cives Romanos, et memoriter tenebant eorum nomina, quae suggerebant candidatis, ut obvios quosque suo nomine salutare possent, et hoc pacto eorum benevolentiam sibi conciliare. Nomenclatores adhaerebant lateri candidatorum in comitiis, et aliis, per urbem euntibus, etiam inserviebant, nomina suggerendo occurrentium alicujus gradus, et dignitatis. Oportebat, Nomenclatores magna memoria pollere, quae eis victum dabat.

Nomina, et *Praenomina* Romanorum *Notis litteratis* scribi solebant. V. *Nota* infra.

Nonianus (Servilius), Orator, citatur ut eloquens in *Dial. de Oratt.* Eum recitantem lucubrationem suam audire voluit Claudius Caesar, excitatus clamore auditorum illi plaudentium. Vide Plin. Caecil. *l. 1. Epist. 13.*

Nonius, sive *Novius* (Q), Poeta, *Attellanarum* scriptor. Macrob. in *Saturn.* testatur, eum probatiss. Poetam fuisse, eundemque praeponit L. Pomponio, et Mominio.

Nonius (Asprenas), Augusto arcta amicitia junctus. Fuit accusatus veneficii a Cassio Severo, et ipse caussam dixit, se eloquenter defendens coram Aug., et Senatu. De *Nonio* Marcello, insigni Grammat. nihil dico, quia longe post Honorii excessum floruit. Mihi religio est, ultra praefinitos limites excurrere, cum aetas nota est.

Norbanus (C), Orator, et accusator Caepionis, in judicio damnati. Hic Coepio Cos. male cum Cymbris pugnaverat.

Corollarium IV.

Notarii dicebantur illi, qui litterarum compendiis, seu *Notis* scribebant, sive transcribendo, que fusius scripta erant, sive excipiendo celeriter, quae recitabantur. Oratores Forenses ad manum *Notarios* habebant ad excipienda fideliter, quae ab adversae partis Oratore dicebantur, ut ea refellere possent. Plut. in *Catonis Uticensis Vita* tradit, suo tempore extitisse *Orationem Catonis*, exceptam a Cicer. per celeres Scribas, edoctos *Notis*, seu signis uti. Et S. Isid. in *libb. Orig.* ait = Quidquid in judiciis, aut pro concione diceretur, librarii scribebant complures, simul adstantes, divisis inter se partibus = Verum id fieri poterat sine *Notis*. In Rom. Senatu erant Scribae, qui *Notis* excipiebant Senatorum Sententias, et Orationes, quae a Senatoribus recitabantur de rebus, quae in deliberationem veniebant, et eas in *Diaria* referebant, ut etiam ea, quae alibi ad Pop. disserebantur a Trib. pl., vel aliis Oratoribus. Vide *Ephemerides* in *E*.

Notae, quibus Romani *Notarii*, *Exceptores* etiam dicti, utebantur, non erant signa vocum, cujusmodi est scriptura communis, sed signa rerum dictarum, ut nunc Sinensium characteres, et olim Aegyptiorum Hieroglyphica. De his *Notariis* Martialis *lib. 4. Epigr.*

Currant verba licet, manus est velocior illis.
Nondum lingua, suum dextra peregit opus.

Ausonius miris laudibus effert puerum suum a celeritate, qua excipiebat stylo dicta sua. Vide Ausonii Carmen, quod incipit = *Puer Notarum praepetum* = cet. Hae *Notae* erant veluti vocabula rerum, ut scriptura vocum. Ennius dicitur primus *Notas* invenisse ad centum supra mille. Alias addidit Tiro Tullius, Ciceronis libertus doctiss., ut tradit Euseb. in *Chron.* Mox Persanius Philargyrus bonam illis augendis navavit operam. Item Mecoenas secundum Dionem, vel potius Aquila ejus libertus, ut refert S. Isidorus *l. 1. Orig. c. 21.* Post quos multas addidit L. An. Sen, adeout *Notarum* numerus ad 5000. ascenderit. De his Petrus Diaconus ad Conradum Imperat. Volumen *Notarum* Tironis, et Senecae exhibetur in *Thesauro Inscript. Vet. Roman.* Verum non omnes sunt praefatorum Auctorum: cum inveniantur *Notae* Caesarum usque ad Antoninum, et multae rerum, et Mysteriorum, ad Christianam Religionem spectantium:

quae *Notae* a Christianis fuerunt forsitan inventae, ne ab Ethnicis intelligerentur a Christianis Notariis litteris consignata. Prudentius, Christ. Poeta, indicat, S. Cassianum Martyrem scribere *Notis* discipulos suos docuisse. Praeter versus Prudentii adductos verbo *Cassianus* in *C.*, haec in Prudentio de dicto Martyre leguntur.

Agmen tenerum, et puerile gubernat
Fictis notare verba signis imbuens.

Harum *Notarum* meminit Sen. in *Epist.*

Recordor, me egisse in *Hist. Naturali* Cataloniae, quam, praelo paratam, Matriti reliqui, ubi de Scriptura, ac de optima Charta, quae in variis Cataloniae oppidis frabricatur: egisse, inquam, de ratione celeriter excipiendi, quae recitantur, sine *Notis* Romanorum, utendo communi scriptura, narrasseque experimentum a me factum in biblioth. Gandiensis collegii, tunc Jesuitarum, adhibita aliquot scholarium illius Academiae opera, remque ex voto cessisse. Omnia nempe, quae ab uno, Oratorio modo, recitabantur, ab aliis fideliter calamo excipiebantur: primum a pluribus, deinde a paucioribus scribis ad id paratis. Non bene memini, an mihi hanc mentem ingesserit dictum S. Isidori, supra adductum, in Operibus S. Isidori a me lectum. Quod ad *Notas* Romanorum attinet, illud difficile fuisse arbitror, diversas nempe verborum Activorum, Neutrorum, Deponentium, Defectivorum cet. conjugationes, quibus Oratores dicendo utebantur, notare. Praefatae *Notae* inventae fuerunt, ut arbitror, primum, quia nimis in scribendo morabantur Romani, cursivis, ut vocant, litteris destituti, et quadratis solum utentes. Deinde, ut sensa sua cum absentibus per litteras communicarent, quin intelligi possent a *Notarum* ignaris, si litterae resignarentur. Verisimile enim est, *Notis* usos Romanos Epistt. scribentes, ut ex *Epistt. Cicer. ad Atticum* colligitur, ut etiam ex Suet. in *Vita J. Caesaris*, licet Caesar litterarum transpositione uteretur. *Notis* quibusdam etiam utebantur Rom. cum libros legebant, eas margini librorum appingentes, illisque indicabant, quae in libris essent notabilia. Sic, exempli gratia, posita in margine *L* littera geminata, indicabant laudabilem lectionem, seu sententiam dignam legi, et laudari. Vide Sen *Epist. 6.* Suas etiam Numerales *Notas* Romani habebant, diversas ab Arabicis, quibus nunc utimur expeditius. In Inscriptionibus, ut brevitati consulerent, ac plura in metallicis, et marmoreis tabulis inscriberent, aliis utebantur *Notis*. Inscribebant enim primas solas vocabulorum litteras, ut *S. P. Q. R.* pro *Senatus, Populusque Romanus: S. C.* pro *Senatus Consultum: Cos.* pro *Consul: Coss.* pro *Consules: Praef. pr.* pro *Praefectus praetorio: Trib. pl.* pro *Tribunus plebis: P. C. Patres Conscripti: Pactum Conventum: Patrono Coloniae* cet., et Pilatus, ut vulgo creditur, in Christo de Cruce pendenti posita inscriptione *J. N. R. J.* pro *Jesus Nazarenus Rex Judaeorum*: Plura item Personarum, ac Familiarum vocabula, praesertim Praenomina, solis initialibus, ut ajunt, designabant, has-

que possumus *Notas litteratas* appellare, quae *Siglae* etiam dicuntur ? Plut. in *Problem.* ait, Praenomina Latinos integra scribere solitos non fuisse, sed aut una littera, ut *A. T. L. M.*, aut duabus primis, ut *CN.*, aut tribus, ut *Sex. Ser.* unde non semel oritur confusio. In Nieupoort, et aliis, exstat Index Alphabeticus harum *Notarum* pro Praenominibus, et Nominibus Romanorum, ac pro rebus aliis. Olim viri nobiles praenomen, nomen, et cognomen tribus litteris notabant, ut *M. T. C.* pro *Marco Tullio Cicerone*, unde qui vanis nobilitatis titulis gloriabatur, *Homo trium litterarum* per ironiam appellabatur: quo nomine Plautus in altera ex Comoediis servum furacem vocat per jocum, quia *Fur* trium litterarum nomen est. Illud ad extremum velim, ne nesciat lector, Justinianum Imperat. cavisse edicto suo, ne Jurisconsulti *Notis* uterentur in Scripturis.

Novatus, M. Sen. filius, qui a Junio Gallione adoptatus, Gallionis nomen assumpsit. Vide *Gallio* in *G.* A Patre, ut magnus Orator, laudatur sub *Gallionis* nomine, nisi si de adoptante *Gallione* sit intelligendus *l. 10. Controv.* Auctor *Dial. de Oratt.* notat in *Gallione* tinnitus verborum. Se, sub Nerone, post fratris L. Senecae mortem, occidit.

Novatus. Ad hunc scripsit L. An. Sen. *librum de Ira*, quin eum *fratrem* appellet. Contra vero in *lib. de Vita Beata* fratrem appellat *Gallionem*, qui antea *Novatus* appellabatur. Quod argumento esse potest, *Novatum*, ad quem *librum de Ira* scripsit, Seneca diversum fuisse a *Gallione*; licet forsitan esset Senecarum consanguineus, seu ex Senecarum familia.

Novatus (Junius). Is, Agrippae adolescentis, ab Augusto ob pravum ingenium relegati, nomine, asperrimas *Epistolas* in Augustum edidit. Ita Suet. in *Octaviani*, seu *Augusti Vita c. 51.*

Novatus, haeret., et Novatiani schismatis contra S. Cornelium Papam promotor. Erat Carthag. Praesbyter, qui Romae degens Novatianum Presbyterum Romanum, vel corrupit, vel eum, ad schisma jam propensum, animavit.

Novatianus, Antipapa sub Gallo, et Volusiano, Rom. Imp. ad an. Christi 255. Hic fuit primus, qui schisma in Ecclesia fecit, sedente in Rom. Cathedra S. Cornelio. Ab eo, non a Novato, *Novatiani* schismatici, et haeretici, dicti fuerunt, qui negabant clavium potestatem Ecclesiae concessam, seu facultatem remittendi peccata, post baptismum commissa; qui error confestim a variis Conciliis fuit damnatus. Plura pro schismate, et erroribus suis scripsit, quae, ut puto, perierunt. Supersunt, quae de *Trinitate*, et de *Judaeorum Cibis* edidit. *Novatiani* hujus *Epistolas* petit a Paullo Concordiensi S. Hieron. ad eum scribens.

Novianus (Servilius), Histor. Quintil. aevo notus. Eum Quint. laudat *l. 10. Orat. Inst.* ab ingenio, et crebris Sentt. Ejus *OO.* desid.

Novius (Quintus), Poeta, cujus fragm. pauca supersunt, citata

a Nonio, et aliis Grammatt. Floruit in Scena vicinus Syllae Dictaturae temporibus. Forsitan, quae Naevii sunt, *Novio*, a Grammaticis tribuuntur, et contra.

NU

Numa, 2. Roman. Rex, Legislator, et Romanae Superstitionis, vel institutor, vel ordinator, a Cic., *l.* 3. *de Orat.* sub Crassi persona *doctissimus* appellatur. Praeter plures leges, ad Politicam, et ceremonias, ritusve superstitiosos spectantes, composuit *Saliarium Carmina* in Martis honorem, quorum nonnulla, rustica admodum Latinitate scripta, adhuc supersunt a Varrone conservata. Nisi si dicamus, ea non Latina, sed Sabina lingua lucubrata ab eo fuisse (Sabina inquam, ex qua Romana lingua fuit postea ditata, plura ex ea vocabula, sua faciens). *Numa* quippe, vel Sabinus origine, vel in Sabinis agens, ob suam prudentiam, et doctrinam fuit ad Romanum regnum accitus: quod indicat, (ut id obiter notet lector) inter Romanos, Romulo regnante, viros litterarum, et litteratorum studiosos non defuisse. Carmina, de quibus dicebam, sunt hujusmodi:

Praesul, ut amptruat, et volgu' redamptruat olli
Omnia dapatilia comisse Jani Cusiones
Duonus Ceruses Deivos Janos venet.. cet.

Non in Martis solum honorem, sed et in aliorum Deorum laudem Versus composuit, qui Versus *Janales*, *Saturnii*, *Junonii*, *Minervii* dicebantur ex falsis Numinibus per eos laudatis. Horum Latinitas conjici potest ex *Saliarium* Latinitate. De his et aliis, quos Rom. Pop. canebat, cum Romulus de Ceninensibus, et Antenatibus triumphavit, intelligi potest Ennius, cum cecinit, de versibus antiquis loquens:

Quos olim Fauni, vatesque canebant.

Cum hac bella Numae Latinitate magnam affinitatem habet Latinitas 12. *Tabularum*, de quibus in lit. *L* verbo *Leges*, et lit. *S* verbo *Servius*: tum etiam Latinitas columnae Rostratae C. Duillii, et Inscriptionis, quam affert. Q. Mod. Censorinus in suis *Parad. de Vita*, *et Morte Lat. linguae* pag. 231.

Annum *Numa* duobus auxit mensibus, cum antea 10. mensium tantum esset, oportuitque novum *Kalendarium* ab eo edi, quo Anni dies per menses 12. congruenter distribuerentur: quod indicio esse potest, *Numam* in Astronomia versatum fuisse. Verisimile est item, eum Codicem legum, et ceremoniarum vulgasse: cum constet, eum Pontifices, Augures, Curiones, Salios, seu Martis Sacerdotes, ac Vestales in Cereris honorem instituisse, suosque Ritus, Ceremonias, et Sacrificia unicuique Numinum assignasse. Ut autem homo astutus majorem sibi, et institutis suis auctoritatem conciliaret, finxit, se consulere Nympham Egeriam, in antro quodam degentem, in quod se abdebat: quod facile persuadebat rusticae illi vulgi Romani simplicitati. Ovid. *Metamorph. L.* 15. Egeriam Nympham, *Numae* uxorem facit, et S. Aug. in libris de *Civ. Dei* ait, *Numam* Hydromantia usum

ad videndum ludificationes Daemonum: quod genus quoddam Divinationis erat, a Persis acceptum. Illud addendum ex Varrone *de Cultu Deorum*, et ex Val. Max. libros Graecos, et Latinos inventos fuisse intra duas arcas lapideas in Janiculo ab agricultoribus: non L. Paetilii scribae, ut tradit Val. Max., sed CN. Terentri, ut tradit Plin. *lib. 13. H. N.* ex Cassii Heminae *Annal. l. 4.* Idem tradit Varro de *Cultu Deorum*, citatus a S. August. *l. 7. de Civ. Dei, c. 34.*: qui libri crediti fuere *Numae* Pompilii, illic sepulti. Septem erant de *Jure Pontif.* Latino sermone scripti, qui S. C. fuerunt magna cura asservati; libri autem Graeci jussu Senatus fuerunt combusti, quia, a viris peritis examinati, visi sunt officere posse receptae religioni, seu superstitioni tunc vigenti. Ita Val Max. *lib. 1. c. 1. §. 12*: quae paullo aliter narrata legi in Varrone. Videatur Lactantius *lib. 1. Divin. Inst. c. 22.*, qui addit, in arca quadam illic repertum *Numae* corpus: quod non legitur nec in Val. Max., nec in Varrone. Fulg. Planciades citat *libb. Pontificales Numae*.

Non solum leges, ad sacra Romana spectantes, tulit *Numa*, quarum plurimas ex Levitico Mosis non temere dixerim accepisse, sed Jus Gentium etiam tradidit; ac de homicidiis, de bonae fidei contractibus, de sepulturis leges aliquot promulgavit, quae in *12. Tabulas* fuerunt conjectae, ut etiam aliae leges Regiae, exceptis illis, quae ad Regiam dignitatem spectabant. Ritus enim complures, consuetudines, et ceremoniae, tum civiles, tum sacrae, ut de hostium spoliis, et de sacrificiis, quae regum aevo vigebant, *12. Tabularum* novo jure confirmatae fuerunt, quae in dictis *Tabulis* legerentur, si hae ad nos integrae pervenissent. V. *Leges* in *L.* De libris *Numae*, in arca repertis, quos in papyracea charta scriptos Plinius affirmat, nulla ulterior mentio, quod sciam, a Romanis Scriptoribus fit. Si invenirentur, haberent, in quo exercerent Critici Antiquarii variis conjecturis ingenium, et eruditionem suam. Multi dicunt, *Numam* Pythagorae Samii auditorem fuisse; sed falluntur, cum Pythagoras post 100. annos a *Numae* obitu juvenum coetus in Italia habuerit, ut tradit Livius *l. 1. Hist.* Nihilominus vide super his Cael. Rhodig. *l. 19. lect. antiq. c. 7.*, ubi multa de Pythagora, de ejus doctrina, et Magia, ac de ejusdem morte infelici. Idem Caelius *l. 10. c. 2. lect. ant.* ait, se legisse in Graecorum monumentis, *Numam* ex ferro, et aere primum cudisse numismata, quae nomen ab auctore hauserunt, cum ante eum scortea, et ostracina pecunia esset. Verum communis opinio tradit, pecuniam, seu aes signatum, a Servio Tullio Romae primum conflatum fuisse, ut suo loco dicitur verbis *Pecunia: Tullius*. Illic etiam narrat, Spartanos, et Byzantinos ferreis nummis usos. Regnavit *Numa* pacifice an. 43. De Egeriae, *Numae* uxoris, Matronarum Roman., et Senatorum luctu in morte *Numae*. Vide Ovid. *Metam. l. 15.*

Numa, Poeta, Ovidii aequalis. Eum subtilem Ovid. appellat *lib. 4. de Ponto Epist. 16.*

Numatianus (Cl. Rutil.), Poeta, natione Gallus, Vir Consularis, Praef. urbis, et Praet, sub Honorio ad an. Christi 416. Scripsit metro *Itinerarii binos libros*, quorum secundi maxima pars desid. Initio 2. lib., quod superest, in Stiliconem declamat, eo quod arcana Imperii prodidisset, et Sybillinos libros combussisset. Inventum fuit hoc *Itinerar.* an. Christi 1494. in Gobiano Coenobio, ad Apennini juga sito, et a Theodelinda, Longobardorum regina, exstructo. Illud primus edidit Petrus Summontius Neapoli an. 1520. Ethnicae superstitioni addictiss. in Christianos, et Monachos praesertim Insularum Caprariae, et Gorgoniae, invehitur virulento calamo: quod miror in homine politico, vivente, et scribente sub Christiano Imperatore.

Numerianus Romae docuit, et schola relicta, in Gallias perrexit, ubi se Romanum Senatorem fingens, exercitum conflavit contra Albinum, Provinciae Praesidem, Severi Imper. hostem. Longa est, et jucunda Historia *Numeriani* hujus, quam refert Gael. Rhodig. ex Dione *l. 13. c. 26. lect. antiq.*

Numeri Rom. per litteratas Notas scribebantur saepe multiplicatas. In arte numerandi Rom., et Graeci Arabibus inferiores fuerunt.

Numerianus (M. Aurel.), Rom. Imper. eloquentia clarus, et bonarum litterarum, Poeseos praesertim, aestimator, et fautor. Occisus fuit in lectica a socero suo Arrio Apro, an. Christi 284., cum nimio fletu ob mortem patris, in ocularem morbum incidisset. *Numeriano* successit Diocletianus, qui Aprum propria manu occidit. Vide *Nemesianus*. Vopisci aetate legebantur nonnullae *Numeriani Oratt.*, quae nunc desid. Senatus Rom. in Palatina bibliothecei statuam posuit cum hac Inscriptione: *D. Numeriano, Oratori potentissimo*. Addi potuisset huic Inscriptioni: *et praestantissimo Poetae*.

NY

Nymphidianus, Smyrnaeus, Rhetor, et Sophista, laudatus ab Eunapio in ejus brevi *Vita*. Fuit carus Juliano Apostatae, qui eum Imperatorii Interpretis munere decoravit, eundemque dictandis Graecis litteris praefecit, quamquam conscribendis *Declamationibus*, et *Disceptationibus* idoneus magis fuerit. Obiit senex.

Corollarium V.

Litteram *N*, suavitatis in pronunciando studio, Romani antiqui in multis vocabulis, in quibus post *N*, *S* sequebatur, omittebant. In priscis enim Inscriptionibus invenies *Dispesator*, *Cosul.*, *Coss.*, *Cresces* pro *Dispensator*, *Consul*, *Consules*, *Crescens*. Item loco *N*, more Graecorum, *G* scribebant, cum *G* sequebatur, ut *Aggelus*, *Diphtoggus* pro *Angelus*, *Dipthongus*. Alia de littera *N* vide verbo *Nigidius*.

OB

OBsequens (Jul.), incertae aetatis Auctor; creditur tamen, vel ante Honorium, vel sub Honorio scripsisse. Usus est accurata Latinitate, *librum* scribens *de Prodigiis Romae notatis*, et in *provinciis* ordine temporum, quae ex T. Livio collegit. T. autem Li-

vius ea ex Actis publicis Senatus desumpsit. Ejus Opus integrum ad nos non pervenit. Exstat solum fragm. ab an. Urbis Cond. ad Aug. tempora. Primus *Julii Obsequentis* libri editor fuit Aldus Manutius an. Christi 1508: quod Opus accepit a Jucundo Veronensi.

Oceanus, laudatur a S. Hieron., ut vir doctus, et eruditus in lege Domini, qui respondere posset quaestionibus *de Animarum origine*. Vide S. Hier. *Epist. ad Marcellinum*, et *Anapsichiam*, in Africa commorantes. In *Epist.* alia *ad Tranquillinum* laetatur S. Doctor, quod *Oceanus* resistat insaniae Origenistarum. *Oceani* Opera desid.

Octavius, Poeta, laudatus ab Hor. *l. 1. Sat. 10.* Dicitur bibendo occubuisse. Ejus *OO.* desid.

Octavius (Rufus), Poeta laudatus a Plin. Caecilio *l. 2. Ep. 10*: et *l. 1. Epist. 7.* petit ejus Carmina, quae nunc desid.

Octavius, sive *Octavianus*, sic a patre *Octavio* primum appellatus: deinde a C. Jul. Caes. avunculo adoptatus, et ex testamento haeres institutus, *C. Caesar* dictus, et tandem rerum potitus, *Augusti*, et *Patriae Patris* agnominibus, seu titulis a Senatu fuit decoratus. Romae natus, juxta Velitras, in avito suburbano, nutritus fuit. Bellica laude, et litterarum studio a puero clarus, sibi praecipuum C. J. Caesaris amorem conciliavit. Annum agens aetatis 12., aviam suam Juliam defunctam in concione laudavit. Litteratos, Poetas in primis, mirifice fovit, protexitque, cum imperabat: quo impetravit, ut multum suo seculo Romae, et in provinciis, litterae floruerint, adeout *Augusteum* seculum, *Aureum* litterarum seculum, fuerit appellatum. Singulari pollebat judicio in notandis aliorum Operibus, virosque doctos complures familiares habebat, quos honoribus, et praemiis decorabat. Biblioth. publicam prope Apollinis templum instruxit, usus opera Asinii Pollionis, eique Hyginum, Hispanum doctiss. Libertum suum praefecit. In Oratoria, et liberalibus aliis studiis a prima sua aetate cupide, et laboriose se exercuit: adeout Mutinensi in bello contra M. Antonium, dux Rom. exercitus adolescens creatus, inter tot curas quotidie, et legerit aliquid, et scripserit, et declamarit. Stylo utebatur perspicuo, ac minime affectato, exsoleta verba devitans, et sermonem mollem, atque effoeminatum. Multa lucubrata ab eo fuerunt, soluta, et metrica Oratione. Inter prima recensentur *Rescripta Bruto de Catone: Breviarium Imperii: Hortationes ad Philosophiam:* Libri 13. rerum suarum usque ad bellum Cantabricum, et *Liber Epistolarum curiose scriptarum*, citatus a Gellio *lib. 15. c. 17.* Forsitan ex hoc libro sumpsit L. An. Sen. partem *Epist. Augusti* ad Senatum, quam affert *lib. de Brevit. Vitae cap. 5.*, ut etiam Sueton. eas, quas adducit *Augusti* ad Liviam, et Tiberium. Gellius insuper *lib. 15. c. 7.* affert exemplar *Epist. Augusti* ad Cajum (in qua de anno suo climaterico. Citat etiam *librum Epistolarum Augusti* ad eundem Cajum nepotem, earumque elegantiam, facilitatem, et simplicitatem commendat. Graecis litteris navasse operam, indicio esse possunt *Epi-*

stolae adductae a Suet. (in *Claudio*) *Augusti* ad Liviam de rebus domesticis, partim Graece, partim Latine scriptae. Non audebat tamen quicquam, a se Graece lucubratum, edere, nec vero Graece expedite loquebatur: quod notari velim ab iis, qui arbitrantur, valde communem inter Romanos fuisse Graecum sermonem. In *C. Caligulae Vita* affert Tranquillus partem *Epist. Aug.* ad neptem Agrippinam, qua eam monet, ne moleste scribat, aut loquatur. Affert insuper in *Vita Horatii* fragm. *Epistolae Aug.* ad Horat. summa humanitate scriptae, in qua queritur cum eo, quod detrectarit, sibi esse ab Epistolis: quo ostendisse videbatur Horatius, se non magni *Augusti* amicitiam aestimare. Humanissima est etiam *Epist. Aug.* ad Tiberium privignum, quae a Suet. affertur in *Vita Aug. c. 51.* Tandem a Suet. fit mentio brevis *Epist. Aug.* ad Pompon. Macrum, et aliarum *Epist.* ad alios.

Excoluit etiam Poesim; nam, ut narrat Suet. in *Claudio c. 1.* praeter *Vitae Drusi memoriam* prosa Oratione ab eo compositam, lucubravit *Elogium Drusi* versibus, quos insculpi Drusi sepulchro jussit. Edidit etiam, praeter Epigrammata, Poema versibus hexametris, quod *Sicilia* inscriptum erat, in quo proculdubio de Siculis rebus agebat. Componere magno conatu coeperat Tragoediam *Ajax*: at, non succedente stylo, ea, quae lucubraverat, delevit. Cumque a familiaribus interrogaretur: quid *Ajax* ageret? respondebat, in spongiam incubuisse. Supersunt ejus *Hexametri* in laudem Virgilianae Aeneidos, quam flammis tradi vetuit, licet Virgilius moriens id fieri optasset. Versus illi *Octaviani Augusti* sunt digni, qui legantur, et ex illis colligi potest ejus numen Poeticum, ejusdemque ingenium singulare. De ejus sermone familiari vide Q. Moder. Censorinum in *Paradoxis Dissert. 3.*, et *Annot. 10.* in eam, ut etiam in fine Operis, de *Augusti* super orthographia opinione, quae ex Suet. collegit: nec omisit *Augustum*, qui in familiari sermone erat parum accuratus, et saepe barbarus videbatur; cum sermonem habebat ad Senatum, ad Milites, ad Pop., ad Liviam de rebus gravibus, valde diligentem, ac fere superstitiosum in recte Latine loquendo fuisse.

Multa, in diuturno, et pacato principatu, laude digna egit, quae ab Historicis Rom. commendantur. Primum: insignis fuit ejus moderatio in summa potestate: Dictatoris, et Domini titulos semper recusavit: magnifica, quae Romae exstruxit aedificia, alienis nominibus appellari voluit: ut Theatrum capax 80. mil. spectatorum, Marcelli nepotis ex sorore, an. 20. aetatis defuncti, nomine insignivit. Item Porticum Liviae: Porticum Octaviae: Bibliothecam Appollinis. In modicis ipse aedibus habitabat, et diruit magnificum palatium, quod sibi filia exstruxerat, ejus luxum saepe reprehendens. Indignum se esse *Patris patriae* tituli flens in Senatu dixit, illumque a Senatu collatum titulum, veluti invitus acceptavit. Quo magis honores recusabat, eo majores a populis eidem fuerunt, attributi. In Au-

gusti honorem Tarracone ara erecta fuit, in qua palma progerminavit, et ibidem Seviratus Augustalis (seu Sacerdotes 6. qui Romae, et *Augusto* sacra procurarent) fuit primum institutus. De hoc Sacerdotio fit saepe mentio in antiquis marmoribus, praesertim in Inscriptionibus, quae in Catalonia inveniuntur, de quibus Cl. Josephus Finestres in *Sylloge* sua. Illud non silendum, quod ad Institutum meum litterarium spectat, *Augustum* praesentia sua ornasse Academias, quae Romae habebantur a Declamatoribus, Poetis, et Historicis, sua Opera recitantibus: quo litterarum studia inter Romanos fovere inter tot negotia non cessabat. Hoc ipso autem suae gloriae non parum consulebat: cum vix ullus Imperator Rom. tot laudibus quot ille, fuerit a sui temporis Scriptoribus posteritati commendatus. Illud unum ei non condonabit posteritas, quod Triumviratus tempore consenserit Ciceronis neci, cujus auctoritate, valde juvenis, maximis honoribus a Senatu affectus fuerat, quem idcirco ipse *Octavianus* Patrem solebat appellare. Vide Cic. *Philip.* 5. in fine. Alia de *Octaviano* vide verbo *Agrippa* in *A*, verbo *Mecoenas* in *M.* Obiit an. Christi 14. Imperii an. 56. aetatis 76. Fragmenta Operum Augusti, quae supersunt, collegit, et illustravit Janus Rutgersius in *variis lectionibus* suis.

Olympiodorus, Aegyptius Hist., patria Thebanus, qui fl. sub Honorio, et Theod. Juniore, Arcadii filio, quorum historiam complexus usque ad an. Chisti 425. plura singularia de immensis aedibus, divitiis, et luxu illustrium familiarum Roman. ante Gothorum in Urbem irruptionem narrat: plura item de Gothis, quae in aliis Scriptoribus haud ita facile reperies. In suis narrationibus mira usus est perspicuitate, licet parum culto sermone scripserit. Aliqui eum Honorio posteriorem faciunt, cum alio *Olympiodoro* Phil. qui in fine 5. Eccl. seculi floruit, confundentes.

Olympius, Hisp. Episc. nulli sedi, quod sciamus, addictus. Invenitur tamen subscriptus in Concilio Toletano 1. an. Christi 405. Toletani suum Episc. faciunt: Barcinonenses suum. S. Aug. in lib. contra Julianum, Pelagianum, eum, ut virum magnae in Ecclesia, et in Christo gloriae citat. Scripsit contra eos, qui peccata naturae tribuunt, non libero peccantis arbitrio. De eo Gennadius in *Scriptoribus Eccles.*, et alii. De eodem plura legi possunt in Opere: *Nomina*, et *Acta Episcoporum Barcinon.* jussu viri doctissimi Ascensii Sales, Barcinonensis Episcopi, a nobis Barcinone edito an. 1760.

ON

Onesimus, Histor. sub Probo floruit, cujus vitam edidit, ut etiam Bonosi, et Proculi Tyrannorum. Ita Vopiscus in *Carini Vita*.

OP

Opilius (Aurelius), lucubravit Opus, quod *Musarum* inscripsit. Alii eum *Oppium* vocant, ut Macr. in *Saturn. lib.* 3. *c.* 19., qui ait de *Sylvestribus arboribus* scripsisse, eundem doctiss. Poetam appellans.

Docuit in Gallia Togata, et Rutilium Rufum exsulem Smyrnam comitatus est, ubi consenuit, et obiit. Citatur a Festo in voce *Molucrum*.

Oppianus, Gramm., et Poeta Epicus, natione Cilix ex urbe Gaurico. Edidit *Poemata de Venatione* libris 4: *de Piscatu* libris 5: *de Aucupio* libris 11: quae, cum Imperat. Antonino Caracallae, Severi Imperatoris filio, legisset, tot nummis donatus fuit, quot versus in Poematibus illis erant: 20 nempe numismatum millibus: quae numismata stateres a Suida appellantur. Stater autem 4. drachmas valebat. Vide Suidam verbo *Oppianus*.

Oppius (C), C. J. Caesaris intimus amicus, qui ejus res cum Corn. Balbo Romae procurabat, cum absens erat. Scripsit librum, quo probabat, Caesarionem, Cleopatrae Aegypti reginae filium, Caesaris prolem, ut ipsa praedicabat, non esse. Ita Suet. in *C. J. Caesare c. 52.* Idem Suet. citat *Oppium* de Caesaris in victu indiferentia, quam narrat, non indicato *Oppii* Opere. Forsitan ex citato libro. Potuit item citare *Vitas Virorum Illustrium* Scipionis Africani antiquioris, Cassii, C. Marii, Pomp. M., et aliorum, quas *Oppius* edidit, citatas a Charisio, a Plin. *in H. N.*, a Gel., a Plut., et aliis. Suetonius sub dubio ei tribuit *Comment. de bello Alexandr. Afric., et Hispaniensi* C. J. Caesaris, sub quo militavit, et cui tam carus erat, ut sub dio Caesar noctem transegerit, quo aegrotans *Oppius* in itinere per loca deserta commode cubare in diversorio posset, cum locus capax duorum non esset. Ita Suet. in *Caesare c. 72.*

Optatianus (Suetonius), Hist. fl. sub Tacito Imp., cujus *Vitam* scripsit. Ita Vopiscus.

Optatus (Fidus), Grammat., de quo Gellius *l. 2. c. 3.* narrat, emisse *2. lib. Aeneid.* Virgilii 20. nummis aureis.

S. *Optatus*, Milevitanus Praesul in Africa, laudatus a SS. Hieron., et Aug. Scripsit *7. libb.* contra Parmenianum Donatistam. Alia edidisse contendit Trithemius, quae intercid. Obiit circiter an. Christi 380.

OR

Corollarium I.

Oratores innumeri praetermittuntur, quorum *Orationes*, in Rom. bibliothecis olim asservatae, nunc non exstant. Ut enim in *Dial. de Oratt.* legitur, Oratoria tanti Romae fiebat, ut quo quisque magis ea pollebat, eo facilius honores, et Magistratus impetraret populi plausu, et clientum favore, ut dictum est verbo *Eloquentia* in *E*. De Arte Oratoria, vide L. An. Senecam *Epist. 115.*, ubi ait, Orationem certam regulam non habere, sed consuetudinem Civitatis, quae nunquam in eodem statu diu stetit, eam versare. Ibidem multa de Oratorio stylo disserit, ut de Compositione Orationis *Epist. 101, et 116.* Vide etiam Quintil. *lib. 10. Instit.* In caussis omnibus gravioribus complures erant *Oratores* pro, et contra dicentes: aemulatio autem eloquentiam augebat, et curam, ac studium *Oratorum*,

ad quos audiendos magni concursus fiebant. Tac. *l. 5. Ann.* narrat, sub Tiberio super quodam negotio habitas 42. *Orationes*. Romae licebat Reo, se Oratione defendere, quod Athenis permissum non erat. Cicero in *Bruto* innumeros recenset *Oratores*, a Roma condita ad sua tempora. Perveniens autem ad Antonium, et Crassum ait: hos *Oratores* fuisse maximos: et in his primum cum Graecorum gloria Latine dicendi copiam aequatam. Initio autem *lib. 1.* paucitatem exaggerat *Oratorum*. Et sub persona Crassi eodem *lib. 1.* loquitur de turba, et barbarie forensi, quae locum dabat vitiosis *Oratoribus*. Quae, velim, non fugiant eos, qui putant, Ciceronis aevo Latinam linguam sine naevis fuisse, et Litteratos omnes sine barbarie, ac eleganter Latine dixisse, vel scripsisse. De forensibus *Oratoribus*, sive Caussidicis suae aetatis parum honorifice loquitur Columella. Apulejus autem eos Theonino dente mordet, mala multa de eis dicens: quae arbitror intelligenda de ignobilibus, et male moratis Ethnicis Caussidicis illius aevi, quos Cicero Rabulas appellabat. Nam in omni facultate, quantumvis sancta, et nobilis ea sit, non desunt nonnulli mali commatis Professores. Vitia valde indecora, notata ab Apulejo, forum occuparunt post abrogatam legem Cinciam: Etenim, vigente lege hac, *Oratoria* forensis sine fraudibus, et avaritia, ut plurimum exercebatur a nobilibus Oratoribus. Illud unum in illis reprehensione dignum, quod acerbis nimium, et contumeliosis verbis, atque dicteriis uterentur, et quod apud populum dictis parum urbanis, et maledictis etiam, se invicem lacerarent. Cicero non dissimulat, in mortuorum laudationibus falsa multa ab *Oratoribus* dici solita, ex quibus Romana Historia facta mendosior. In illis namque falsi consulatus, falsae consanguinitates, et subdititia generis nobilitas ob nominum similitudinem saepe ambitiose de Plebeiis narrabantur in defunctorum commendationem. Graecorum eloquentiam multis in locis laudat Tullius; addit tamen, quod, quia compressione rerum breves erant, ob eam caussam interdum subobscuri evadebant.

Orbilius (Pupillus), Grammaticus, quem Horatius, ejus alumnus, *Plagosum* vocat. Edidit librum inscriptum *Perialogos*, vel ut aliis placet *Aetialogos*. Erat acerbi ingenii, et procacis linguae etiam in viros Romae primarios. In Caussa quadam vocatus in testem, et de professione interrogatus a Judice, cui ignotus erat, respondit, se gibbos in Sole fricare solitum. Ita Macr. *in Saturn. lib. 2.* Paullo aliter id narrat Suet. *de Ill. Gramm.* Obiit Romae valde pauper, et ejus Cives Beneventani statuam ei dedicarunt.

Orbilius, praecedentis Filius, Grammat. professione. Ita Suet. de *de Illust. Gramm.*

Orbius (P), Ciceronis fere aequalis, in dicendo parum exercitus. Verum, in Juris Civ. scientia, T. Juventio non inferior, cujus discip. in Jure fuerat. Ita Cic. in *Bruto*.

Ordo. In pop. Rom. 3. ordines civium erant, Senatores, Equites, et Plebeii. Qui censum annuum requisitum ad Senatorium, vel equestrem ordinem non habebant, quantumvis nobilissimi, Plebeii erant. Vide *Patricii* in *P*.

Oribasius, Juliani Apostatae medicus, et sub eo Quaestor Constantinopolitanus. Scripsit *libb. 72. de re medica* ad Julianum Imperat., in quorum decimo videtur egisse de *Balneis*. Edidit insuper *lib. de regno, et de affectibus*. Haec Opera integra non leguntur. Obiit in exsilio. Ita Suidas. Verum Eunapius in ejus *Vita* tradit, ab exsilio revocatum, suoque tempore adhuc in vivis fuisse, ac pristinas opes recuperasse Imperatorum post Julianum indulgentia.

Origenes, *Adamantinus* dictus ob indefessum litterarum studium: natione Aegyptius, patria Alexandrinus, Christianus Scriptor doctissimus, natus an. Christi 185. A patre Leonida, Christi Martyre, in pueritia Christianis dogmatibus, et inferioribus disciplinis eruditus, in Philosophia magistrum habuit Ammonium, Christianum Doctorem: in Theologicis autem Clementis Alexandrini auditor fuit, et ei successit in regimen Scholae Alexandrinae, cum annum ageret aetatis 18., mirantibus ejus ingenium, et singularem doctrinam, etiam Ethnicis doctioribus. Ad eum audiendum certatim confluebant Christiani, et Ethnici utriusque sexus, tum Alexandriae, tum Caesareae, tum etiam Romae, et Tyri, ubi commoratus fuit, et inter discipulas habuit, Antiochiae Mammaeam, Severi Alexandri Imper. matrem, quae Christianam religionem sub eo amplexa est. Auditores etiam habuit, et ad fidem traxit S. Gregorium Thaumaturgum, ac ejus fratrem, ut dictum est verbo *Gregorius* in *G*. Nimium Platoni addictus, in varios errores incidisse dicitur, et de eo ajebat Cassiodorus: *Ubi bene, nemo melius: ubi male, nemo pejus*. Ejus libris insertos errores ab aemulis, multi putant: et quos post ejus mortem damnavit Anastasius Rom. Pont., et revera Origenis erant, sine pleno assensu, et sine pertinacia ab eo scriptos nonnulli affirmant. Pamphilus Martyr, et Eusebius Caesareensis in carcere Apologias pro eo scripserunt. Edidit librorum sex millia: quos omnes se legisse testatur S. Hieron.; verum horum pars magna desid., ut etiam antiquae versiones Latinae praefatorum librorum. Quae leguntur, a Ruffino factae, parum fideles censentur. Obiit Tyri an. aetatis 69. Christi 254. Vide *Ruffinus* in *R*. De *Origene* multa Ecclesiastici Historici.

Origenes, Ethnicus Phil., auditor Plotini Romae una cum Amelio, et Porphyrio. Eum confundunt nonnulli cum praecedenti.

Orosius (Paullus), Hisp. Historicus, S. Augustini discipulus, eidemque carus. Sub Honorio scripsit *Historiam* suam fecunda brevitate, et nonnulla alia. Missus fuit ad Orientem a S. Augustino, ut salutaret, et consuleret S. Hieronymum, Bethleem commorantem. Ex Hierosolymis in Africam adsportavit sub an. 416 S. Stephani Proto-

martyris reliquias, de quibus S. Aug. in libris *de Civit. Dei*. In Minorem Balearem appulsus, illic per dies aliquot expositae dictae sacrae exuviae fuerunt, ad quarum praesentiam tot miracula Deus operatus est, quibus Sanctum Protomartyrem suum clarificavit, ut 500. Hebraei paucis diebus in Magonis portu Christianam fidem susceperint sub Severo illius Insulae Episcopo, qui ad universam Ecclesiam Epistolam de hac re scripsit, cujus rei mentionem obiter fecimus in *Historia Episcoporum Barcinon.* agentes de *S. Severo*. Sunt, qui contendant, *Orosium* Tarraconensem fuisse: qua de re exstat integrum volumen Paulli Ignatii Dalmases, Civis Barcinonensis. Orosius ipse *l. 7. c. 22.* Tarraconem *suam* appellat.

Corollarium III.

Orthographia antiquiorum Roman. valde diversa fuit a posteriorum *Orthographia*, quae adhuc viget, ut in decursu hujus *Syllabi* ostenditur variis in *Corollariis*. Augusti aevo non perinde scribebant, ac pronunciabant, quod Augustus non probabat, qui scribendum, ut pronunciabatur, censuit; idque post eum obtinuit. Vide Suet. in *Augusto cap. 88.* Vide *Pronunciatio* in *P.* Item: Augustus Caesar Proconsuli cuidam successorem in provinciam dedit, quia in *Orthographia* Latina parum peritum eum agnovit, ejusdem litteras legens. Ita Suet. in *Vita Octaviani* Augusti V. *Scriptura* in *S.* In hoc, et aliis Operibus meis probabilem, seu bonis Auctoribus probatam *Ortographiam* sequor, nulli superstitiose addictus. In ea variant Aldus Manutius, Passeratius, Lipsius, Cellarius, Facciolatus, Heineccius, alii, in quorum verba non juravi. Posterioribus ex his licitum fuit, in multis, prioribus non accedere. Idem jus in re valde levi arbitror, mihi concedendum, et nunc uni, nunc alteri me posse adhaerere, ne unum alteri videar praeferre.

OS

Oscus, Rhetor laudatur, et notatur a Seneca in *Prooemio lib.* mihi 10. *Controv. Osci Oratio*, inquit, *non figurata, sed prava*. Item: *Oscus non incommode dixit, sed sibi nocuit, cum nihil sine schemate dicere cupit*. Vide *Pacatus* in *P.*

Ostilius, Phil. exsilio multatus a Vespasiano fuit, quia nimis libere, ut de praecedentibus Imperatoribus, male moratis, de eo loquebatur, et ejus facta impudenter notabat.

OT

Otacilius Pilitus (L). Vide *Epidius* in *E.* Suetonius in *lib. de Cl. Rhetoribus* de eo ait, *Historiam* scripsisse: quae desid. Sunt qui dicant, non *Pilitum*, sed *Philetum* appellatum fuisse.

Otho (Jun.), Declamator, Sejani amicus, Senator, et Praetor, ac tandem Trib. pl., qui, amicitia Sejani fretus, plura est ausus, ob quae in exsilium ire jussus est. Vide Tac. *lib. 3.*, et *6. Ann.* Edidit 4. *libros Colorum Rhetoricorum*, qui desid. Notatur a Seneca in *Controv.*, ut somniator, et ut affectatus in suis *libb.*, et *Declamatt.*

Otho, Rom. Imp. Orationibus suis pro Vallo castrorum, milites ad fortiter pugnandum accendebat. Ita Tac. *l.* 1. *Hist.* Ejus *Oratt.* Castrenses desid.

OV

Ovidius Naso. (P), Poeta notissimus, Sulmone natus ex equestri familia, Hirtio, et Pansa Consulibus, qui apud Mutinam in praelio contra Antonium ceciderunt. Singulari fuit ingenio praeditus, et mira in pangendis carminibus facilitate, adeout fere quidquid diceret versus esset. Floruit sub Augusto. Praeter Opera Poetica satis nota, quae supersunt integra, plura edidit, quae, vel ad nos non pervenere, vel mutila, et affecta reliquit. Ex *Fastorum libris* 12., quos lucubravit, 6. tantum priores leguntur. Inchoatum *Poema* reliquit *de Piscibus*. Scripsit praeterea Tragoediam *Medea*, quam laudat Quint. *l.* 10, *Germanicum Triumphum*, et *Consolationem ad Liviam* in Morte Drusi. Ejus Epigrammata citantur a Prisciano. Citatur etiam ejus *Phoenomenon* libellus a Martiano, ac Martiale, ut et *Vaticiniorum liber unus*. Quintil. *lib.* 6. *Instit.* tradit, eum scripsisse *librum in* malos *Poetas*. In tot *Poematiis* necesse fuit, in aliqua vitia incidere. Ipse nonnulla agnovit, et ea fateri non erubescebat, quin vellet ea, cum posset, emendare, dicens, decentiorem, et venustiorem esse faciem, in qua naevus aliquis esset. Vide Sen. *l.* 2. *Contr.* 3., et *l.* 1. *Declam.*, ubi nonnulla de *Ovidio* scitu digna, vulgo non nota, leguntur. Vide *Latro* in *L.* Exsul obiit in Ponto post 8. exsilii annos: aetatis an. agens 60.; Tiberii an. 5: ab U. C. 771. Illuc fuit deportatus jussu Augusti ob caussas, quae adhuc latent, licet Sidonius Apollin. assignet pro caussa *Lasciva Carmina* ad Augusti filiam missa, quam, ficto nomine, *Corinnam* appellabat, sibique amicitia devinctam habebat. Vide *Ovidii Vitam* in ejus Interpretibus. Illud non mirari non possum, tam insignem Poetam soli Corinnae notum Romae fuisse: si verum dicit Martialis in *Epig.* ad *Regulum lib.* 5., ubi legitur: *Norat Nasonem sola Corinna suum*: qua in re falli, puto, Martialem.

Corollarium IV.

Litteram *O* in pronunciatione valde affinem fuisse litterae *u* vocali apud antiquos Romanos, illud suadet, quod testatur Quintil.: priscos nempe Praeceptores scripsisse *Servon*, et *Cervon* pro *Servum*, et *Cervum*, *o* pro *u* adhibita, et *N* pro *M*. Item ab antiquis Romanis scribebatur *Marcipor, Publipor* pro *Marci puer: Publii puer*, quibus verbis Servum Marci, et Servum Publii indicabant, et nominabant: quae vocabula tempore Quintiliani jam interciderant, teste Quintil. Illis autem non multo antea usus fuerat Plinius Major in *Hist. Nat.* In columna rostrata C. Duillii legitur *Navebos* pro *Navibus*: *Captom* pro *Captum*: *Macestratos* pro *Magistratus*. Invenitur etiam in antiquis *Consol* pro *Consul*: *Colpa* pro *Culpa*: *Notrix* pro *Nutrix*: *Hecoba* pro *Hecuba*: *Praestu* pro *Praesto*: *Hoc*, et *Illoc* pro *Huc*, et *Illuc*: *Poblicus*, pro *Publicus*: *Quatenos*: pro *Quatenus*:

Mecom pro *Mecum*: *Frundes* pro *Frondes*: *Peccatu* pro *Peccato*: *Fretu* pro *Freto*. Plin. testatur, nonnullas Italiae civitates *O* non usurpasse: alias *U* caruisse, vel eam non pronunciasse. Demum non omittendum vocalem *O* in pronunciatione priscorum Romanorum magnam affinitatem habuisse cum diphthongo *Au*, et idcirco multa, quae per *Au* scribebantur, postea per *O* scripta sunt, et adhuc scribuntur, ut *Olla* pro *Aula*, *Codex* pro *Caudex*. Vide *Florus* (Menstius) in *F*.

PA

P*Acatus*, Rhetor. De eo Sen. in *Prooemio l. 10. Controv.*, ubi narrat, *Pacatum*, cum mane Massiliae occurrisset Osco Rhetori, qui nihil sine schemate dicere volebat, non inurbane eum salutasse cum schemate: quo peracto, addidit. Poteram dicere: *Ave Osce:* hocque ejus schemata, seu figuratas locutiones irridebat. Alius est hic a *Latino Pacato Drepano*. Vide *Drepanus* in *D*.

S. *Pacianus*, Episc. Barcin., doctiss. pater Flavii Lucii Dextri, Praef. pr. Exstant in *Bibliot. PP.* nonnulla *S. Paciani* Opera, satis culta Latinitate. Desiderantur plura alia, et inter ea, quod Graeco vocabulo Κερβος inscripsit, quo (ut Critici Eccles. putant) Bacchanalia, sive Saturnalia, et ludos alios, Ethnicismi reliquias, inter oves suas et fideles alios abolere studebat. Obiit sanctissime Barcinone in Catalonia ad an. Christi 390. Plura de *S. Paciano* videri possunt in Opere: *Nomina et Acta Episc. Barcin.* inscripto, alibi citato.

Paciphilus, Phil. sub Valente tortus, de quo Ammianus *lib. 29*.

Paciphilus, Vir primarius, Palladii amicus, ad quem est Palladii Opus *de re rustica*, ubi appellatur vir doctissimus. Forsitan Praef. urbis, vel Praetorii fuit, nam ad eum est directa *lex. 8. Cod. Theod.* de *Jurisdictione*, Coss. Olybrio, et Probino, imperante Honorio, an. Christi 395.

Paconianus (Sextius), Poeta in carcere strangulatus ob carmina, illic in Tiberium Principem lucubrata. Ità Tac. *lib. 6. Ann.*

Pacuvius (M), Poeta, et Pictor Brundusinus, Ennii ex Sorore nepos. Fl. ante Christi aeram an. 142. secundum Ricciolium: an. U. C. 614. ex S. Hier. Supersunt nonnulla *Pacuvii* Carmina, parum exculta Latinitate lucubrata. Nonnulla citantur, et sparsim afferuntur a Gel. in *NN*. Cicero in *Laelio* citat novam *Pacuvii* fabulam de Pylade, et Oreste, et in *lib. de Orat.* affirmat, *Pacuvium* male Latine locutum. Auctor autem *Dial. de Oratt.* ait, *Pacuvii* stylum esse veterno inquinatum. Persius *Sat. 1.* notat ejus stylum tumidum in *Antiopa* ejus Tragoedia, quam *Verrucosam* vocat. Quintil. eum in nonnullis laudat, licet stylum ejus neutiquam probet. Martialis de *Pacuvii* Latinitate judicium vide verbo *Accius* in *A*. Gellius videtur ei favere *l. 1. c. 24*, ubi afferens Epitaphium, quod *Pacuvius* sepulchro suo inscribi jussit, illud verecundissimum, et purissimum appellat,

dignumque *Pacuvii* eleganti Latinitate. En illud, Naeviano valde dissimile:

> Adolescens, *tametsi properas, hoc te saxum rogat,*
> *Quod se aspicias: deinde, quod scriptum est, legas.*
> *Hic sunt Pacuvii Marci sita ossa.*
> *Hoc volebam, nescius ne esses. Vale.*

A Varrone *in libris de lingua Latina* saepe *Pacuvius* citatur. Obiit nonagenarius Tarenti. Plin. *lib.* 35. memorat, Picturam *Pacuvii* suo tempore asservatam in templo Herculis Romae in foro Boario. Cic. *de Nat. Deorum l.* 2. eum Grajum vocat, quia ex magna Graecia; sed Latine loquentem. Non liquet, an idem fuerit, vel ex eadem familia *Pacuvius* ille, qui flens Ario vicino suo dicebat: *Amice in horto infelicem arborem habeo, de qua prima uxor mea se suspendit: deinde secunda, et nunc tertia*: cui Arius: *miror*, inquit, *te ob haec lacrymas fundere, cum laetari deberes*. Et iterum: *Dii boni, quot tibi dispendia arbor ista suspendit, et tandem - Amice: oro te, ut mihi surculos, quos in horto meo seram, mihi largiaris, ex infelici, quam appellas hac tua arbore*. Vide Cic. *lib.* 2. *de Orat.*: ex quo, ut arbitror, Cael. Rhod. late haec narrans *lib.* 14. *c.* 14. *lect. antiq.*

Paedianus, Orator, scripsit de *Divinatione*, *et Orat.* habuit pro M. Scauro. Ignoro, an is fuerit

Paedianus (Asconius), Patav. Gramm. egregius, Virgilii amicus, de quo in *Eusebii Chron.* dicitur, eum fuisse Histor., et lumine orbatum. Scripsit *Comment. in Virg.*, et in *Orationes Cicer.* Horum *Commentt.* partem, quae exstat, Poggio debemus. Scripsit *Vitam Sallustii*, cujus meminit Acron in *Comment. ad Horatii Sat.* 1. *lib.* 1. Haec *Vita* desid. Obiit sub Nerone, et vixit an. 65. Sunt, qui, binos *Asconios Paedianos* fuisse, asserant: Historicum unum, Grammat. alterum, ac de primo, usque ad Vespas. vixisse, tradunt.

Paetilius, Trib. pl. *Orationem* habuit contra Scipionem Afric. antiquiorem, qui de Poenis triumphavit. Haec *Or.* desid.

Paetilius, sive *Petilius* (Q), urbis Praetor, qui in concione combussit Numae libros Graecos in agro Scribae CN. Terentii, inventos. Vide Lact. *l.* 1. *c.* 22. *Div. Inst.*

Paetus (Papyrius), homo urbaniss., et salsiss., cujus facetiis Cicero mirifice delectabatur, eas Atticis omnibus salsiores appellans, quibus veteres Rom. utebantur, et tunc Roma penitus exsulabant. Eum cum Graniis, Lucillis, Crassis, Laeliis comparat *Epist.* 16. *l.* 9. *ad Famil. Epistolae* Ciceronis ad eum facetiarum refertae sunt, ut eum ad jocose scribendum excitaret. Ciceroni donavit libros relictos a fratre suo Servio (Claudio). Ita Cic. in *Epist.* 1. *lib.* 2. ad Atticum, et *Epist. ult. l.* 1. Erant libri Graeci, et Latini.

Palaemon, Poeta, de quo Mart. ad Classicum *lib.* 2.

> *Scribat carmina circulis Palaemon:*
> *Me juvat, raris auribus placere.*

De eo Suet. de *Ill. Gram.* tradit, Poemata fecisse ex tempore, et scripsisse variis non vulgaribus metris.

Palaemon (Rhemnius), patria Vincentinus, probrosae vitae, et summae arrogantiae Criticus, qui Varronem *Porcum* appellabat, et ajebat, secum natas litteras, et secum interituras. Grammaticam Romae docuit, et discipulos habuisse dicitur Persium, et Quintil. Laudatur a Plin. *H. N. l. 14.*, et a Persio *Sat. 7.* Inimicitias exercuit cum Ant. Liberali. Cum Palaemone confunditur Q. Rhemnius Fannius *Palaemon*, qui scripsisse dicitur de *Ponderibus*, et *Mensuris*, quod Opus aliqui Prisciano tribuunt.

Palladius (Rutil. Taurus Aemilianus), Medicus, et Poeta, scripsit 14. *libb. de re rustica*, quorum postremus est elegis versibus lucubratus. Erat illustris Romanus, Graece, et Latine doctus. Ejus Opus *de re rustica* est eleganti Lat. sermone scriptum, quod indicio esse potest, eum ante 4 Eccl. seculum, vel initio 4. floruisse. Sunt qui dicant, an. 129. Christi in vivis fuisse. Ludovicus Vives tradit, sub Hadriano vixisse. Ricciolius eum ponit in fine 4. seculi: cujus opinioni favet, quod carmen de Arborum insitione Paciphilo inscripsit, qui in fine 4. Sec. Eccl. vivebat. Vide *Paciphilus*. Palladius Macrobium citat, unde, vel aequalis, vel posterior eo fuit.

Palladius alter, Rhetor Romae notus, ubi docuit Rhetoricam cum fama singul. eloquentiae. Ita Symmachus de eo ad Ausonium cum laude scribens, et commendans ejus *Orationem* pro studiorum instauratione, ut puto, habitam, quae desid.

Palladius, Medicus Alexand. Galeno junior, qui in quosdam Hippocratis libros scripsit. Fuit etiam sub Constantino *Palladius*, Sophista Methonaeus celebris, teste Suida, qui ejus Scripta commemorat. Exstat etiam cujusdam *Palladii Epistola* ad Epiphanium in *Ancorato*. Mitto *Palladios* Honorio posteriores.

Pallas, Claud. Caesari a rationibus, Questorio, et Praetorio munere ornatus. Ita Suet. in *Claudio c. 28.*

Pammachius, S. Hier. amicus. Eum ut doctiss., et disertiss. laudat, in *Epitaphio Fabiolae* ad Oceanum. Ad eum scripsit *Epistolam* pro libris suis contra Jovinianum, qua indicat, eum Graece, et Latine doctum ac in sacris litteris valde versatum fuisse. In *Consolatoria Epistola* ad Julianum, virum sanctissimum eum appellat.

Pamphilus, Scriba, et Libertus, a bibliot. Apollinis. Ita ex antiqua Inscriptione, edita a Pamvinio, qui ex ea colligit, eum Bibliot. Praef. fuisse. Verum, et custos, et librarius, et alii ministri sub Praefecto biliothecae, *a bibliotheca* dici possunt, quin Praefecti sint.

Pamphilus M., vir doctiss. pro Christo passus sub Maximino Rom. Imp. Ei addictiss. fuit Eusebius Caesareensis, qui *Eusebius Pamphili* amabat appellari. De eo Euseb., et S. Hier. Bibliothecam insignem habuit 30. fere millia voluminum continentem. Jta S. Isid. *Orig. l. 6.* Hanc arbitror fuisse Biblioth. Eccl. Caesareensis a *Pam-*

philo M. curatam. In Carcere scripsit Origenis Apologiam, quam affectam reliquit.

Pamphilus (L. Vibius), Aug. libertus, Scriba, et a bibliot. Apollinis. Ita ex vet. Inscriptione, in aedibus Maffaejanis Romae reperta. Forsitan idem est cum superiore, cujus meminit Pamvinius.

Corollarium I.

Pandectae, pars Corporis Juris Civilis, quod Pandectas, et Codicem complectitur. In *Pandectis* continentur Veterum Jurisconsultorum Romanorum Decisiones in fragmentis Operum, ab ipsis lucubratorum. *Pandectae, Digesta* etiam appellantur. Ubi, et quando *Pandectarum libri*, qui sub Barbarorum incursionibus latebant, inventi sint, vide apud J. Vinc. Gravinam de *Orig. Juris Civilis* a pag. 73 Neapol. editionis an. 1722., qua utor.

Panaetius, Phil. cujus meminit Cic. *in libb. de Officiis* ad Marcum filium. Scripsit de *Off.*, et miratur Cicero, eum, quid sit *Officium?* non exposuisse. Fuit Africani junioris amicus, et comes: Ita Plut. in *Apophtheg.* Laudavit Scipionis Afric. abstinentiam. Ita Cic. de Off. *lib. 2. c. 16.* Ab eodem Tullio citatur *lib. 4. Tusc. QQ. Panaetii Epist. ad Q. Tuberonem*, in qua laudat Appii Caeci Carmina. Affectos reliquit *libb. de Officiis*: quod etiam miratur Cic. *l. 3. de Off. c. 2.*, cum Posidonius ejus discipulus testetur, 30. an. vixisse postquam eos scripserat.

Pansa (C). Vide *Hirtius* in *H.* Eum laudat Cic. Philip. 7. ejus sapientiam, animi magnitudinem, et virtutem in Consulatu commendans. Idem Tullius *Phil. 5.* laudat *Orat.* ab eo habitam, cum Cos esset una cum Hirtio, cujus etiam *Orat.* laudat. *Philip. 7.* eum iterum commendat ab studiorum societate, ac similitudine cum suis, et a sapientia. Alteram ejus in Senatu habitam *Orationem* laudat *Philip. 10.* initio.

Pantaenus, Phil. Stoicus, qui Christianus factus, Alexandrinae scholae praefuit, eaque mox relicta, ad Indos perrexit, quibus Christi Evangelium praedicavit. Floruit sub Severo, et Caracalla. In schola Alexandr. auditorem habuit Clem. Alexandrinum, Origenis in Sacris litteris magistrum.

Pantilius, Poeta, Horatio parum gratus; eum quippe *Cimicem* appellat *Sat. 10.*, quin de eo amplius mentionem fecerit.

Papias, S. Joan. Presbyteri, seu senioris, auditor. Vixit Romae scriptis suis notus, teste S. Hieron. sub M. Aurelio. Fuit Hieropolit. in Asia minore Episcopus, cujus supersunt nonnulla fragmenta historica.

Papinianus, Jurisconsultus clarissimus, Praef. praet., et justitiae fidelis assertor. Occisus fuit, quia scriptis suis excusare noluit Caracallam Caesarem, qui fratrem Getam, imperii socium, necarat, ut solus imperaret. Recusavit constantissime Papinianus, Getam apud populum calumniari, ei falsa crimina imponendo, ut Caracalla optabat: illud saepe inculcans: *Non tam facile est excusare parricidium,*

quam illud perpetrare: Vox sane digna Justitiae mysta, quae exemplo, et documento esse potest, licet hominis ethnici, plurimis Christianis hujus illuminati seculi, qui pro nihilo ducunt viros doctos, et probos, morum suorum integritate, mutos improborum reprehensores, omni calumniarum genere crudelissime lacerare, ac impios, et sceleratos laudibus extollere. Severus Imperator tanti *Papinianum* faciebat, ut moriens ei filios commendarit. Ita Spartianus. Plura edidit, quorum fragmenta in *Pand.* leguntur. *Quaestionum* scilicet *libb.* 37. *Responsorum libb.* 19. *Definitionum* libros 2., et totidem *de Adulteriis*. Item de *Adulteriis lib.* singularem. Magnae, et vivens, et mortuus inter Jurisconsultos fuit auctoritatis, multumque ejus Sententiae Imperatores, aequitatis amantes, detulerunt in rebus dubiis. Occisus fuit an. Christi 213. paullo post Getae necem.

Pappus, Alexand. Mathem., qui floruit in fine 4. Sec. Eccl. sub Theod. M.

Papyrius (Justus), diversus a Papyrio Frontone, quem citat Callistratus, et a Papyrio, cujus meminit Pomponius. Floruit sub Divis fratribus, et scripsit *Constitutionum libb.* 20., ex quorum duobus prioribus nonnulla in *Pandectis* leguntur.

Papyrius (C.), Orator, et Cos. legis ab eo latae, et *Orationis* ad populum, ab eo habitae, mentionem facit Cicero de *Amicitia*.

Papyrius (Sextus), Jurisconsultus Rom. antiquiss., qui primus leges regias in unum Corpus contulit, jussu Senatus, et populi, regnante Tarquinio Superbo. *Papyriani Codicis* fragmenta aliquot supersunt, collecta, a caussidico Gallo Terrassonio.

Paris, videtur, Poeta Comicus, et Trag. fuisse. Vide ejus Epitaphium in Mart. *lib.* 11. *Epigr.* Forsitan hic erat Pantomimus, Domitiano gratissimus. Vide *Juvenalis* in *J.*

Parmenianus, Donatista Episc. in Africa, qui pro schismate suo scripsit nonnulla, refutata ab Optato Milevitano, quae perierunt.

Paro, Poeta, Virg. aemulus, scripsit carmm., quibus Virgilii *Eclogas*, et *Aeneidem* irridebat. Nonnulla ex his carminibus, valde insulsis, adhuc exstant.

Parthenius. De eo Mart. *l.* 5. *Epigr.*, ubi Musas orat, ut *Parthenium* adeant.

Si non est grave, nec nimis molestum,
Musae, Parthenium rogate vestrum. cet.

Quo in *Epigr.* indicat, eum, et virum doctum, et Musis charum fuisse. A M. Val. Probo citatur *Parthenius*, quidam, qui volumen composuit de *Amantibus*. Utrum hic sit diversus a *Parthenio*, de quo Mart.? compertum non habeo.

Particulo, Vir litteratus, cujus judicium, et ei similium, de *Fabulis* suis Phaedrus magni facit, illiteratum plausum non desiderans. Vide *Prologum lib.* 5. *Fabul.* Phaedri ad *Particulonem*.

Passienus (Paullus), Eques Rom., et Poeta Elegiacus. Is cum

apud Priscum Jabolenum, in magna auditorum frequentia, *Elegos* suos recitaret, et initium faceret dicens: *Prisce jubes*; illico interpellatus, et perturbatus a Jaboleno fuit, qui ei elata voce dixit: *Priscus non jubet*: quo risum auditorum excitavit. Vide Plin. Caec. *Epist*. l. 6., et 9. Numerabat Propertium inter majores suos.

Passienus, Orator, habuit *Orat.* pro Voluseno Catulo, de qua Quint. *l.* 10. *Orator. Institutionum.*

Passienus, Orator, forsitan idem cum praecedenti. De eo Sen. Quintil., et Eusebius. Seneca *Controversia* 6. *libri* 2. eum laudat, ut eloquentiss., et primum sui temporis Oratorem: qui tamen parum in declamando probabatur. Ita Sen. in *Prooemio lib.* mihi 3. *Controver.* Ejus *Oratt.*, et *Declamm.* desid.

Paterculus (C. Vellejus), insignis Rom. Historicus, cujus *Historiae* inventae fuerunt in Morbacensis Monasterii bibliotheca, initio Seculi 16., ubi latebant, sed mutilae, nec quae desiderantur, inventa adhuc sunt; nam, quae Lazius quidam edidit, illegitima aestimantur a M. Welsero, et Lipsio, qui dicunt, vile metallum pro auro a Lazio venditatum. *Paterculi* (in cujus nomine, vel cognomine erratum esse nonnulli dicunt) Latinitas laudatur a Criticis. Notatur tamen in eo adulationis vitium, eo quod supra modum laudet Augustum, Tiberium, et Sejanum. Sed cui hoc mirum, cum sub illis dominantibus scripserit, qui laudibus pascebantur? Nonnulli tradunt, eum una cum Sejano, jussu Tiberii, occisum. Hic *Vellejus* diversus est ab Epicureo Phil., quem pro sua secta loquentem Cic. inducit in lib. de *Nat. Deorum*. Vide *Vellejus* in *V.*

Paterius, seu *Patera*, primum in Gallia: deinde Romae eloquentiae magister, laudatur a S. Hier. in *Chron.* ad an. 337. aerae Christianae.

Paternus, (Tarruntenus), Jurisconsultus, Praef praet. vir maximae auctoritatis, et Commodo Imperatori a consiliis: a quo postea cum aliis ei familiaribus fuit interfectus praetextu conjurationis. Supersunt ex ejus scriptis fragm. quaedam 4. *librorum de re militari*, quos citat Vegetius, eum appellans diligentissimum rei, vel juris militaris assertorem. In *Pandectis* Justinianeis afferuntur nonnulla ex *libb.* 1., et 2. *Paterni de re milit.* Hic *Paternus* alius est ab eo, ad quem Severus Alexander, Juliano, et Crispino Coss., rescripsit. Nostrum enim, velut vetustiorem Scriptorem citat Macer, qui sub Severo Alexandro vixit.

Corollarium II.

Patriarcha, in Ecclesia dicitur, qui sub se habet Episcopos, et Archiepiscopos plurium provinciarum. Est enim *Patriarcha* Patrum Princeps, qui etiam Primas dicitur, quia primatum in Ecclesia habet. Initio fuerunt in Ecclesia 3. solum *Patriarchae*: 1. Romanus, qui sub se totum Occidentem habebat, et Patriarcharum Patriarcha merito dici potest, cujus primatus in universa Ecclesia fuit in Concilio Nicaeno 1., et aliis Generalibus Conciliis agnitus; et testatus;

Alexandrinus, et Antiochenus. Postea Patriarchatus honor concessus fuit Hierosolymitano Praesuli, et demum Constantinopolitano post multas lites. Vide *Episcopi* in *E.* Processu temporis multi novi *Patriarchatus* sunt instituti Romani Pontificis auctoritate.

Corollarium III.

Patricii, Romani dicebantur, qui, ex antiquissimis, et nobilissimis familiis orti, jure suo Senatores erant, modo censum annuum 80. millium sestertiorum haberent. Qui hoc censu carebant, et ne 40. quidem millia haberent, quae ordini equestri adscriptis necessaria erant, Plebeii fiebant, donec censum praefatum haberent.

Patro, Phil. Epicureus, Romae Ciceronis amicus. De eo Cic. *l.* 13. *ad fam. Ep.* 1., et ad Atticum *Ep.* 11. *l.* 5.

S. *Paulla*, Matrona Rom. Latine, Graece, & Hebraice docta. De ea multa S. Hieron. in *Epitaphio Paullae* ad Eustochium filiam, et Historici Eccles.

S. *Paullinus*, Rhetor, Poeta, et vir Consularis, in Gallia natus. Scripsit valde juvenis *librum de Theod. Senioris laudibus*, quem ad S. Hieron. misit: quod Opus S. Doctor laudat in responsione ad eum. Hic *liber* desid., ut desiderantur plura alia, quae versu, ac soluta Oratione scripsit. Supersunt tamen, praeter *Epistolas* familiares, plura ejus *Poemata*, quae cum plausu leguntur. Fuit discip., et amicus Ausonii. Barcinone eum sacris initiavit Episcopus Lampius, id poscente populo, qui ejus sanctitatem agnovit, cum, Compostella redux, illac cum uxore Therasia transibat. Postea fuit Nolanus Episc. electus, et obiit sanctissime non multo post Honorium, sub quo floruerat doctrina, et sanctitate clarus. Laudatus fuit a viris doctiss., et sanctissimis suae aetatis. Ausonius, (quem crediderim ejus monitis Christianum factum) laudat *Poema Paullini*, quo in Epitomen redegit *Opus* Suet. *de Regibus*, et affert nonnullos *Paullini* versus singularis elegantiae, brevitatis, et perspicuitatis.

Paullinus, Praesul Antioch., de quo S. Hier. ait, eum in *Epistolis* stylum Tullii repraesentare, et se ejus eloquentia terreri. Inter *Epist.* S. Hier. legitur una ad eum. De eo etiam, Romae degente, loquitur in *Epitaph. S. Paullae*.

Paullinus, vir doctiss. Praef. praet., et praecipuus junioris Theodosii administer. Eum Theodosius occidi jussit ob suspiciones quasdam, quia nempe pomum ingens, quod uxori Eudoxiae, sive Athenaidi dono dederat, in cubiculo *Paullini* aegrotantis vidit, et mendacem uxorem, interrogatam de pomo illo, invenit. Vide Historicos Eccles. ad 5. Eccl. seculum.

Paullinus (C. Suet.), Vir Consul. scripsit ea, quae in Africa, cui praefuerat, militari virtute gessit, Imperii hostes domans. Citatur a Plin. *l.* 5. *c.* 1. *H. N.* Ejus scripta non comparent.

Paullinus, L. Annaei Senecae amicus, Rationum Imperii administrator. Ad eum est Senecae *liber de Brevit. Vitae*, in quo ejus di-

ligentem, et fidelem administrationem laudat. Eum tamen hortatur, ut, relictis publicis curis, sibi vivat, cogitans, non iccirco prima aetate omni liberalium studiorum cultu deditum fuisse, ut ei multa millia frumenti committerentur. Majus namque aliquid, et altius de se promiserat.

Paullinus, Praesbyter, S. Ambrosii Amanuensis, qui ejus *Vitam* edidit, et misit ad S. Augustinum, cujus rogatu eam scripserat.

Paullus (Sergius), Procos., a quo S. Paullus, olim *Saulus*, qui eum ad Christum pertraxit, *Paulli* nomen accepit. De eo cum laude in *Apostolorum Actis*. Sunt qui dicant, eum postea ordinatum Narbonensem Episcopum fuisse.

S. *Paullus*, antea *Saulus* dictus, patria Tarsensis, natus civis Romanus, ut ipse testatur *Actuum Apost. cap. 22.*: postea longa Romae commoratione novo titulo civis factus Romanus. Hebraicam legem a puero amplexus est, cum in patria, ubi celebris Schola erat, humanis fuisset litteris eruditus. A patria Hierosolymam profectus, illic divinis fuit a Gamaliele diligenter edoctus. Ad fidem Christianam, cum eam totis viribus insectabatur, mirabiliter ab ipso Chrisro perductus, multo doctior evasit, Spiritus Sancti supernis doctrinae, et sanctitatis donis cumulatus, et gentium Apostolus factus. Plures *Epistt.* ab eo vario stylo, et sermone missas, in Sacris Bibliis habemus, sed multo plures intercidisse ab eo scriptas crediderim. S. Hieronymi aetate legebantur *Epistolae* S. Paulli ad Senecam, et hujus ad S. Paullum. Verum quae circumferuntur, subdititiae a Criticis censentur. Vide *Acta Apost.*, et Hist. Eccles. Vide etiam *Tertius* in *T.* De loco ubi Romae degebat S. Paullus cum S. Luca, vide Lorinum super caput 28. Actuum Apostolorum.

Paullus, Senator Rom., et Caussid. luminibus captus, qui forensia stipendia exequebatur, audientia frequenti gaudens. Ita Val. Max. *lib. 8. c. 7.*

Paullus (Jul.), citatur a Gel. *l. 16. c. 10. NN.*, ut Poeta doctiss. suae aetatis. Ejus *Carm.* latent, vel perierunt,

Paullus Concordiensis, Amanuensis, sive Scriba S. Cypriani Episc., et M., et ab ejus studiis. Ad eum jam centenarium, et adhuc vegetum, scribit S. Hieron. petens, ut sibi mittat libros aliquot, et ad eum mittens *Vitam S. Paulli* Eremitae a se editam.

Paullus (Jul.), Jurisconsultus Patavinus magni nominis, Ulpiani, et Papiniani aequalis. Scripsit *libb.* innumeros, quos recensere longum esset, quibus nullam Juris particulam intactam reliquit, idque praestitit magna styli gravitate. Ita Jurisperitorum Historici, ex quib. haec tradit Gravina in Opere de *Orig. Juris Civilis*. Innumera fragm. ejus Operum in *Pandectis* Justin. leguntur. In *Instit. Justin.* prudentissimus dicitur in *tit. de Haered. instituendis*.

Paullus (L. Aemil.), vir triumphalis, Cos., et Orator, qui *Orationem* ad populum habuit, de sua orbitate, 4. filiis amissis, disse-

tens, cujus sententt. vide apud Val. Max. *l. 5. c. 10.* Ejus *Vitam* scripsit Plutarchus.

Paullus, Poeta, vel parum ad poesim aptus, vel valde desidiosus. Si enim Martiali fidem habemus, aliena Carm. tanquam sua vendit*a*bat, quia ea emerat.

PE

Corollarium III.

Pecunia Romanorum, vide verbo *As* in *A*: *Numa* in *N*: *Sestertium* in *S*. Romae argentum primo signatum dicitur an. U. C. 490. plus minusve; aurum vero 60. an. serius. Sunt tamen, qui tradunt, Servium Tullium, regem, aes, et argentum signasse.

Pedo, inter libros Sexti memorat Mart. *lib. 5. Epigr. ad Sextum*, libros, ut arbitror Poeticos, *Pedonis*.

Peduceus (Sextus), Trib., et Orator, qui totum Pontificum collegium criminari non est veritus, eo quod male, seu parum integre de Virginum Vestalium quarundam incestu judicasset. Ita Asconius.

Pelagius, haeresiarcha, divinae gratiae hostis, omnia naturae tribuens. Fuit doctus, et astutus monachus Brito, habuitque non paucos sui insani dogmatis sectatores. Ejus dogma impugnatum fuit statim a SS. Hier., et Augustino, et damnatum in variis Conciliis, in Oriente, et Occidente habitis. Ejus scripta subdola, et ambigua, ut damnationem devitaret, majori ex parte perierunt. Vide Hist. Eccl., inter quos legi meretur Natalis Alex.

Pelagonius, citatur a Vegetio in *Praef.* ad suum Opus de *Veterinaria*, seu de *Mulomedicina*. De eo ait, non caruisse dicendi facultate, quae in Columella abundabat. Egit de animalium morbis, et medicina, sed ejus Opus desid.

Pentadius, Poeta, de quo in *Fragm. Vet. Poetarum* fit mentio.

Persennius, dux olim theatralium operarum: postea miles, satis eloquens, qui seditiosam habuit *Orationem* ad commilitones, cujus sententias affert Tac. *l. 1. Ann.*

Peregrinus, Phil. sub M. Aurelio, cognomento *Protheus*. De eo Gel. *lib. 12. c. 11. NN.* Se ipsum, extructo rogo, apud Pisas cremavit, quo nominis celebritatem homo vanissimus, et insanus, sibi in ludis Olympicis compararet. Ita Euseb. in *Chron.* Lucianus de ejus morte librum scripsit.

Persennius (Mantius), Nolanus, citatus a Catone de *re rustica*.

Persius (C), Cic. *de Cl. Orat.*, eum ut valde doctum commendat, et testatur, Lucilium Poetam Satyricum ejus censuram reformidasse. Huic Romani tribuebant *Orat. C. Fannii de Sociis*, et *nomine Latino*, quam sane bonam, et nobilem Cicero vocat. Haec *Or.* non exstat, vel latet.

Persius (A), Poeta Satyr. satis notus, discipulus Cornuti, celebris Phil. Vide *Cornutus* in *C*. Praeter 6. Satyras, quae leguntur, alias eum scripsisse nullus dubito. Nonnulla enim in juventute ab eo scri-

pta. noluit Cornutus in lucem proferri post ejus mortem, quia parum matura, et emendata. Obscuro nimis stylo usus fuit, et intellectu difficili: adeout S. Hieronymus eum abjecerit ob obscuritatem, dicens: *Si non vis intelligi, non vis legi*. Obiit an. agens 30. imperante Tiberio, ut nonnulli tradunt: mihi tamen videtur verisimilius, sub Nerone obiisse. Erat ex ordine equestri, et de ejus patria dubitatur. Diversus ab hoc est *Persius*, citatus in *Floridis* ab Apulejo, de quo nihil aliud novi.

Pertinax (P. Elvius), Rom. Imp. *ludus pilae* dictus. Primum in Liguria: deinde Romae privatus Grammaticam docuit. Ludo demum litterario relicto, militiae adscriptus est: in qua, rebus bene gestis, militari sua virtute, et peritia popularem gratiam sibi conciliavit, ac post varia munia ad Rom. Imperium regendum electus fuit mira felicitate: quae tamen diuturna non fuit. Nam 85. Imperii die, insidiis Laeti, viri primarii, qui ei Imperium procuraverat, militari factione fuit occisus an. aet. 71: Christi 193., vel 192. Fuit discipulus in *Jure* Sulpicii Apollinaris.

Pestanus, Vibonensis, citatus, ut Scriptor, a Macrobio *lib. 6. Saturn.*

Petilianus, Afer Constantiniensis Episc. alter ex Donatistis, qui a parte Donati electus fuit ad conferendum, et disputandum cum Episc. Catholicis Carthagine. Contra eum scripsit S. Augustinus. Ante Episcopatum erat forensis Advocatus.

Petricus, Poeta, qui de re medica scripsit versus, citatos a Plin. *H. N. l. 22. Petrici OO.* desid.

Petronius, Massil. Poeta, de quo Sidonius Apoll., qui, ut arbitror, de *Petronio Arbitro* loquitur: nam hic fuit Poeta, et patria Massiliensis. Vide *Arbiter* in *A.*: quibus addo: In *Petronii Arbitri Catalectis* esse fragmenta *Petronii* Rhetoris, *Petronii* Grammatici, *Petronii* Afranii, *Petronii* Indici, M. *Petronii* Venusiani, *Petronii* Antigenidis Pisauren., et *Petronii* alterius Pisaur. *Petronii* Apollodori XV-Viri, et *Petronii* levitae. Non constat, cujus hi aetatis fuerint.

S. *Petrus*, Alexandriae Episc., et M., vir doctissimus, qui Arium primus damnavit. Passus sub Maximiano duodecimo sui Episcopatus anno.

PH

Phaedro, Phil. laudatus a Cic. *lib. 13. Epist. fam. Ep. 1.* Florebat Romae, Cicerone puero, cum quo jam senex amicitia conjunctus fuit.

Phaedrus, Phil. Romae notus, Ciceronis aevo, pater Lysiadis, quorum meminit Cic. *Philip. 5.*

Phaedrus, Thrax. Aug. libertus, et Poeta satis elegans, et perspicuus. Hujus Fabulae Aesopicae Jambis scriptae, (quarum nonnullae mutilae ad nos pervenerunt), Petro, et Francisco Pithaeis fratribus debentur; licet non pauci credant, a Phaerno antea inventum fuisse exemplar dictarum *Fabularum*, quod apud se pressum habuit, ut se-

curius posset sine plagii nota nonnullas *Phaedri Fabulas* sibi tribuere, inter quas illam de *Arboribus*.

S. *Phaebadius*, Aginnen. in Gallia Episc. Scripsit in fine 4. Eccl. seculi contra formulam fidei Arianorum. Praefuit Concilio Caesaraug. contra Priscillianistas, et Valentino in Gallia sub S. Damaso Papa. De eo adhuc vivente meminit S. Hier. *de Script. Eccles.* Obiit circiter an. Christi 394.

Philargyrus (Jul.), Gramm. scripsit *Comment. in Virg. Georgica*, in quibus citat Celsum in *Georgicis*.

S. *Philastrius*, Brixien. Praesul sanctiss., et doctiss. affuit cum S. Ambrosio Conc. Aquilejensi sub S. Damaso Papa, celebrato non multo post Constantinop. 1. Plura scripsit cum multa eruditione.

Philetus, haereticus, cujus *sermo*, *ut cancer serpebat*, cum Hymenaeo resurrectionem esse jam factam docuit, subvertens quorundam fidem. Vide S. Paulli *Epist. 2. ad Timotheum c. 2. v. 17*.

Philinus, Carthagin. Historicus, a Polybio reprehensus, quod in Bello Punico omnia a Poenis laudabiliter, et fortiter; a Romanis autem turpiter, et ignaviter gesta fuerint, scribat. *Philini Historiae* desid.

Philippus (L), Orator, et Cos. Inter fragm. Historiarum Sallustii legitur ejus *Oratio*, seu potius stylo Sallustiano leguntur sententiae Orationis, habitae ab ipso in Senatu. Val. M. *lib. 6. c. 2.* meminit alterius *Orat.* pro rostris habitae a *Philippo*. Cic. in *Bruto* eum vocat Oratorem gravem, suavem, et facetum, ac Antonio, et Crasso proximum. Ejus *Oratt.* desid.

Philippus (Aurel.), Hist. Severi Alex. Imperatoris magister, et ejus patris libertus. Scripsit *Vitam Severi Alexandri*. Ita Lampridius. Ejus *Hist.* desid.

Philiscus, Sophista comatus. In eum dixit Antoninus Imper. *coma virum: Rhetorem indicat vox*. Ita Philostratus.

Philo, Phil. Academ. Ciceronis Romae praeceptor in Philos. Ita in *Dial. de Oratt.*, et Cic. in *Bruto*, ac *Ep. 1. l. 13. Epist. famil.*

Philo (L), Orator. De eo Cic. *Actione 1. in Verrem*.

Philo, Hebraeus Phil. Graecis, et Lat. eruditus litteris. Plura scripsit 1. Eccl. seculo. Legatus a Judaeis Alexandrinis fuit ad Cajum Caesarem. Postea Romam rediit sub Claudio Imperatore, et tunc familiariter cum S. Petro egisse dicitur, et factus Christianus. De eo Euseb. Caesar. S. Hieron. Photius, Suidas, et alii. Laudavit vitam primorum Christianorum, sub S. Marco Alexandriae commorantium. Josephus Scaliger ait, ignorasse Hebraicam linguam, quod vix crediderim. De eo dictum; *aut Plato philonizat, aut Philo platonizat*, adeo Platonem stylo imitatus fuit.

Philodemus, Graecus, Phil. Epicureus, et Poeta, L. Pisonis familiaris. Eum laudat Cic. in *Orat. in L. Pisonem*, quin eum nominet. Verum Asconius ejus nomen promit in *Comment.* ad illam *Orat.* Vide *Piso* postea,

Corollarium IV.

Philosophi, Roma ejecti. Vide *Apollonius* in *A*. Quintil. *l. 6.* nominat Philosophos, qui de *Arte Orat.* scripsere. Plura *Philosophorum* Rom. Opera, praeter ea quae in hoc *Syllabo* indicantur, periisse, extra dubium est. De *Philosophorum Placitis*, vide Plut. De *Philosophorum* Erroribus, vide Q. Mod. Censorinum *Dissert. 5. in Paradox. de Vita, et Morte Lat. Linguae*. Graeci *Phil.*, in plures sectas divisi, contentiosam, et sophisticam magis, quam solidam Philosophiam excoluerunt: Romani sine tanta affectatione, et quin barba, et pallio, ut Graeci, uterentur, solidiores Philosophi evaserunt: ex solidioris namque Philosophiae penetralibus Jurisprudentiam suam, omnibus seculis probatissimam, eruerunt. Multa de *Philosophis*, et *Philosophia* doctissime Lact. *l. 3. Divin. Inst.*, Cic. in *QQ. Acad.*, et *Tuscul.*; ut item Seneca de *Vita beata*, et alibi saepe. De Epicureis Phil. Vide *Amafanius* in *A*: *Epicurei* in *E*. De Philosophorum dissidiis, vide verbo *Gellius* in *G*. Seneca *de Vita beata c. 18.* ait: *Philosophis objici, aliter loqui, et aliter vivere*. Apologiam pro Philosophis illic lege

Philostratus, Phil. Romae clarus sub Severo Imp. Scripsit *Sophistarum Vitas*, et Apollonii Thyanaei *Acta*, non sine multis fabulis. Fuit valde acceptus Severi Imperat. uxori, foeminae doctae.

Philoxenus, Alexand. Romae scripsit de *Verbis monosyllabis*, de *Graecismo*, et *de genere Linguarum*. Forsitan hic est

Philoxenus, Aegyptius, qui plura volumina de *Chirurgia* edidit, teste Celso in *Praefatione ad lib. 7. de re medica*, qui alios chirurgos Medicos citat in *Praefationibus* ad libros suos: inter quos Meges, Chirurgus peritissimus, non praetermittitur.

Phlegon, Trallianus, Hadriani Imp. libertus, qui plura scripsit, inter quae 16. *Olympiadum libros*, in quorum altero meminit Eclipsim solis, quae patiente Christo Domino, contigit. In Eusebii *Chron.* leguntur aliquot fragmenta *Phlegontis*. Scripsit insuper de *Fastis Roman.*, et de *Nominibus locorum Urbis*, quae OO. desid.

Corollarium V.

Phoenices, a quibus per Cadmum Graeci litteras acceperunt, ac varias artes, et disciplinas didicerunt, fugientes arma Josue, non modo in Graeciam, et Aegyptum, sed non pauci in oras Tyngitanas Africae penetrarunt, ubi litteras Phoenicias, et linguam, quae Runica dicta postea est, reliquerunt, ut etiam navigandi, et negotiandi artes. Prope Caesaream Tyngen columna inventa fuit cum Inscriptione litteris Phoeniceis edita: *Nos a facie fugimus Jesu, praedonis, filii Nave*. Vide Cael. Rhod. *l. 18. c. 28. Lect. Ant.*

Photinus, magni ingenii, et non vulgaris eloquentiae, ac eruditionis haeresiarcha, Sirmiensis Praesul, Paulli Samposathaei discipulus, docebat, Christum esse purum hominem, et initium habuisse ex Maria Virg. praeter errores alios. Damnatus fuit in Conc. Mediol.

an. Christi 347., et exauctoratus in Sirmiensi an. Christi 351. Apud Constantium conquestus de iniquo judicio, denuo examinatus, interrogatus, et a Basilio Ancyrano Praesule in frequenti concione convictus, exsilio multatus fuit a Constantio.

Phronimus (C. Jul.), Palatinae biblioth. Praef. ex antiqua Inscriptione.

Phurnutus scripsit de *Natura Deorum*, sive de Fabularum Poeticarum *Allegoriis*.

Picens, Poeta Epigram. Martiali parum probatus, V. *lib. 8. Epigr.* De eo haec Mart.

Scribit in aversa Picens Epigrammata charta,
Et dolet averso, quod facit ille Deo.

Ejus *Epigrammata* interciderunt.

Pictor (Serv. Fab.) a Cic. laudatus in *Bruto*, ut Juris, litterarum, et antiquitatis peritus. Scripsit *libb.* Pontific., quorum primus citatur a Macr. *l. 3. Saturn.*, et a Nonio, *lib. 3. Juris Pontif.*, et *primus rerum gestarum*. Haec *OO.* interciderunt.

Pictor (Q. Fab.), Histor. Rom. antiquiss., ab omni ornatu in rebus narrandis abhorrens, factorum veritate contentus. Citantur a Gellio *lib. 10. c. 15.* ejus verba de *Flamine*, et *Flaminica Diali*, admodum notabilia, quae illic legi possunt. Fuit Jurisconsultus, Orator, et egregius Pictor: voluitque nomen suum parietibus templi Salutis inscribi, ac in illis visebatur pictura ab eo facta. Vide Plin. *H. N. lib. 35. c. 5.* De eo etiam S. Hier. in *Nepotiani Epitaphio*.

Corollarium VI.

Pictura, (quae magnam affinitatem cum Poesi habet, adeo, ut Pictura, muta Poesis dicatur, ac Poesis *loquax Pictura*) eruditionem non vulgarem in Pictoribus requirit. De *Pictura*, et Arte pingendi plures Romanos scripsisse arbitror, quorum Opera ad nos non pervenerunt. Illud Plinius ignorare nos non sinit, celebres *Pictores* inter Romanos non defuisse. Inter eos memorantur a Plinio Turpilius, Rom. eques, qui sinistra manu depingebat, et Q. Paedius ex nobiliss. stirpe, qui mutus erat. Valentinianus senior, Rom. Imperator, *Picturae* studiosus, plures immunitates Pictoribus ingenuis concessit: quae videri possunt in *Cod. Theodos.* cum Notis Gothofredi. De Zeusis uvis, de vacca Myronis, de equo, et cane ab Apelle depictis, deque marmorea, a Praxitele Veneris elaborata statua. Vide Plin.

Pierius, Alexand. Presbyter eruditissimus sub Caro, et Dioclet. De eo S. Hieronymus.

Pinnius, T. Pinnii filius. Cic. eum appellat mire studiosum, eruditum, et modestum in *Epist.* ad P. Silium Propraetorem *lib. 13. Epist. Fam.*

Piso (L), vir Consularis, et nobilissimus, Phil. Epicureus, Ciceronis inimicus, in quem Cicero omni conviciorum genere invehitur *Orat.* in eum. Ciceronis Carmen taxaverat, quod Cicero defendere conatur in dicta *Orat.* ei respondens.

Piso (L) alter, Orator, qui defendit CN. Pisonem, forsitan fratrem, vel consanguineum, accusatum maleficii in Germanicum sub Tiberio. V. Tacitum *l. 3. Ann.* Haec *Or.* desid. Crediderim, hunc *L. Pisonem* praecedentis filium fuisse.

Piso (Frugi), *Annalium* Scriptor, laudatus a Gel. *l. 11. c. 14.*, ut Scriptor suavissimae simplicitatis. Supersunt tantum ejus *Annalium* aliquot fragmenta.

Piso, pater Pisonum adolescentum, ad quos Horatius *Epistolam de Arte Poetica* direxit. In hac eum laudat indicans, Poetam fuisse. Exploratum non habeo, an is sit *L. Piso*, *Caesonius* dictus, in quem Cicero furiose invehitur *Oratione* in *L. Pisonem*. Hic familiarem habebat Graecum hominem, quem, ut valde eruditnm laudat Cicero, ac ut Scriptorem rerum parum laudabilium *L. Pisonis* stylo poetico. Vide *Philodemus* in hac littera.

Piso (M), Orator, qui, teste Cicerone in *Bruto*, in Judicio Vestalium, quas, vel accusavit, vel defendit, magnam laudem consecutus fuit. Vel de hoc, vel de alio *M. Pisone* loquitur Cic. *lib. 1. de Nat. Deorum*, eum insignem Peripatet. Phil. fuisse indicans.

Piso (Calpurnius), vir nobilissimus, Lucani amicus, cum quo Lucanus in Neronem conspiravit, et ambo, jussu Neronis, occisi fuerunt venarum incisione. Exstat Lucani *Poema heroicum*, quo *Pisonem* miris laudibus effert, indicans, eum, et litteris, et multis animi dotibus ornatum fuisse. Non liquet, an filius hujus fuerit, aut propinquus, qui sequitur.

Piso, laudatus a Galeno, ut Medicinae peritus, licet vir inter Rom. illustris, cujus filium aegrotantem videtur Galenus curasse, et a morbo liberasse. Ei dicavit Galenus *lib. de Antidotis*, in quo multa de *Theriaca Andromachi*.

Piso (L. Carpurnius), Cos. scripsit *libb. 2. de Continentia Vet. Poetarum*, in quib. leguntur primi Naevii versus de *primo bello Punico*. Vide *Torquatus* iu *T*.

Piso (C), M. Tullii gener, Orator, singulari laude a Cic. ornatus in *Bruto*. Hunc, qui pusillo erat corpore, cum videret longo ense accinctum, dicebat Cicero: *quis generum meum tam longo ensi alligavit?*

Piso, dictus *CN. Calpurnius*, ut sermonis plenus Orator laudatur a Cic. in *Bruto*. Videtur Satyricus Poeta etiam fuisse, nisi si alter fuerit, ejusdem nominis; de eo namque ait Cic., CN. Pisonem carminibus maledicentissimis C. J. Caesarem lacerasse. Magna itidem libertate hic *Piso* invectus est in CN. Pompejum, defensorem Manilii Crispi, quem *Piso* accusabat. Ait quippe Val. Max. *lib. 6. c. 2.*, eum juvenili impetu, ac studio accusationis provectum, multa, et gravia crimina praepotenti defensori objecisse. Me latet, an hujus filius fuerit *Piso*, legatus Germanici in Asia, et a Senatu injuriarum in Germanicum sub Tiberio damnatus, qui jugulatus domi inventus est, et de eo Romae creditum, se occidisse. In multis Hispaniae numis-

matribus legitur *Calpurnii Pisonis* nomen; ejus, qui post C. Marium Hispaniae ulteriori praefuit. De hisce numismatibus, et de hoc *Calpurnio Pisone* vide Marianam *Historiae Hisp. lib. 3. c. 11.*, et *16.* postremae editionis Hispanae, curatae a V. Cl. Joan. Santanderio, Reg. primariae Matrit. Bibliothecae Praefecto, cui debeo exemplar magnificum, quo utor. *Capite 16.* dictae Hist. memoratur *Pisonis* obitus; cum praeesset Hispaniae ulteriori an. U.C. 689.

Pitholeon, Poeta Rhodius, reprehenditur ab Horatio *lib. 1. Satyra 10.*, eo quod voces Latinas suis Graecis Poematibus inseruerit, ut Lucilius Graecas suis *Satyris* Latinis, ob quod a nonnullis imperitis laudabatur, ut ab Hermogene, Augusti Musico, et Poeta, quem Horatius in Satyris taxat.

Pituanus (L), Mathematicus, e Saxo Tarpejo dejectus. Vide Tacitum *Annal. lib. 2.*

PL

Placidus (Annaeus), citatus a Servio in Virgilium. Verisimile est, ex Hispanis *Annaeis*, ex quibus etiam Senecae familia ortum ducebat, progenitum fuisse. Si Ferrariae invenissem Nicolai Antonii Hisp. Bibliot. veterem, potuissem de hoc, et de aliis *Annaeis*, Senecarum familiae extrariis, plura dicere, nisi si de illis mentio in ea facta non sit, quod incompertum habeo.

Plancus (L. Numatius, vel potius *Munatius*), Cos. ad quem est *liber 10. Epistt. familiarium* Ciceronis, in quibus Cicero de ejus virtute militari, justitia, et summa eloquentia loquitur. Ejus verba ad populum Rom. citantur ab Asconio in *Commentt. ad Ciceronis Orationes*. M. Seneca de eo loquitur *l. 8. Controv.*, ut de summo Declamatore. Fuit Ciceronis discipulus, et ob id forsitan adversarium habuit Asinium Pollionem, qui, cum pararet *Orationes* contra Plancum, post Planci mortem edendas, ne *Plancus* respondere posset, idque is rescivisset; Asinium irridens dixit, cum mortuis non nisi larvas pugnare. Vide Plin. in *Praef. ad Hist N.* Praefuit *Plancus* hic Galliae Comatae, ubi Lugdunum condidit. Ita S. Hier. in *Chron.* ad an. 16. Imp. Augusti.

Plancus, Phil. Stoicus, memoratus a Quint. *l. 10. c. 1.*, ubi, citato Catio, ait, in Stoicis esse utilem: in Epicureis levem, sed non injucundum. Ignoro, an idem sit cum praecedenti, quem consolatur Horat., et sapientem vocat *Ode* quadam *lib. 1.*

Planus, insignis impostor Romae notus Horatii aetate, de quo Hor. in *Epist. lib. 1. Nec semel irrisu triviis attollere curat, Fracto crure, Planum*. Ita Acron, Horatii antiquus Interpres.

Platonici. Vide *Academici* in *A*. Siquid de Trinitate obscure scripserunt, ut nonnulli tradunt, ex sacris litteris, vel ex doctis Hebraeis acceperunt.

Plautus (M. Accius), Poeta, Umber Sarcinas, Comicorum Latinorum facetissimus, et salsissimus, licet ejus sales, ut parum urbani ab

Horatio fuerint notati : licet etiam sint multi, qui *Plautum* carpant, eo quod multa vocabula ex foece vulgi usurparit. Alii contra: eum laudant, eo quod Latinam linguam novis vocabulis ditarit, et quod Latina phrasi, pura, et eleganti utatur. Illud valde honorificum *Plauto*, quod a Varrone narratur: Stolonem nempe, sive Stilonem dicere solitum: Musas si Latine eloqui vellent, Plautino sermone locuturas. Quod Stolonis dictum parum probavit Muretus, qui in suis *Variis Lectionibus* sic dictum illud emendat: Musas nempe, si meritricio, et non virgineo more, si vulgi sermone, et non urbano, loqui vellent, *Plautinum* proculdubio sermonem usurpaturas. Et sane *Plautus* nimis frequenter Comoediis suis lenones, et lenas, meretriculas, et parasitos in theatrum adducit, in quo etiam peccavit Terentius, populo, seu vulgo potius placere cupiens, quam civibus bene moratis, et institutis. Multis item *Plautus* verbis, parum pudicis, obsoletis, Graecismis, et Archaismis utitur, a quibus Musae proculdubio abstinerent, si Latine loqui vellent. *Comoedias* suas dabat *Plautus*, teste Ricciolio, ante Christianam aeram annis 200. Recensentur 30 supra 100. ab eo datae, quarum pars maxima desid. Varro tamen ait, non omnes *Plautinas* esse, quae *Plauto* tribuuntur, sed multas *Plautinas*, a Plautio quodam compositas. Nonnullas dicitur lucubrasse, cum in pistrino molam versaret, magna inopia laborans. V. Gel. *l.* 3. *cap.* 3. *NN.* En Epitaphium, quod sepulchro suo voluit inscribi.

Postquam est morte captus Plautus,
Comoedia luget: Scena est deserta.
Deinde risus, ludus, jocusque, et numeri
Innumeri simul omnes collacrymarunt.

Videtur Punicae linguae non imperitus fuisse; affert namque nonnullos Punicos versus in altera ex Comoediis, quas habemus. Obiisse traditur ante Christi ortum an. 184.

Plautus, Rubellus. De eo Tac. *l.* 14. *Ann.*, ait Stoicorum arrogantiam assumpsisse. Eum tanquam vanum notat Juven. *Sat.* 8.

Plautius, Poeta Comicus, de quo Varro, ut dictum est.

Plebs: *Plebeii*. Vide *Patricii* supra.

Pletorius (M), Orator, qui M. Fontejum, a Cic. defensum, accusavit repetundarum, eo quod Praetor in Gallia questum fecisset viarum munitione, et vini portoriis institutis.

Plinius, antiquior C. Plinio Secundo, et Plinio Caecilio, magis notis, citatur, ut Historicus a Tacito *lib.* 13. *Ann.*, ubi de Burrho, et Seneca.

Plinius Secundus (C), patria Veron. Historiae Nat. Scriptor notissimus. Vir fuit pertinacissimi, nec unquam intermissi litterarii laboris. Semper enim, vel legebat, vel legentem audiebat. Lectionem autem cum scriptione ita jungebat, ut ex his, quae in bibliothecis, in lectica, in mensa, ambulando, equitando, vel legeret, vel audiret, semper aliquid excerperet, at vel ipse scriberet, vel alteri scri-

bendum dictaret. Praeter *Hist. Naturalem* (Opus immensae eruditionis) scripsit libros *studiosorum* inscriptos, quibus Oratorem ab incunabulis formabat. Ita, ejus Nepos, Plinius Caecil. in *Epist.* ad Macrum, et Gel. *l.* 9. *c.* 6. Idem postea, vel non absimile fecit Quintil. suis *Oratoriis Instit.*, in quib. mentionem facit Operis praefati Pliniani, et de *Gestu lib.* 11. agens, nonnulla ex Plinio citat. Scripsit insuper volumina 30., in quibus bella omnia, a Romanis cum Germanis gesta, narrabantur: quae omnia desid., ut etiam, quae edidit de *equestri jaculatione*, de *Grammatica*, ac de *rerum gestarum historia*, de quibus ab ipso fit mentio in *H. Nat.*, ut etiam a Plin. Caecil. *lib.* 5. *Ep.* 8., et a Tac. *l.* 1. *Ann.* Testatur praeterea de se, scripsisse res gestas Neronis, ex quibus Tacitus refert nonnulla *l.* 13. *Ann.* Item res gestas a Vespas., et filiis. Vide ipsum *lib.* 2., et in *Praef. H. N.* Demum edidit binos *libb. Vitae Pomponii Secundi*, de quibus meminit *lib.* 16. *c.* 4. Haec ad nos non pervenerunt, uti nec libri *dubii sermonis*, citati a Charisio. Ejus nepos *Epist.* 5. *lib.* 3. ait: *Electorum Comment.* 160. sibi relictos opistographos, qui erant scripti minutissimis litteris. Hi autem *Comment.* latent, et forsitan editi non fuerunt.

Quanti autem fierent in Hispania ejus Opera, intelligi potest ex eo, quod narrat ejus nepos, potuisse nempe vendere avunculi *Commentt.* 400. millibus nummorum largio Licinio, eos habere ardentissime cupienti, cum ipse res Caesaris in Hispania procurabat. *Historiam Nat.* Plinii illustrarunt plures viri eruditi, inter quos celebris Arduinus, Jesuita Gallus, qui ab omnibus commendatur, ut insignis *Plinii* illustrator, licet in nonnullis Plinii mentem assecutus non fuerit, si posterioribus *Plinii* illustratoribus fidem adhibeamus. Studium cognoscendi caussas eruptionum Vesuvii ei mortem attullit inexpectatam, et immaturam sub Tito an. Christi 80., aetatis suae 56. Floruit sub Vespasiano, cujus filio Tito *H. N.* dicavit. Ab Aulo Gellio, et aliis notatur *Plin.* tanquam nimis credulus; at non animadvertunt ejus reprehensores, ab eo narrari, quae in Auctoribus Graecis, et Latinis invenit, ea relinquendo judicio lectorum, quin dicat, se illis, quae narrat, fidem adhibere: ut mittam, plura olim incredibilia visa fuisse, quae, post novi orbis notitiam, verissima inventa sunt. Notatur etiam *Plin.*, quod divinae Providentiae parum, aut nihil tribuerit, omnia fato, vel casui adscribens. Verum hic error valde communis inter Ethnicos fuit, quem L. Sen. in *lib. de Provid.* solidissime refutavit, sese fere Christianum Phil. ostendens.

Plinius (C. Caecil.), Novocomensis, praecedentis nepos, magnus Orator, magnus Criticus, et Christianorum, quantum in ipso fuit, cum Bithyniae Procos. esset sub Trajano fautor. Fuit Quintiliani discip., et ejus filiae dotem auxit 50. millibus nummorum. Floruit Trajani Imper. gratiâ, cujus laudes eloquentissimo Panegyrico est persecutus, ei gratias agens pro suo Consulatu. Quae *Oratio* cum plau-

su eruditorum legitur. Desiderantur tamen aliae ejus *Orationes*, et inter eas *Oratio*, quam habuit in dedicatione bibliot. suae, quam civibus suis donavit, ut publico esset usui, postquam multa scutorum millia illis legasset, ut scholas publicas, accersitis optimis magistris, stabiles haberent, ne Novocomenses alio mittere cogerentur liberos suos. Vide ejus *Epistolas*, quarum plurimas, vel latere, vel intercidisse constat, ut latuit liber 10., de quo, invento in Gallia, diu dubitatum fuit, utrum legitimas *Plinii*, et Trajani *Epistolas* contineret? *Martialis*, quem decedentem in Hispaniam pecunia viaticavit, eum prolixe laudat. Inter alia haec de eo *lib. 10. Epigrammatum*.

Totos dat tetricae dies Minervae,
Dum centum studet auribus virorum,
Hoc quod secula, posterique possint,
Arpinis quoque comparare chartis.

Non a Mart. solum, sed a Quintil. Macrobio, et Sidonio ejus eloquentia laudatur. Ante 20. aetatis an. caussas orabat., multasque *Orationes* habuit, quae, ut ejus *Poemata*, desid.

Plistonicus, Medicus praeclarus, cujus meminerunt Celsus, et Plinius.

Plotinus, Aegyptius Lycopolites, Phil. Platon. clari nominis, qui Romae magno cum plausu Philosophiam professus est, et plura scripsit obscura, sublimia, et intellectu difficilia. Auditores Romae habuit, praeter Origenem ethnicum, Porphyrium, et Amelium, plures Senatores, et foeminas illustres. Romae vixit 26. an., et obiit extra Urbem an. aet. 66. Fuit valde carus Gallieno Imper., et ejus uxori Saloninae. Ejus vitam Porphyrius scripsit.

Plotius, Lugdun. Rhetor, insignis Romae Latine dicendi magister, teste Quintil. Is primus Romae publicam Scholam Latine dicendi aperuit, Cicerone puero. Seneca in *Prooem. lib. 2. Controv.* de eo mentionem facit. S. Hier. de *Viris illustr.*, vel in *Chron.*, ait: *Plotius, Gallus primus Romae Lat. Rhet. docuit:* et Cic. in Oratore: *Memoria teneo, pueris nobis, Latine docere coepisse Plotium quemdam, ad quem, cum fieret concursus, et studiosissimus quisque apud eum exerceretur, dolebam, idem mihi non licere*. Nihilominus M. Ant. Muretus, et alter ex Manutiis (si is editor fuit, ut fuisse videtur, *Lexici*, quo utor) putant, Ciceronem ejus auditorem fuisse. Contradicit in *Alambertianis* Cl. Ferrius. Verum conciliari possunt oppositae opiniones dicendo, Ciceronem jam adolescentem nonnunquam eum audivisse, licet in pueritia ejus scholam non frequentarit. M. Caelius vocabat *Plotium Oratorem hordearium*, ei iratus, quod suspicaretur, dictasse Attracino, accusatori suo, *Actionem* in eum. Haec ex Suet. *de Cl. Rhet.* Quintil. *l. 2.* ait, Plotium extremis L. Crassi temporibus in Urbe docuisse, et de *gestu* scripsisse circa tempora veterum Oratorum. *Plotii* scripta desid.

Plotius (Griphus), Statii amicus, ad quem *Hendecasyllabos* mittens, eum cavillatur, et laudat. Insignis Orator in trino foro fuit.

priusquam a Domitiano Praef. annonae, et viarum stationibus fieret; quod Statius, versibus suis ad eum, testatur.

Plotius (L), Poeta Mario carus, eo quod putaret, ab eo ejus facta celebranda. Ita Cic.

Plutarchus, Cheron. celebris Phil., et Histor., Trajani Imperat. magister. Ex ejus libris notissimis intelligi potest, eum in Graecis. et Latinis litteris valde versatum fuisse, et plura ex sacris libris Chrisrianorum hausisse. In eo, et in Seneca cum laude notatur, nunquam scriptis suis Christianos pupugisse. Illiricum gubernavit cum Consulari potestate sub Trajano. Graeca ejus scripta ad nos pervenerunt nonnulla mutila: nec ambigendum, aliqua ab eo Latine edita, vel illico ejus Opera in Latinum versa fuisse. Verum hae antiquae Versiones Latinae desid., et solum recentes habemus, forsitan parum accuratas. Si verum dicit Petrarcha in *Epistt.*, citatis a I. Lipsio in *Notis ad L. Senecam*, aliqua edidit, quae latent nunc, et fuerunt Petrarchae nota. Ait enim, eum non solum Romanos duces in arte militari, et rebus gestis, sed etiam Romanos litteratos Graecis in doctrina, aut aequasse, aut praetulisse. Eunapius in *Prooemio ad Vitas Philosoph.* tradit, eum saepissimae in libris sui mentionem Ammonii Magistri sui facere; quod indicat, mutilos esse libros, quos habemus; cum in eis raro Ammonii mentio a *Plutarcho* fiat.

PO

Corollarium VII.

Poetae. De his, et de Pictoribus, ait Hor. in *Arte*, quidlibet audendi, seu fingendi sibi arrogare potestatem. Revera Homerus Penelopem, quam Historici impudicam fuisse narrant, pudicam facit. Idem Trojanos, Graecorum victores, ab illis superatos tradit. Virgilius Didonem fingit Aeneae amore parum honesto insaniisse, ut mittam recentium Poetarum insigniorum fictiones, et mendacia. Plinii Caecilii aetate magnam Poetarum copiam Romae fuisse constat ex Plinii *Epistola* ad Senecionem *lib. 1.* Vide *Acclamationes* in *A.* De Poeseos, et Poetarum laudibus, in *Dial. de Oratoribus* multa. Poetae olim *Grassatores* vocabantur, teste Catone in *lib. de moribus*, qui Fulvio Nobiliori, ut probrum objecit, quod Poetas secum in Provinciam duxisset, ut narrat Tullius *lib. 1. Tusc. QQ.* Forsitan *Grassatores* dicti, quia viros probos Satyris aggrediebantur. Nam Satyricos Poetas ante Lucilium Romae fuisse, quidquid dicat Horatius, in comperto est. Vide *Lucilius* in *L.* Ab initio Romae Poetas fuisse novimus ex Dion. Halicarn., qui ait, devictis a Romulo vicinis populis, Romanos ei carmina cecinisse, licet rudia. Vide *Numa* in *N.* Cic. in *Bruto* tradit, Catonem in *Origin.* scripsisse: multis ante eum seculis Romae usitatum in conviviis carmina in laudem virorum fortium cani. De iis Carmin. loquitur Cic. sub persona Crassi *l. 3. de Orat.* Ennius etiam tradit, multos ante eum res Romanas versibus scripsisse. V. Val. M. *l. 1. c. 1.* Plato a sua Rep. Poetas rejecit: quod

solum de impudicis, impiis, et Satyricis id statuit, ut ostendit Cael. Rhodig. *l. 7. c. 2. lect. antiq.* Innumera Vet. Latinorum Poetarum Opera periisse, et alia latere, ex iis, quae in hoc *Syllabo* hactenus sunt dicta, et dicenda sunt, satis constat. Vide *Scriptores* in *S.* Quintil. *lib. 10.* indicare videtur, Romanos, sive Latinos Poetas in Elegia Graecos superasse. De ineptiis Poetarum, qui de Jove absurdissima tradiderunt, vide Senecam de *Vita beata cap. 26.*, ubi ait, ea confinxisse, ut pudor peccandi hominibus demeretur. Quatenus, aut quo fructu audiendi sint, et legendi Poetae? Vide de hac re Plutarchi libellum. Poetas Latinos severiores Musas, quam Graecos colere, recte, dixit Martialis. Graecis enim variis uti Dialectis fas est, quod Latinis non licet.

Pollio (Asinius), vir litteratus, Augusto carus, et Virgilii fautor. Fuit Orator, Poeta, Histor., et Criticus nimis morosus, cui fere nihil aliorum placebat, nodum in scirpo quaerens, cum de alienis Operibus judicabat. Post varia munia publica, Cos. fuit renunciatus, et Rom. exercitui praefuit in Germania, Aug. imperante. Virg. ei *Eclogam 4.* dicavit, *Pollio* inscriptam, in qua Salonini, *Pollionis* filii, recens nati, laudes vaticinando exequitur. Primus Romae dicitur biblioth. publicam aperuisse: primus, qui, convocatis doctis hominibus, lucubrationes suas publice recitavit. Ambiebat *Pollio* se supra alios, etiam fama doctrinae claros, efferre, et primatum inter litteratos habere, alios deprimendo, quin parceret Caesari, Tullio, Livio, nec Sallustio. Vide Sen. in *Prooem. l. 4. Contr.*, ubi multa de *Pollione:* de quo etiam in *Suass.* Vide item Gell. *l. 10.* c. *26.*, ubi Sallustium contra crisim *Pollionis* defendit. Edidit *Histor. l. 17.*, teste Suida. *Orationes* plurimas habuit, quae desid. pro haeredibus Urbinae, pro Apollodoro, pro Asprenate, pro Liburnia, pro Scauro filio, quae citantur a Quint. Oravit etiam contra Catonem, et Plancum. Vide *Plancus* supra. Alios *Tractatus* edidit, qui itidem intercid. exceptis nonnullis fragm. Sen. in *Suas. de morte Cic.* affert nonnulla satis honorifica de Cicerone, quae ab eo, licet invito, veritas expressit in *Historiis* suis. V. *Sextilius* in *S.* Horat. indicat *Ode 1. l. 2.*, et *lib. 1. Sat. 10. Tragoed.* scripsisse verbis illis: *Pollio regum: Facta canit, pede ter percusso*. In eum Aug. *Satyram* edidit, cui *Pollio* non respondit, dicens: *Facile non est rescribere in eum, qui potest proscribere*. Inter *Epistt. famil.* Cic. leguntur nonnullae *Pollionis* ex Hispania, ubi degebat cum imperio, et exercitu in Baetica. In altera ex *Epistt.* testatur, se Cordubae concionem habuisse. Quintil. *l. 10.* eum laudat, et notat. Triumphavit de Dalmatis, et Octogen. occubuit in villa Tusculana. Ita S. Hier. in *Chron.* sub an. 47. Imperi Augusti. Catullus in *Hendecasyllabis* ad *Asinium*, quibus eum reprehendit, quod per jocum in coenis lintea negligentiorum surriperet, mentionem facit *Pollionis*, pueri diserti, lepidi, et faceti, qui Asinii frater erat. Ignoro, quisnam esset hic *Pollio*: for-

tasse erat *Aterius*, Asinii *Pollionis* filius, de quo M. Sen. in *Prooemio lib. 4. Controv.*

Pollio (Asinius), Gram. forsitan libertus Pollionis. Docuit Romae PompeI M. temporibus. Scripsit Hist. Belli civilis inter Caesarem, et Pompejum, quae desid.

Pollio (Trebel.) Hist. scripsit *Vitas Imperatorum*, et 30. *Tyrannorum*, floruitque sub Dioclet., et Maximiano. Multae *Trebellii Histt.* perierunt: a Philippis nempe ad Valerianum, a quo, quae exstant, habent exordium.

Pollius, Statii amicus, ad quem mittit Statius *librum 3. Sylvarum*, laudans ejus facundiam, et doctrinam. Videtur, ab urbano ambitu alienus fuisse, et quietae, atque tranquillae vitae amans, extra Urbem in suis praediis vixisse.

Pollux (Jul.), Gramm. Scripsit *Onomasticon*, quod Commodo Caes. nuncupavit.

Polybius, celeb. Hist. Megapolitanus, Romae floruit, et litteris erudivit Scipionem Afric. juniorem, ac ejus fratrem natu majorem. Fuit Scipioni carus admodum, et ejus in bellis comes. Vide *Brutus in B*.

Polybius, vir doctus, Claudio Caes., cujus libertus erat, carus. Ad eum est *Consolatoria Epist.* L. Senecae in morte fratris, quam in Corsica exsul scripsit. In ea, quae integra ad nos non pervenit, eum hortatur, ut opere aliquo fratris memoriam aeternam faciat. *Polybii* eloquentia multum extollitur a Seneca in ultimo *Cap. Epistolae*.

Polybius, praecedentis frater. De eo Sen. *c.* 21. praefatae *Epist.* ait, editis praeclaris eloquentiae monumentis, et ingenii fama, a mortalitate se vindicasse. In fine hujus *Epist.* haec notabilia leguntur: *Haec utcunque potui, longo jam situ obsoleto, et hebetato animo composui: quae si, aut parum respondere ingenio tuo, aut parum mederi dolori videbuntur, cogita, quam non facile Latina ei verba homini succurrant, quem barbarorum inconditus, gravisque sonus circumsonat.* Ita Seneca, qui in dicta *Epist.* laudes Claudii, a quo exsulabat, non praetermittit, eum sibi propitium reddere cupiens.

S. *Polycarpus*, Smyrnae Episc., et M. insignis. Scripsit ad Philippen. doctam, et utilem *Epist.*, quae temporibus S. Hieron. in Asiae conventu legebatur. Romae multos ad fidem pertraxit, quos Marcion, et Valentinus deceperant. Igni traditus fuit propter Christi fidem Smyrnae sub M. Antonino, et M. Aurelio Commodo Imper. circa finem 2. Eccl. Sec. Fuit discip. S. Joan. Apost. alios item magistros habuit ex iis, qui Christum viderunt, et audierunt. Vide *Marcion* in *M*.

Polycrates, Ephesiorum Antistes, qui pro quartodecimanis scribens, S. Victori Papae vehementer obstitit in fine 2. Eccl. Sec. *Polycratis* Scripta nulla leguntur.

Pompejus (CN), *Magnus* dictus ob insignes victorias, terra, mari-

que obtentas in 3. Orbis partibus, ob ternos Consulatus, et totidem triumphos. A Tullio ejus eloquentia commendatur in *Epist. ad Lentulum lib.* 1., et in *Orat. pro L. Corn. Balbo*, pro quo ante Ciceronem *Orationem* Pompejus habuerat, quam Cicero miris laudibus ornat, ut etiam PompeI singulares virtutes, et res gestas. De eo orante, clamoribus operarum Clodii, maledictis etiam, ac conviciis lacessito, vide Cic. *Epist. 3. lib. 2.* ad Q. Fratrem. In *Dial. de Oratt.* legitur, *CN. Pomp.* non modo viribus, et armis, sed etiam ingenio valuisse. Val. Max. *l. 6. c. 2.* de eo narrat, defendisse Manium Crispum, accusatum a Pisone. Ibidem refert, multa convicia in eum, defendentem Libonem dicta ab Aelio Mancia accusatore. Vide *Formianus* in *F.* De nimia *CN. Pomp.* potentia ibidem. Inter Fragm. *Histt. Sallustii* legitur *Pomp. Epistola* ad Senatum ex Hispania, quam Procôs. regebat, missa, qua petit pro exercitu, cujus dux erat, vestes, stipendia, et frumentum: alioquin, omisso periculosissimo bello, se in Italiam remigraturum denunciat. De ejus in Tigranem Clementia, et infelici morte, quae accidit ante Christum an. 44. U. C. 706, aetatis 59, consule Hist. Rom. Vide *Mithridates* in *M.* Epistolas, devicto Pomp. in pugna Phars., et postea occiso, inventas in *PompeI* scriniis, igni tradidit C. J. Caesar victor, quin eas legeret. Ita Plin. *H. N. l. 7. c. 25.* Cicero de eo jam mortuo ait in *Bruto*: *Vir ad omnia summa natus, majorem dicendi gloriam habuisset, nisi eum majoris gloriae cupiditas ad bellicas laudes abstraxisset*. Fuit primus, qui Romae ex quadrato lapide theatrum construxit, capax 40. mil. spectatorum. Cicero in *Epistt.* ad Atticum male ominatur de ejus dominatione, si victor evasisset in *Bello Civili*, quam tyrannicam futuram arbitratur, et Syllanae similem: quod debebat eum a Pompejo retrahere. Nihilominus, ne ingratus videretur, ejus conatibus contra Caesarem, pace frustra tentata, favit, licet eum Italiam deserentem, et bellum in Oriente, et Hispania contra Caesarem parantem, sectatus variis praetextibus non fuerit.

Pompejus (CN), filius Sexti PompeI, Orator, cujus mentio fit a Cic. de *Cl. Oratt.*, et diversum esse a CN. Pomp. M. licet ejusdem nominis, et familiae, satis indicat Cic., et chronologia, quam sequitur in eo Opere. Forsitan avus, vel pater fuit CN. Pomp. Magni.

Pompejus (Sextus), praecedentis, ut puto, pater, aut frater, laudatur a Cic. in *Bruto*, seu de *Cl. Oratt.*, tanquam Phil. Stoicus, Jurisconsultus, et insignis Geometra. Supersunt *Sexti Pomp.* scriptorum fragm., in quibus de Aurichalco agitur, quae citantur a Caelio Rhodig. *l. 19. c. 9. lect. antiq.* quin dicat, ex quo antiquo Scriptore ea acceperit. De *Sexto Pompejo*, filio CN. Pomp., Romae restituto lepidi auctoritate, multa cum laude Cic. *Phil. 5.*

Pompejus (Sextus), Orator sub Tiberio, praecedentibus posterior, qui noluit patrocinari CN. Pisoni reo. Ita Tacitus.

Pompejus (Trogus), Histor. praeclarus, *Historiarum* 44. volumina

edidit, teste Justino, qui ea in unum haud magnum volumen contraxit satis accurate, licet non sine damno litterariae reipub., quae *Trogi* Historias integras amisit, ex quibus ampliorem, et luculentiorem 4. maximorum orbis antiqui Imperiorum notitiam haberemus. Plin. *l. 11.* eum vocat severissimum Auctorem. In eo tamen, ut etiam in Justino, desideratur major diligentia in rebus Hebraeorum, in quibus narrandis, vel ignaros, vel mendaces se produnt, multa falsa, et ridicula de ea gente, et ejus religione tradentes: quod quidem facit, ut parum veridicum in aliis narrandis utrumque putem.

P*ompilius* (C), Jurisconsultus haberi ambiebat, licet ingenio tardus, et juris parum peritus. V. Plut. in *Apophtheg.* ubi *de Cicerone*.

P*ompilius*, scriptor ingeniosus, memoratus a Mart. *l. 6. Epigr.* Ejus scripta desid.

P*omponianus*, sive P*ompinianus*, Poeta, de quo Gel. *l. 10. c. 24.* afferens nonnullos P*omponiani* versus, ut etiam Macrob. *l. 1. cap. 4. Saturn.* ex Attellana, *Maevia* inscripta. In Gellio est P*ompinianus*: in Macrobio P*omponianus*. *Attellanae* ab illis citatae sunt sub diverso titulo. In citata a Gellio invenitur exemplum adverbiorum ab antiquis, ac etiam ab Augusto usurpatorum *Diequinti*, et *Diequarti*.

P*omponius*, tanquam Poeta magni nominis, memoratur in *Dial. de Oratt.* V. *Secundus* in *S.* Nescio an is sit

P*omponius* (L), Bonon. Poeta, qui fl. an. 50. ante Christi aeram, scripsit *Attellanas*, quarum altera, inscripta *Aeditimus*, citatur a Gel. *l. 12. c. 10.* Plures alias edidit, quarum fragmm. solum supersunt. De eo Macr. in *Saturn.* V. *Nonius* in *N.*

P*omponius* (M), Trib. pl., et Orator, diem dixit L. Manlio, eo quod Dictator creatus, dies aliquot addidisset 6. mensibus Dictaturae, et quod Titum fil., qui postea Torquatus fuit appellatus, ab Urbe in rus relegasset. V. Cic. *de Off. l. 3. c. 9.*, ubi narrat insigne Titi Manlii Torquati charitatis in patrem, qui eum relegaverat, exemplum.

P*omponius* (M. Marcel.), Gramm., et Senator sub Tiberio. Huic tribuitur dictum satis liberum ad Tib. Caes.: *Hominibus quidem, Caesar, dare libertatem potes; verbis non potes:* quo repressit Attejum Capitonem, perpetuum Tiberii adulatorem. qui consulenti Tiberio Senatum, an verbum novum, quo usus fuerat, Latinum esset? respondit: *mitte Caesar hos scrupulos: nam quodcunque verbum proferas, Illico Latinum fiet*. Vide Suet. de *Ill. Gramm.*, et Dionem *lib. 57., et 60.* Alii dictum illud tribuunt Pompejo Marullo, Poetae, et Grammatico Cum P*omponius* orando notasset, et exaggerasset adversarii Soloecismum, inter orandum ab eo admissum, Cassius Severus petivit a Judicibus dilationem sententiae, donec reus sibi Grammaticum procuraret, qui P*omponio* responderet.

P*omponius*, Iurisconsultus, et Hist. scripsit celebrium Jurisconsultorum *Vitas*, qui tamen nonnullorum *Vitas* praetermisit, vel si ab eo scriptae fuerunt, nunc desid. Ita Gravina *de Orig. Juris Civ.*

Pomponius (Q), Orator, et accusator Sanciae, Considii Proculi uxoris. Ita Tac. *l. 6. Ann.*

Ponticus, Poeta, Ovidio antiquior. Panxit *Thebaida*. Ad eum est *Elegia* Propertii, quae incipit: *Cum tibi Cadmaeae* cet. Ejus *OO.* non extant.

Ponticus, Martiali coaevus. Eum irridet Mart. ejus *libros*, et *Poemata* sarcasmate laudans *lib. 5. Epigr.* Ejus *OO.* desid.

Corollarium VIII.

Pontifices, Ethnici, Romae a Numa instituti, ex Sacerdotum collegio eligebantur. Inter eos alii minores, majores alii dicebantur, et ex his Pont. Max. creabatur, qui collegiis Sacerdotum praeerat, et praecipuam curam habebat rerum ad cultum Deorum spectantium. Singulis Idibus fiebant in Capitolio Sacrificia, quae *Idualia* dicebantur, a Pontificibus, non sine virgine Vestali praesente, quae tamen nulla sacra verba pronunciabat. Unde vocatus sit *Pontifex*? non convenit inter Dionis. Halicarn., et Titum Livium, qui ante pontem sublicium, a cujus cura Dionisius. *l. 2.* ait, *Pontif.* dictum, Romae a Numa creatum Pontificem Marcium tradit. De ritu, et verbis Pontif. Max. in *capienda* virgine Vestali, eaque sacranda, et quamobrem ea *capi*, et *Amata* dicebatur? Vide Gel. *lib. 1. c. 2. Noct.* Pontificibus Max. incumbebat onus, et cura Annum ordinandi, et scribendorum Annalium (V. *Annales* in *A.*), ac de sacris judicandi: et iccirco viros doctos eos esse oportebat. Romani Imperatt., ut omnia sacra, et profana pro arbitrio disponere in repub. possent, Pontificatum Max., Tribunitiam, et Censoriam potestates, Imperatoriae in perpetuum adjunxerunt; adeo ut Christiani Imperatores, ut Romanos adhuc ethnicos religiose obedientes haberent, et in officio continerent, Pontificis Max. titulum, et insignia assumpserint usque ad Gratianum, qui tandem animadvertens, et titulum illum, et insignia Pontificatus ethnici Christiano repugnare, quia superstitionis professionem indicabat, titulum illum, et insignia a se rejecit, quem successores Christiani Imperatt. sunt imitati.

Corollarium IX.

Pontifices Max. Christianorum, seu Christi in terris vices gerentes, et S. Petri in regimine Ecclesiae successores, a Romano Clero post S. Petrum, a Christo ipso electum, creabantur, populo Christiano eorum mores, et doctrinam probante. Primis praesertim 4. Eccl. seculis viri sanctitate, et doctrina illustres, qui in Romana Cathedra sederunt usque ad S. Sylvestrum, sub cujus Pontificatu pax, et tranquillitas Ecclesiae a Constantino M. post tot procellas reddita fuit, martyrii palma fere omnes ornati occubuerunt. Innumera antiquorum Pontificum Roman. *OO.* desid. Vide *Concilia* in *C. Episcopi*, et *Epistolae* in littera *E*: *Patriarchae* in *P*.

Pontilianus, malus Poeta, si Martiali credimus. Querebatur, quod Mart. suos *Epigramm. libellos* ad se non mitteret, cui respondit Mart.

Cur non mitto meos tibi, Pontiliane, libellos?
Ne mihi tu mittas, Pontiliane, tuos.

P*ontius*, Diaconus, citatus in *Actis S. Cypriani* de usu operiendi linteo quodam Cathedram Episcopalem. De hoc usu, et de Episcopali Cathedra, agit doctissimus Passeri, Eugubinus, *Dissert. 12. de Gemmis*.

P*opilius* (M), Poeta, et vir Consularis, a quo adjutus Terentius in Comoediis a Santra dicitur. V. *Terentius* in *T*.

P*opilius*, Legatus a Rom. Senatu fuit ad Antiochum, Asiae regem, ne bellum inferret Ptolemaeo puero, Aegypti regi, qui sub tutela pop. Rom. erat. Sua eloquentia impetravit, quod Senatus optabat, et iccirco in Rom. Historiis *Oratorum Roman. Decus* appellatur. Ejus *Orationes* desid.

P*orcellus*, Gramm., citatus a M. Sen. in *Suasoriis*, qui eum notat, eo quod Soloecismi Corn. Severum perperam accusarit.

P*orcius*, Poeta. Ejus carmina, in quibus dicitur, Terentium obiisse in stymphalo, Arcadiae oppido, et pauperem in Graeciam se contulisse, Roma relicta, afferuntur in antiqua *Vita Terentii*, sive Suetonii, sive Donati. Utrum ea *Carm.* sint P*orcii Licinii*, insignis Poetae? illic non indicatur. Nec dicti P*orcii* alia *Carmina* novimus, si diversus sit a Licinio, de quo in *L*.

P*orphyrio* (Pompon.), Gramm. qui *Scholia in Horat.* edidit. Inventa haec *Scholia* fuerunt in Magalona Insula, una cum *Apicii libb.* ab Enocho Esculano. Ita Albertus Bonon. in *Italiae Descriptione*, Reynesius tamen censet, haec *Scholia* falso tribui Porphyrioni, et esse recentis Scriptoris.

P*orphyrius* (Optatianus), Poeta Christ., qui exsilio multatus a Costantino M., multa carmina Latina composuit in laudem Constantini, quibus impetravit, ut ab exsilio revocaretur, et gratiam ejusdem sibi conciliaret. Exstat P*anegyricus* Constantino scriptus ab *Optatiano* versibus acrostichis, variis figuris digestis. Alia ejus Carmina desid.

Porphirius, dictus a veste purpurea, qua induebatur, cum antea *Malchus* appellaretur, Romae sub Plotino Philosophiam didicit Aureliani Imper. temporibus, relictis, et patria Tyro, et magistro Longino, sub quo in primo aetatis flore erudiebatur. Christianus factus, Christianae religionis non solum desertor, sed et oppugnator acerrimus postea fuit, editis plurimis pestilentissimis scriptis, quae comburi jussit Constantinus M., et quorum fragm. solum manent in SS. PP., qui eum refutarunt. Eum non incultum, et turpiter hirtum ingenium habuisse satis declarat ejus *Isagoge* Hispanis Philosophis notissima, in qua de 5. Praedicabilibus, seu Universalibus subtiliter disserit. Plura alia lucubravit, quae magna ex parte perierunt, ut *Libros de Sacrificiis*, in quibus docebat, bruta animalia, et ratione uti, et loqui inter se, licet nos eorum sermones non capiamus, uti neque sermones barbarorum: multaque de nonnullis, qui sermonem ani-

malium intellexerunt, narrat homo vanus, et credulus: 5. *libb. Histt. curiosarum: Tract. de Vita, et dogmatibus Philosoph.: De iis, quae sunt in nostra potestate: de Reditu animae ad Deum: de Statuis: lib.* item contra edentes carnes, cujus meminit Cael. Rhodig. in *Antiquis lectt.*, in quo, ut puto, de Gymnosophistis, apud Indos continentiae in cibo, et aliis valde studiosis agebat. Vitam produxit usque ad Dioclet., et Romae vivere desiit initio 4. Sec. Eccl. Uxorem habuit Marcellam, Romanam, cujus filios ex alio marito ipse educandos suscepit, et ad quam librum scripsit. Videtur in *Magia* valde versatus fuisse. Vide Eunapium in *ejus Vita*. De ejusdem dialectica subtilitate Petrarcha cecinit.

È quel, che ver di noi divenne petra
Porphirio, che d' acuti sillogismi
Empie la dialectica faretra.

Vide *Probus* paullo inferius.

Possidius, Episc. Afric. S Augustini discipulus, et ejus *Vitae* Scriptor, fuit alter ex Episc., qui Pelagium, et ejus errores in Conc. Carthag. damnarunt sub Innoc. 1. Rom. Pont., et Honorio Imperatore.

Possidonius, Phil. patria Apameensis teste Strabone. *Rhodius* dictus, quia Rhodum incoluit. Fuit secta Stoicus, quem Romae docentem Cicero audivit. De eo Cic. variis in locis. In *Tusc. QQ.* narrat, CN. Pomp. eum Athenis aegrotantem invisisse, eumque inter acerbiss. dolores alacri animo philosophantem audivisse. Idem Tull. de *Nat. Deorum lib.* 2. loquitur de sphaera, ab eo constructa, imitante solis, lunae, et errantium stellarum motus, et conversiones, similem illi, quam Archimedes fabricavit: quod indicat, eum in Astronomia, et Mechanica fuisse versatum. Fuit Panaetii discip. Ita Cic. *de Off. l. 3. c. 1.*

Posthumianus, foren. Orator celeberr., teste Macrobio, qui eum in *Saturn.* interlocutorem facit de multis ad Philologiam spectantibus.

Posthumius (A), Hist., edidit volumen de *Adventu Aeneae in Italiam*, quod desid.

Posthumus, Orator, et Caussidicus, qui, si Martiali fides, inter orandum in alia omnia extra caussam abibat, et iccirco ei Mart. dicit.

Jam die, Posthume, de tribus capellis.

Potitus (Val.), Orator, qui post Decemviralem invidiam, a libidinoso Decemviro Appio excitatam, plebem, in Patricios tumultuantem, legibus, et concionibus mitigavit. Ita Cic. in *Bruto* Ejus *Or.* desid.

Potamon, magnus Mitylenis declamator, quem audivisse videtur Sen. Romae declamantem de 300. laconibus. De eo narrat nonnulla in *Suas.* 2.

PR

Praxeas, Sabellianus haeret., qui Romam suis scriptis Patripassianorum errores intulit. Eum Tertul. *lib. uno* refutavit. *Praxeae* scripta perierunt.

Praeconinus (L, Ael. Stolo), Gramm., et Orator egregius, qui *Orationes* ad cujusvis rogatum lucubrabat. Comes fuit in exsilio Metelli Numidici, cui valde carus erat. Is fuit P. Ter. Varronis magister, non *Laelius*, ut multi arbitrantur, decepti a librariis, vel typographis, qui praenomen *Lucius*, per solum *L.* signatum, cum nomine *Aelius* perperam junxere. In nonnullis exemplaribus, pro *Stolo*, *Stylo* legitur, et *Praeconius* pro *Praeconinus*, ex quo oritur confusio. Vide Suet. *de Ill. Gramm.*

Corollarium X.

Praefectura praetoria erat extraordinarius Magistratus, proximus Principi gradus, et Apex omnium Magistratuum. Genus omne animadversionis in sontes *Praef. pr.* habebat. De Trajano narratur, hac formula usum, cum Praefecto praet. gladium traderet: *Hoc utere pro me, si bene: contra me autem, si male imperavero*. Symmachus in altera ex suis *Epistt. Praetoriam Praefecturam* vocat *Pontificium litterarii honoris*. Ad eum omnes caussae majoris momenti revocabantur: et ob hoc, ac etiam, ad minuendam unius auctoritatem, Constantinus M. creavit plures Praeff. praet. unum Italiae, alium Illyrici, alterum Galliarum, et Hispaniarum, ac Orientis alterum. Curam vero Aerarii, et Praetorianorum militum aliis attribuit. Vide *Ablavius* in *A. Adnot. 1.*

Praetextatus (Vectius Agorius), vir litteratus, alter ex Interlocutoribus in Macrobii *Saturn.* Exstant nonnulla ejus carmina in laudem Paullinae uxoris, praeter alia quae collegit Burmannus.

Corollarium XI.

Praetores, bini Romae erant, unus Urbanus, Peregrinus alter. Ad hos spectabat jus dicere: ad Urbanum, civibus Romanis: ad Peregrinum, peregrinis. Spectabat etiam ad eos Edicta Praetoria, quae magnae auctoritatis erant, componere, ut in tabulas publicas referrentur. Ex quo intelligitur, eos, et Oratores, et Jurisconsultos insignes fuisse. *Praetorum* dignitas proxima erat Consulari, et vices consulum gerebant in Urbe Praetores, cum Consules ad bella proficiscebantur. Lictores 6. habebat Praetor, ut Consul 12. Praetorum numerus ob negotiorum multitudinem, processu temporis, auctus fuit ab Imperatoribus. Qui hoc munere perfuncti fuerant, viri *Praetorii* dicebantur. Vide Scriptores de Rom. Magistratibus, Majoribus, Minoribus, Ordinariis, Extraord. Inter quos scriptores, Petrus Magnus, Nieupoort, Gravina alii numerantur. *Praetoriani* Milites dicebantur, qui in Praetorio, seu aula, vel tentorio Imperatoris, excubias agebant, et ejus securitati invigilabant, tam domi, quam in bellis.

Praetorius (M), Orator, et accusator M. Fonteii, a Cic. defensi. Ejus *Or.* desid.

Primanus (L. Val.), Rhetor, memoratus a Suet. inter Cl. Rhet. Illum in Fragmentis, quae ex Opere *de Cl. Rhet.* supersunt, collocat inter Quirinalem, et Ursulum, allatis nudis nominibus.

Priscianus, Gram.; qui fl. 4. Eccl. sec., amicus Libanii Sophistae, qui de eo meminit in *Epist.* Diversus hic est ab alio Prisciano Gramm., qui sub Justiniano dicitur floruisse.

Priscillianus, Abulen. Praesul in Hispania non indoctus; qui tamen male doctrina usus fuit in suam, et aliorum perniciem. Ex eo *Priscillianistae* haeretici, qui Gnosticorum, Fatalistarum, et aliorum antiquorum haereticorum errores suscitarunt. Varia Concilia in Hispania, et alibi fuerunt in eos celebrata, et 5. etiam Eccl. sec. contra eos pugnavit in Hispania scriptis suis, concionibus, et coactis Conciliis sub S. Leone Rom. Pontifice, S. Thuribius Asturicensis Episcopus. *Priscillianistarum* erat illud.

Jura, perjura, secretum prodere noli.

Vide *Idacius* in *I*. *Priscilliani* scripta perierunt.

Priscus, Scriptor, coaevus Martiali, qui de eo indicat in *Epigr. lib.* 9. opus edidisse de Convivio, quod desid.

Priscus, Phil. quocum, teste Eunapio, Julianus Apostata morti proximus de animorum sublimitate prolixe disseruit.

Priscus (C. Lutorius), Rom. eques, et Poeta, qui post celebre carmen, quo suprema Germanici defleverat, a Tiberio fuit pecunia donatus. Verum mox accusatus, in carcere, jussu Tiberii, qui Germanicum occulte oderat, et per Pisonem occidi curaverat, necatus fuit. Ita Tac. *l.* 3. *Ann.* Nescio an hic fuerit.

Priscus, Poeta Ovidii aequalis. De binis hujus nominis Poetis sui temporis loquitur Ovid. *l.* 4. *de Ponto Ep.* 16. ad Invidum.

Et cum subtili Priscus uterque Numa.

Priscus (Tarquinius), Orator, et Roman. Rex citatus a Macr. in *Saturn.* tanquam scriptor *Ostentarii Arborarii*. Pro Concione laudavit filium ann. natum 14., quem bulla aurea, et praetexta donavit, insigniens puerum, ultra annos fortem, praemiis virilitatis, et honoris, eo quod hostem percussisset, ut puto, in bello. Hoc memorat Macrob. Vide *Tarquinius* in *T*.

Priscus (Tarquitius), Orator, et Senator sub Claudio; qui tamen a Senatu motus fuit, tanquam falsus accusator Statilii Tauri, opibus insignis, quem, Agrippina instigante, repetundarum, et magnarum superstitionum reum egerat. Macrob. in *Saturn.* citat *Tarquitii* cujusdam lib. descriptum ex *Ostentario Thusco*. Alii legunt in Macrobio *Tarquinium* pro *Tarquitio*.

Priscus (Helvidius), Phil., et Praetor procacis linguae in Vespas. Imperat., qui eum occidi jussit, licet postea jussum revocarit: quod frustra fuit; jam enim occisus fuerat *Priscus*, cum 2. mandatum Vespas. ad executores pervenit.

Priscus (Neratius), insignis Jurisconsultus sub Trajano, et Adriano. Trajano adeo gratiosus fuit, ut crederetur, ei imperium a Trajano post se tradendum; Neratio namque provincias commendavit, si quid sibi absenti fatale contigisset. Edidit *Membranarum libb.* 7;

Regularum 15 : *Responsorum* 3 : *Epistolarum* 4. ex Plautio ; alios : quorum Operum fragmenta sunt in Corpore Juris Civilis.

Proba (Valeria Faltonia), Poetria Graecis, et Lat. litteris erudita, ex illustrissima Aniciorum familia : Consulis filia, Consulis uxor, et Consulum mater. Scripsit *Centones* ex versibus Virgilii, quem totum memoria tenebat : ad Christianae religionis obsequium vertens carmina Ethnicorum. Scripsit etiam *Bella Civilia*, et alia, ut ex Praefatione ad *Virgil. Centones* constat, quos dicavit Honorio jam Imperatori. Floruit sub Theod. M., et filiis. Alia ejus Poetica, praeter *Centones*, latent.

Probus (T. C.), Gramm. Vide *Maximus* in *M.*, ubi de *Val. Max.*

Probus, magnus Criticus, Martiali coaevus, cujus censuram timuisse Martialem indicatur *Epigr. ad Faustinum*, ad quem mittit *lib.* 3. *Epigram.* Ait enim libro suo, (quem papyracea charta scriptum dicit), non esse cur *Probum* timeat, Faustino vindice :

Illo vindice, nec Probum timeto.

Probus (M. Val.), insignis Gramm., quem Berythi natum, et omnium Grammaticorum, qui Romae erant, eruditiss. fuisse indicat in *Chron.* Eusebius. De eodem cum laude saepe Gel., ejus Opera non pauca citans ; licet Suet. de *Ill. Gramm.*, de eo dicat, pauca, et exigua de minutis quaestionibus edidisse : ex quo intelligitur, forsitan de alio *Probo* loqui. Citat enim Gel. *Sylvam Observationum sermonis antiqui : Comment. satis curiosum de occulta litterarum significatione Epistolarum C. Caesaris*, ac testatur insuper, se multos *Comment. Probi* vidisse, ac ejus dicta super variis locis Sallustii, Virgilii, et Val. Antiatis, cum adprobatione, et laude affert. V. Gel. *l.* 1. *c.* 15., *lib.* 4. *c.* 7., *lib.* 7. *c.* 7. *et* 9., *lib.* 15. *c.* 30., *lib.* 17. *c.* 9. Macr. etiam de eo loquitur *Saturn. c.* 22. *lib.* 5., et indicare videtur, ut etiam Servius, aliqua in Virg. scripsisse. De *Probo* hoc loquuntur alii Gramm., ut Charisius, Priscianus, et vetus Terentii Interpres. Pauca admodum ex tot Scriptis *Val. Probi* ad nos pervenerunt, ad significationem verborum antiquorum spectantia. Alia enim, sub *Probi* nomine edita, valde dubia a Criticis censentur.

Probus, Praef. praet., et Cos., ad quem Ausonius *Epist.* versibus scripsit, mittens ei librum non sine laudibus ejus eloquentiae, et probitatis. Non liquet, an is fuerit *Aemilius Probus*, cui adscribitur a nonnullis *liber* Nepotis *Excellentium Imperat.*, quique *librum* illum, a se descriptum, dicavit Theod. Imperatori cum prolixo Epigram. Ad hunc, ut arbitror, misit Rufus Festus Avienus, non sine laudibus ejus doctrinae, *Orae* maritimae *Descriptionem* carmine lucubratam. Initio Operis indicat Avienus, se sanguinis vinculo ei conjunctum fuisse.

Probus, fama doctrinae Lilibaei clarus, quem videre optavit Porphyrius Phil., cum, Roma relicta, ad Siciliam se contulit, melancholico humore adeo male affectus, ut se interimere decreverit, cujus insani consilii disuasorem habuit Plotinum.

Procilius, Histor. Ejus mentionem facit Varro de *lingua Lat, l.* 4., citans ejus *Hist. de Lacu Curtio*, et Plin. *l. 8. H. N.*, ubi de Elephantis in Pompei triumpho Romae visis.

Proculus, Phil. Platon., Afer Siccensis, alii eum Lycium faciunt, et discipulum Syriani Philosophi. Fuit magister M. Aurelii Phil. et Imper., a quo Consul fuit factus, teste Spartiano. Plura edidit ad Grammaticam, et Phil. spectantia, ut *comment. in Homerum, Hesiodum*, et *in Timaeum Platonis*. Praeterea *Epicheremata 17.* in Christianos, refutata a Joan. Gramm. Christiano. Vide Suidam, qui de his agit. A nonnullis *Proclus* appellatur. Hic multis rationibus ex Aristotele sumptis mundi aeternitatem probare conatus est, in quo Platonem contra sentientem deseruit. Eum Pererius Jesuita Hispanus solide refutavit in sua *Philosophia*, ubi de Mundi aeternitate.

Proculus, Poeta memoratus ab Ovidio *de Ponto lib.* 4.

Proculus, cujus meminit Plin. Caecil. ejus amicus *lib. 3. Epist. 15.*, ad eum mittens libellos quosdam suos, ut ab eo emendarentur.

Proculus, Jurisconsultus, a quo Proculiani, sub Othone, et Vitellio, scripsit *Epistolarum libb. 11*, *Notas ad Labeonem*, et *libb. 3. ex Posterioribus Labeonis*. De quibus in *Digestis*.

Proculus, Gramm. sui temporis doctiss. Scripsit de peregrinis regionibus, et de aurea columna apud Memphim litteris inscripta Aegyptiis, in qua scriptum erat, Aegyptum tunc liberam futuram, cum in eam fasces Rom. introirent cum praetexta. Ita Trebellius Pollio. Ejus OO. desid.

Proeresius, Sophista egregius, cujus vitam scripsit Eunapius ejus alumnus. Fuit valde doctus, statura procera, eximia forma corporis, et insigni praeditus eloquentia. Constantis Imperatoris jussu in Galliam perrexit: deinde Romam, ut obsequeretur Constanti, qui cupiebat, hominem singularem a Romanis conspici, et audiri. Romani erexerunt ei statuam ex aere, paris magnitudinis, cum hac inscriptione: *Regina rerum Roma Regi eloquentiae*. Multis praeterea honoribus, et donis a Constante ornatus fuit. Christianus factus, scholam reliquit tempore Juliani Apostatae, qui vetuerat, Christianos publice docere. Ita S. Hier. in *Chron.*, et ex eo Petavius addens, eum tunc an. 85. aetatis habuisse. De *Proeresii* Christianismo in Eunapio altum silentium.

Corollarium XII.

Pronunciatio. Prisci Romani non perinde pronunciabant, ac scribebant, quem morem servant adhuc Galli cultiores: ac diu litigatum inter Romanos fuit, utrum scriptura accomodanda esset Pronunciationi? quae lis sub judice erat usque ad imperium Augusti, qui sentiebat, aptandam Orthographiam Pronunciationi: quae sententia tandem praevaluit. Et merito quidem: quia, ut recte Quintilianus, litterae sunt vocum custodes. Illud non omittendum, Romanos, in pronunciatione quantitatem syllabarum indicasse: adeout ex pronuncia-

tione vocis *Os*, exempli gratia, agnosceretur, utrum de ore, an de osse loquerentur, ut ex testimonio S. August. colligitur, in cujus adhuc aetate id agnoscebatur. In longis insumebant pronunciando duo tempora; in syllabis autem brevibus dumtaxat unum: quod etiam vulgus indoctum observabat. Haec ratio pronunciandi deperdita est post barbarorum incursionem.

Propertius, Poeta Comicus, diversus ab Elegiaco magis noto. Fulgentius Gramm. affert duos versus ex ejus Comoediis, quae desid.

Propertius (Sex. Aurel.), Poeta Elegiacus insignis, sed parum pudicus, qui fl. ante Christi ortum an. 36., patria Umber ex Maevania oppido. Videtur ejus pater ex equestri ordine fuisse, et in bello occisus, ad aram J. Caesaris perductus, capta Perusia, et victo Julio Antonio, Augusti armis. *Propertius* noster, amissis cum patre bonis, tenui est usus fortuna, ut ipse testatur canens:

Aspice me, cui parva domus fortuna relicta est:
Nullus et antiquo Marte triumphus avi.

Edidit 4. *libb. Elegiarum*, a Criticis valde commendatos. Plura alia edidisse *Carm.* nullus dubito, quae desid. Floruit sub Augusto. Incertum quoto an. obierit. Massonius in *Ovidii vita* conjicit, obiisse an. U. C. 742. Inventum fuit Propertii exemplar, corrosis multis, in cella vinaria sub doliis. Tempore Joviani Pontani fuerunt primum editae ejus *Elegiae*, parum adhuc integrae. Ita Alexander ab Alex. in *Diebus Genial.*, et Fabric. in sua *Biblioth. Lat.* Multis Hellenismis scatet.

Proscida. De eo tanquam de Scriptore, et Oratore fit mentio in *lib. 4. Rhetor. ad Herennium*.

Protadius. Ad eum sunt plures *Epistt.* Symmachi *lib. 4.*, quibus ostenditur, eum virum litteratum fuisse, ac petivisse a Symmacho *Orationes*, quas ediderat. Fuit Gallus, et amicus Numatiani, qui eum laudat in *Itinerario* suo.

Prudentius (Aurel.), Poeta Christianus, Hispano Caesaraugust., pietate, et religione insignis, qui fl. an. 380. post Christum. Edidit plura carm., quibus, et Christ. Religionem illustravit, et Ethnicam superstitionem ridiculam reddidit, praesertim iis, quae contra Symmachum urbis Praef., et doctum Ethnicum, Idololatriae addictissimum scripsit. Plura ab eo variis metris edita leguntur, sed non pauca desid., inter quae *Historia* ab Adamo ad sua tempora, quam carmine lucubrare aggressus fuerat, sed forsitan morte praeventus finire non potuit. Sunt qui dicant, eum a Christianis Imperatoribus Consulatu, vel Praetura ornatum fuisse. Obiit sub Honorio initio 5. Eccl. sec.

PT

Ptolemaeus Aegyptius, qui sub Antonino floruit, Astronomus, et Cosmographus insignis fuit. Plura ejus *OO.* exstant, sed non pauca perierunt. Edidit Tabulas Astronomicas, et Geographicas, postea in

multis emendatas. Dicitur Theologiam, et Physiologiam contemtui habuisse. Primam quia res supra humanum captum tradit: 2. quia res tradit inconstantiae plenas, et mutationi obnoxias.

PU

Publicola (Val.), J. Bruti, post exactos Roma reges, in Consulatu collega, populo, cui fasces submittebat, gratissimus, unde illi agnomen *Publicolae* inditum. *Orationem* habuit funebrem, qua collegam suum, cujus funus curavit, multis laudibus mactavit. Haec *Oratio* adeo Romanis placuit, ut postea mos invaluerit, viros strenuos, qui pro repub. pugnantes occubuissent, in funere laudandi. *Publicolae* fatis functo ingentes honores decreti, et habiti. Illud singulare, quod publicis expensis elatum, annuo luctu, Matronae Rom. eum decoraverint. Triumphavit de Vejentibus, et Sabinis, primusque fuit, qui sine invidia, quadriga vectus, triumphum egit.

Publicola (Paedius), egregius Orator, laudatus ab Hor. *lib. 1. Sat. 10.* Utriusque *Publicolae Orationes* desid.

Publius, Poeta Rom., a quo Vaticinia versibus scripta fuere, diu cum religione a Romanis observata. Ita Cic. in *lib. 1. de Divinatione*, et Dionys. Halicarn. Haec *Vaticinia* interciderunt.

Pudens (Tannonius), Aemiliani contra Apulejum Advocatus, de quo Apulejus in sua *Apologia*.

Pudentilla (Aemilia), Apuleii uxor, docta foemina, de qua Apulejus ejus vir in *Apologia*.

Pulcher (Appius), P. Clodii, ut arbitror, frater, ad quem sunt plures Ciceronis *Epistolae lib. 3. Epist. Famil.*, in quibus ejus doctrina laudatur, et ex quibus intelligitur, fuisse inter eum, et Ciceronem simultates; sed tandem reconciliatos sese mutuis officiis coluisse. Scripsit *libros Augurales*, de quibus vide Cic. *Epist. 9. l. 3.* Plures item habuit *Orationes*, a Cicerone expetitas, et eidem promissas, non sine magna Ciceronis expectatione, quod indicat plurimum in dicendo valuisse. Praefatae *Orat.*, ut etiam *libri Augurales* desid. Suis *Orationibus*, quibus reus majestatis, et ambitus post reditum ex provincia factus, se defendit, absolutus in judicio evasit, et innocens declaratus. Ei Cicero successit in Ciliciae gubernatione. Vide *Claudius* in *C.*, ubi alia de eo.

Pulcher (L. Claudius), forsitan praecedentis frater (nam *Lucium*, fratrem *A. Pulchri* in altera ex *Epistt.* Cic. meminit), Orator, L. Pisonem injuriarum in Socios reum egit. Reus culpam fassus, demissione sua veniam impetravit. Ita Val. Max. *l. 8. c. 1.* Ab hoc, arbitror, appellata *Claudiana tonitrua* post scenam, de quibus Pomp. Festus, a *Cl. Pulchro* instituta per lapidum conjectum, sonum tonitrui imitantem.

S. *Pulcheria* (Aelia), Augusta, filia Arcadii, Virgo doctissima, et sanctissima, quae, in minori aetate fratris sui Theodosii, Orientis imperio feliciter praefuit, patruo Honorio in Occidenti imperante.

Nestorianam, et Eutychianam haereses profligavit, nupta Marciano Caesari, salva virginitate. Eam laudavit S. Leo Papa, S. Cyrillus Alex., et alii sui aevi Patres. Vide Hist. Eccl. Vide etiam *Eudoxia* in *E*. Obiit sanctissime an. Christi 453.

Corollarium XIII.

Punctum. Prisci Romani solis *Punctis* pro interpunctione in scriptura utebantur. Ad mediam litteram positum signabat comma, sive incisum: ad caput litterae colum: Ad imum litterae Periodum. Ita Donatus, et S. Isidorus. Vide *Inscriptiones* in *I*.

Corollarium XIV.

Punicum, seu Poenicum Bellum 1. inter Rom., et Poenos coepit an. U. C. 512. In nova Editione Hispana Historiarum P. Marianae, an. 1779, Matriti facta, errore, ut credo, typographico, notatur an. U. C. 502. Post annos aliquot pax inita, devictis maritimo praelio in mari siculo, Carthaginensibus. Post 22. an. coeptum 2. Bellum Punicum, et pax sancita post 17. an. belli. 3. Bellum coepit an. U. C. 605., quo Cato persuasit Senatui, delendam Carthaginem: quod factum est, a Scipione Afric. juniore, contrarium frustra suadente Scipione Nasica validissimis rationibus.

Puppus, Poeta Trag., de quo Hor. *l. 1. Sat. 10.*, et *Epist. 1. lib. 1.* Ejus Poemata lacrymosa vocat eo, quod Tragoediae ad lacrymas, et commiserationem excitandas, populo dari soleant. Verum forsitan Elegiaca ejus Carmina erant, quae etiam *lacrymosa*, et *tristia* appellari possunt: *Puppi Carm.* desid. Epitaphium tamen ejus, ab illo compositum, affert Acron, Horatii interpres.

Corollarium XV.

Puteal locus erat in Rom. Comitio juxta forum, et curiam, in quo Judicia Praetoria exercebantur. De Libonis *Puteali* meminit Horatius in *Satyris*, indicans, locum fuisse juri dicundo destinatum. Cicero etiam *de Divin. lib. 1.* ejus meminit, de cote, et novacula Accii Navii loquens, deque statua illic praefato Auguri antiquo, et celebri posita. *Puteal* proprie significat putei operculum; illic autem puteus erat cum umbella supra eum imposita.

Pylades, Pantomimus celebris, memoratus a L. Seneca in fine *QQ. Naturalium*, ubi tradit, plus Romae aestimari *Pyladem*, et Pantomimos alios, quam graves litteratos. Utinam quid simile nunc in pluribus civitatibus non accideret. Vide *Mimi* in *M*.

Pythagorici Philosophi complures Romae fuerunt, praesertim ex iis, qui ex magna Graecia, ubi Pythagoras docuit, Romam concesserant. Sunt qui dicant, totam Pythagorae Philosophiam aenigmaticam, et Symbolicam esse. Revera complura ejus Praecepta aenigmatica esse notissimum est. Notum est etiam, Pythagorae discipulos magistri sui dicta pro oraculis habuisse. Multa de Pythagora vide in *Q. Moderati Censorini Paradoxis Dissert. 5.*, in qua de Ethnicorum Philosophorum, etiam insigniorum, crassis erroribus, quia subsidio sa-

crarum Litterarum, seu divini magisterii fuerunt destituti.

Corollarium XVI.

P, muta litttera, adspirationem post se non habet, nisi in vocabulis, quae, origine, Graeca sunt, et tunc respondet *Phi* Graecorum, seu Φ, ut *Philosophia*. *Phi* autem Graecorum in pronunciatione respondet *F* Latinorum. Vide Corollarium ultimum in littera *F*. Praedicta littera apud Romanos non solum nota erat praenominis *Publius*, *Paullus*, sed alia item plura per eam notabantur, ut *Populus*, *Pax*, *Pactum*, *Pupillus*, *Pater*, *Puer*, *Pecunia*, *Plebs*, *Pius*, *Pontifex*, *Perpetuus*, *Posuit*, ut videre est in antiquis Inscriptionibus.

QU

Q*Uadratus*, Apostolorum discip., et Athen. Praesul, obtulit Adriano Imp. Apologiam pro Christ. Religione. Ita S. Hier. in *Epist.* ad *Magnum*, et in lib. de *Script. Eccl.* Haec *Apol.* desid.

Quadratus (Asinius), Hist., citatus ab Agathia *l. 1. Hist.* suae, ut Scriptor rerum Germanicarum, vixit imperantibus Philippis, et historiam perduxit ad an. Millesimum ab U. C. Eam ...τεριδα inscribens.

Quadrigarius (Cl.), edidit *Annales*, saepe citatos ab A. Gellio. Ex 24. *Annalium libris*, quos scripsit, solum supersunt fragmm. aliqua, collecta a Riccobono, et aliis. Seneca *de Benef. l. 3. c. 23.* citat *lib. 22. Ann. Quadrig.*, ubi insigne fidelitatis exemplum servorum in dominam suam narrat ex *Quadrigario* in dicto libro. Citatur saepe etiam Quadrigarius a Cic., Livio, Macr., et aliis antiquis.

Corollarium I.

Quantitas Syllabarum: vide *Pronunciatio* in *P*. Quibus haec adde. Veteres Rom. ad indicandas vocales breves eas simplices scribebant: quas duplicabant, cum longae erant: et iccirco sepe invenitur in antiquis Inscriptionibus nomen *Felix* cum duplici *e* scriptum: quia vocalis *e* in eo est longa. Idem dico de aliis vocalibus, quae nunc longae, nunc breves sunt. Postea apposuerunt lineolam super vocalem ad indicandum, eam longam esse. Demum hoc etiam omissum fuit in scriptura. Graeci habent suas vocales, unas semper breves, alias semper longas, quibus Latini carent.

Corollarium II.

Quaestores, aerario praeerant, vel Urbano, qui Quaestores Urbani, vel Castrensi, qui Castrenses erant. Saltem id obtinuit ante Augustum, qui Praefecturam aerarii ad Praetores transtulit, quam postea Quaestoribus restituit Claudius Imperator. Quaestores Provinciales dicti fuerunt, qui comitabantur Coss., vel Praetores in Provincias euntes, et illic curabant de stipendiis, et annona pro exercitu; vectigalia, et tributa exigebant, et ea in aerarium referebant: militum pecuniam apud eos depositam custodiebant. Cum decedebat e provincia Praeses, ante Successoris adventum, legato absente, Praesidum

munus obibant. Inter Provinciae Praesidem, et Quaestorem magna necessitudo intercedebat; adeo, ut huic ille loco patris esset. *Quaestores* designati sortiebantur provincias, exceptis Candidatis principis, qui libris principalibus, et Epistolis in Senatu legendis vacabant. Ita Ulpianus. Ad Quaesturam obeundam annus 25. aetatis requirebatur, et erat primus gradus ad Magistratus superiores, teste Cicerone.

Quintilianus, Fab. Quintiliani, notissimi Rhetoris, avus, fuit Declamator. De ejus *Declamatt.* acutis, et brevibus meminit M Sen. *l.* 6. *Controv.* de illis addens, scriptas fuisse stylo remissiore. Meminit etiam de *Quintil.* Declamatore in *Prooem. l.* 10. *Controv.* Sunt qui dicant, hujus esse *Declamationes* 388., ab antiquis memoratas, ex quibus ad nos pervenerunt 145., inventae a Thaddaeo Ugoleto Parmae in Codice antiquo, a blattis, et tineis corroso, ac vitiose scripto.

Quintilianus (Fab.), praecedentis fil., et pater Quintiliani, *Instit. Orat.* scriptoris. Fuit Orator, et caussarum patronus illustris. Citatur ejus dictum a filio *lib.* 9. *Orat. Inst.*

Quintilianus (M. Fab.), Hisp. Rhetor praestantissimus, et magni judicii Criticus, qui a nonnullis sub *Fabii* tantum nomine citatur. Romam venit, ad[redacted] Galba ad docendam Rhetoricam: quo munere 20. an. functus est cum plausu, et magno concursu auditorum. Ita D. Hier. in *Chron.* Primus publicum stipendium pro docendi munere habuisse Romae dicitur: 200. nempe sestertia, seu 5. millia scutorum annua, ac una caussas orabat in foro. Vide Xav. Lampillas in *Dissertt. Apologett.*, ubi de *Quintiliano*, et ejus patria. *Quintil.*, de quo agimus, Domitiani, Rom. Imp., cui carus erat, jussu, curam suscepit educandi, et erudiendi ejus Nepotes, qui, ut puto, erant Flavii Clementis, Domitiani patruelis, filii, quos Domitianus imperio destinarat. Vide *Apollonius* in *A.* Praeter *Orat. Institut.* edidit *Quintilianus lib. de caussis corruptae eloquentiae*, qui non exstat, nisi si sit *Dial. de Oratoribus*, qui Quintiliano tribuitur. Opus illud citat, ut edendum *lib.* 5. *Orat. Instit.*, ubi de *Usu argumentorum*. *Orationem* habuit valde juvenis in Naevii Arpiniani caussa, in qua quaerebatur, an uxorem praecipitasset, anve ipsa sua se sponte jecisset: ac praeter alias in foro habitas, pro regina Berenice coram ea. Ita ipse *lib.* 4. *Inst. Orat.* Hae Oratt. desid. *Institutiones Oratoriae*, quae leguntur, inventae fuerunt a Poggio in quadam veteri turre Abbatiae S. Galli in Helvetiis an. Christi 417. Quintiliani *Declamatt.* meminit S. Hier. in *Epist. ad Praesidium*, et in *QQ. Hebraicis*. Verum: quae una cum *Orat. Instit.*, vel separatim, editae inveniuntur, et nostro *Quintiliano* tribuuntur, ejus non sunt, sed, vel avi, vel patris; et nonnullae saltem a recentiore Rhetore compositae creduntur. *Quint. lib.* 10. *Instit. Orat.* narrat, de se vulgatam opinionem, qua falso creditus fuit, damnasse L. Ann. Senecam, sibique eum invisum fuisse. Apud Mart. *l.* 2. legitur excellens *Epigr.* de *Quintil.* Laudatur etiam a Juvenali in *Satyris*. Nonnulli, Ausonii nixi testimonio, tradunt,

tum, vel Cos. fuisse, vel consularia insignia a Domitiano obtinuisse. Obiit jam senex Romae, in schola, et foro rude donatus. *Instit. Orat.* libros lucubrabat ad instituendum in Oratoria filium, quem decennem amissum deflet *lib. 6* initio, ac de uxore, viri Praetorii filia, amissa, de liberis etiam in libri hujus decursu loquitur. Vide *Plinius* (Caecil.) in *P.* Ignoro, an ex hac gente fuerit *Aristides Quintilianus*, qui de *Musica* Graece scripsit.

Quintipor (Clodius). De eo Varro apud Nonium dicit, multas, sine Musa ulla, *Comoedias* composuisse: quae *Comoediae* proculdubio interciderunt.

Quintus, Trib. pl. accusavit Scipionem Africanum post Carthaginenses, et eorum ducem Annibalem devictos. Verum haec accusatio majorem honorem, et gloriam Scipioni reo conciliavit apud Populum. Ita Plut. in *Apophtheg. Quinti Actio* desid.

Quirinalis (Clod.), Gallus, Romae docuit sub Claudio. Erat patria Arelat., et, ni fallor, hic est Quirinalis Rhetor, memoratus a Suet. in Fragm. *de Cl. Rhet.* cum Primano, et Ursulo.

Quirinus (Sulpicius); quem S. Lucas, *c. 2. Evangelii*, *Cyrinum* appellat, fuit Cos. sub Aug., Rom. exercitus dux, et triumpho clarus. Praefuit Syriae, cujus *Descriptio* fuit ei ab Aug. demandata, ut etiam continuatio *Descriptionis* Judaeae, coeptae a Sentio Saturnino, Judaeae Praeside, cui Pontius Pilatus successit. De ea *Descriptione* S. Lucas loquitur *c. 2.*, *Cyrinum*, seu potius Graeco sermone, quo S. Lucas scripsit, Κυρηνιον eum vocans. Quae enim Graeci per *K*, Romani per *C*, vel per *Q* scribebant, et Latinus interpres usus est *C* pro *K*. *Descriptio* praefata Syriae, quae ad Augustum missa fuit, in qua plura erant ad Syriam spectantia, desideratur. Si invenirentur haec, et aliae provinciarum Rom. imperii *Descriptiones*, tunc factae, non parum luminis accenderetur plurimis, quae obscura sunt in Romanis Historiis. Notum scilicet nobis esset, quot, et quaenam tunc Urbes, ac Oppida, et quaenam essent Coloniae, quaeve municipia: quotque incolae tunc sub Rom. Imperio essent. Ex his *Descriptionibus*, ut arbitror, Augustus suum *Braeviarium totius Imperii*, de quo Suet. *Cap. VII. Aug. Vitae*, confecit.

Corollarium III.

Quirites, Cives Rom. dicebantur Sabinorum vocabulo. Ciceronis aevo difficulter *Quiritis*, seu Civis Romani honor exteris tribuebatur: adeo ut Pompejus notatus fuerit, eo quod L. Corn. Balbus insignis Gaditanus, qui in bellis Hispaniensibus pro Romanis strenue pugnaverat, Civis Romanus factus ab eo fuisset. Vide Cic. *Orationem pro Balbo*, vide item *Romani* in *R*.

Corollarium IV.

Antiquos Romanos saepe usos littera *C* pro *Q*. constat ex variis antiquis Inscriptionibus, in quibus legitur *Cintus*, et *Cuintus* pro *Quintus*: *Acua* pro *Aqua*: *Cuis* pro *Quis*: *Cuerela* pro *Querela*: *Co-*

que pro *Quoque*: *Occius* pro *Coquus*. Non semel tamen nonnulla, quae nunc per *C* scribuntur, scribebant per *Q*, ut *Oquulus* pro *Oculus*: *Arquus* pro *Arcus*, cet. Omittebant etiam nonnunquam in Scriptura *U* post *Q* putantes, *Q* esse nexum ex *C* et *U*, et scribebant *Meqm* pro *Mecum*: *Seqritas* pro *Securitas*: *Seqlum* pro *Seculum*: *Seqens* pro *Sequens*. Lucretius lib. 1. scripsit *Cuiret* pro *Quiret*, et alibi *Acua* pro *Aqua*. Plautus in *Cistell.* *Relicuum* pro *Reliquum*. V. *Calvus* in *C*; vide etiam *Quirinus* supra. Littera *Q* erat nota praenominis *Quintus* in Scripturis. Per *Q* etiam indicabantur *Quirites*, *Quinquennalia*, et alia plura, si eam comitabantur aliae initiales majusculae.

RA

R*Abirius*, Medicinae peritus, de quo Plin. *l. 28. H. N.*

Rabirius, Epicur. Phil. varia edidit ad Ethicam, et Physicam illustrandas, quae desid. De eo Cic. initio *Acad. QQ.*

Rabirius (C), Poeta, citatur a L. Sen. *l. 6. de Benef. c. 3.*, et a Quint. *l. 10.* Ovid. de hoc loqui videtur *Ep. 16. l. 4. de Ponto* dicens:

Magnique Rabirius oris.

Scripsit *Rabirius* Epigrammata Heroica, et Satyras, nisi si *Satyrae* alterius *Rabirii* sint: nam Quintil. inter Epicos Poetas eum numerat. Ex *Satyris* affert Fulg. ad Chalcidium hunc versum:

Abstemium merulenta fugit Methymnia nomen.

De eo in *Collect. vet. Poet. fragm.*

RE

Corollarium I.

Reges Roma expulsi fuerunt ob tyrannidem Tarquinii superbi, et ob vim, ab ejus filio Lucretiae, nobili Matronae, illatam. V. *Tarquinius* in *T*. Regis nomen fuit deinceps Romanis valde exosum. Nihilominus Rex sacrorum creatus fuit, qui sacra faceret, quae antea Reges. Verum subjectus erat Pontifici, et magistratum gerere, ac cum populo agere ei non licebat. Ejus domus *Regia*, ac ejus uxor *Sacrorum Regina* appellabatur. Regum insignia, trabea scilicet, et fasces cum Lictoribus, ab Ethruscis accepta, Consulibus relicta fuerunt.

Regulus (Livinejus J), Orator, Pisonis, accusati sub Tiberio post Germanici mortem, Patronus. V. Tac. *l. 3. Ann.*

Regulus (M), Orator, Plinii Caec. aemulus, eidemque exosus. Vide Plin. *Epist. 3. l. 1., et 2. lib. 4.*, ubi ejus vitia, et malum animum exponit. Nihilominus hic idem *Regulus* laudatur a Mart., qui de eo meminit *l. 6. Epig.* dicens:

Et repetit toties facundo Regulus ore.

Videtur etiam de eo cum laude loqui *l. 5. Epig.* ad Aulum, et *Epig. ad Ponticum*, quem cavillatur dicens:

Ipse tuo cedit Regulus ingenio.

Reguli OO. ad nos non pervenerunt. Hic forsitan est.

Regulus, *Aquilius* dictus, frater Vipsanii Messallae. Eum Modestus in *Sat. 1. Juven.* inductus, *bipedum nequissimum* vocat, in quo cum Plin. Caecilio consentit, si idem sit *Regulus*, de quo Plinius loquitur.

Renatus (Flav. Vegetius), vir illustris patria Romanus, professione Christianus. Scripsit de *re militari* jussu Valentiniani, Rom. Imp. Sunt, qui putent, Opus *Vegetii Renati*, quod nunc exstat, esse Epitomen Operis grandioris, quod desideratur. Male a nonnullis confunditur cum *Vegetio* alio. Vide *Vegetius* in *V*.

RH

Rheticius, Augustodun. Episc. Scripsit *Commentt.* in *Cantica Canticorum*, quos *comment.* petit S. Hier. in *Epist. ad Florentium*. Hi Comment. desid. Fuit Judex cum Melchiade Papa in caussa Donatistarum, a Constantino M. designatus.

Corollarium II.

Rhetores. Rhetoris nomen olim tribuebatur solis iis, qui Rhetorices praecepta tradebant. Postea promiscue fuit attributum Oratoribus, et Declamatoribus, licet praecepta illa non traderent. Innumera Rhetorum Latinorum OO. interciderunt. V. *Oratores*, et *Declamatores* in suis litteris. *Rhetores* una cum Philosophis Roma ejecti fuerunt, quo tempore Romani, bellis intenti, non multum litterarum studiis vacabant, Coss. C. Fannio Strabone, et M. Val. Messalla. Vide Gel. *l. 15. c. 11. Noctium*, qui affert S. C. sive edictum, et ejus caussas. Ciceronis aevo *Rhetorum* turba referta erant omnia Ita Cic. *l. 1. de Off.* Post Ciceronem duae *Rhetorum* sectae exortae fuerunt, *Apollodoreorum*, nempe, et *Theodoreorum*. Primae *Apollodorus* auctor: Secundae *Theodorus* fuit. Hi fuerant insignes Rhetores, de quibus in suis litteris *A*, et *T*. Franciscus Pithaeus collectionem edidit veterum Latinorum Rhetorum.

RI

Riparius, ad eum est S. Hier. *Epistola*, qua indicatur, contra Ethnicos, vel Haereticos scripsisse. *Riparii OO.* desid.

Corollarium III.

Ritus priscorum Romanorum in Sacrificiis innumeri, et varii erant. Diis superis in albis vestibus albae hostiae: Inferis in nigris vestibus nigrae hostiae immolabantur. Alba hostia occidebatur cervice sursum reflexa: nigra autem terram intuens caedebatur. Superorum Numinum victimis ferrum imponebatur: Inferorum autem, ferrum supponebatur. In solemnibus sacrificiis silentium omnibus indictum erat. Vide Nieupoort de *Roman. antiq. Ritibus*. Vide *Romani* infra.

RO

Rogatianus, Senator, Sapientiae studio intentissimus, qui se abstinentia a podagra liberavit. Servos a se rejecit, nullos honores admisit: vix curabat de bonis suis. De eo Porphyrius citatus a Cael. Rhodig. *lec. antiq. lib. 7.*

Roma. De Ethnica Roma multa dicta sunt, et dicentur in decursu hujus Operis. De Romae Christianae laudibus vide S. Leonem M. Rom. Pont. *Serm. in Natali SS. Petri, et Paulli*: S. Joan. Chrysost. in *Expositione Epist. S. Paulli ad Rom. Serm. 32.*: Franciscum Macedum in Carminibus: alios.

Romanus (Verginius), Poeta scripsit *Mimijambos*, et *Comoedias*, quas laudat Plin. Caec. *l. 6. Ep. 21.* ad Caninium, ubi etiam commendat ejus ingenium, et probos mores. Ejus *Carm.* desid.

Romanianus, ad quem S. Aug. misit *Lib. contra Academicos*, fuit vir doctus, et pater Licentii Poetae, S. Aug. amici, et discipuli.

Corollarium IV.

Romani, a Trojanis orti, ac inter gentes omnes, belli, ac pacis artibus celeberrimi, peragrabant Imperii provincias, ac quidquid notatu dignum, et singulare inveniebant, litteris consignabant, et ad patriam transferebant: adeo ut victores orbis terrarum, non spolia hostium solum, sed et mores, leges, instituta aliorum laudabilia domum deveherent. *Romani* a Graecis doctrinam acceperunt. Verum processu temporis inferiores non fuerunt Graecis in doctrinarum multiplicitate, et varietate: quod apparebit, si conferantur Varro, Nigidius Figulus, C. J. Caesar, M. Tullius, T. Livius, Virg. Senecae, Ovidius, Horat., Plin. Historicus cum eorum temporum Graecis litteratis; quos etiam superasse mihi videntur Asiatici, et Alexandrini. V. *Athenae* in *A.* Cic. *l. 1. de Orat.* ait, Romanorum ingenia omnium gentium ingeniis praestitisse. *Lib.* autem 3. sub Crassi persona testatur, Romae natos minus litteris studuisse, quam Romanos extra Romam natos in Latio, vel in provinciis. Idem Tul. *Tusc. QQ. lib. 1.* testatur, Romanos sui temporis in sola Philosophia a Graecis fuisse superatos; omnia sapientius, quam Graecos invenisse, ac ab illis accepta meliora fecisse. Utrum haec ex vero, an hyperbolice, ut Romanos extolleret? judicent lectores eruditi, qui forsitan plures, quam nos, antilogias in Cicerone animadverterunt. In cultu Deorum, seu potius Daemonum, fuerunt valde superstitiosi, multosque ritus, et ceremonias in sacris, et sacrificiis ex Hebraeis sumpserunt, eas transferentes a cultu veri Dei, quem Hebraei adorabant, ad cultum falsorum Numinum. Ex Hebraeorum Levitico hauserunt Lustrationes, Sacrificia propitiatoria, et expiatoria, Hostias pacificas, Oblationes, Supplicationes, Execrationes, Consecrationes cet. Illud in Romanis singulare, quod in tanta opulentia, et luxu litteras tam impense excoluerint. Martialis aevo Romae litterati innumeri erant, ut testatur Martialis *lib. 1. Epigr. 2. ad librum suum*, ubi haec leguntur:

Nescis heu! nescis dominae fastidia Romae.
Crede mihi, nimium Martia turba sapit.
Majores nusquam ronchi: juvenesque, senesque,
Et pueri nasum Rhinocerotis habent.

De Nominibus et Praenominibus, Cognominibus, et Agnominibus

Romanorum, vide Val. Max. in *libri* 10. *Epitome*. Tempore Imperatorum obtinuit apud Romanos diversa nominum propriorum, citatorum; et personas distinguentium, ratio. Nam olim praenomen distinguere solebat personas ejusdem familiae. Sic *M. Tul. Cicero*: *Q. Tull. Cicero* per *Marcum*, et *Quintum*, eorum praenomina, distinguebantur. Contra vero postea postremum nomen distinguebat personas, quae in praenomine, vel nomine conveniebant, vel ejusdem familiae erant. Sic *Flavius Vespasianus*, et *Flavius Sabinus*, fratres, per postremum nomen differebant. Idem dico de M. Senecae filiis, quorum primus erat *M. Annaeus Novatus*: 2. *L. Annaeus Seneca*: 3. *L. Annaeus Mela*, Lucani pater: et in citandis scriptoribus tempore SS. Hieron., et August., ut plurimum, cognomen, seu postremum nomen notabatur, licet praenomen, et nomen haberent. Sic citari solet *Victorinus*, non *C. Marius*: *S. Prosper*, non *S. Tyro*: *Rufinus*, non *Tyrannius*: *S. Paullinus*, non *S. Pontius Meropius*. Tandem *Volusianus*, non *Cajus Caesonius Rufus* a S. Aug. appellatur in *Epistt.*, licet ea omnia nomina ante *Volusiani* cognomen haberet. Idem dico de *Boetio*, qui licet *Anicius Manlius Torquatus Severinus Boetius* appellaretur, non sub *Anicii*; vel sub aliis, sed sub *Boetii* nomine citatur. Nonnunquam tamen ab hoc more nonnulli recedunt, et aliter Auctores citant, ut etiam olim cum varietate citabantur, ex quo magna oritur confusio, ut adnotatum est verbo *Accius* in *A*. Vide P. Sirmondum in Notis ad Sidonium, ubi multa de his disserit eruditissime, more suo. Plutarchus *Tractatum* habet de *Fortuna Romanorum*, valde eruditum: Verum prospera eorum fortuna, cum prudenti gubernatione conjuncta; ob quam Virg. cecinit in fine *lib. 6. Aeneidos*:

Tu regere imperio populos, Romane, memento
Hae tibi erunt artes. cet.

tandem Romanos deseruit; nec illis *imperium sine fine dedit*, ut vaticinabatur Virg. Vide *Luxus in L.* Quod T. Livius de antiquioribus Romanis affirmavit: In multis praeliis victos; in nullo autem bello superatos fuisse, de posterioribus Rom. nonnisi falso potest affirmari.

Romulus, primus Romanorum rex, et Romae in Palatino monte fundator fuit Olympiadis 6. an. 3. secundum Halicarn: an. Mundi 3231. ante Christ. aeram an. 753. Vide Petav. *Ration. temp. lib. 3. Partis 2. c. 2.* Alii paullo aliter de anno primo Romae sentiunt. *Romulus* annum fere 20. aetatis agebat, cum annuente Numitore (a quo per Sylviam Vestalem virginem originem ducebat) in regnum Albanum restituto; ex Alba, quae tunc Latii caput erat, secum duxit, socio ejus fratre Remo, 3000. incolarum peditum, et 300. equites ad novam urbem condendam. Ex illis Albanis ordinem Senatorium constituit, ac centurias equitum ternas, quas *Celerum* appellavit, et custodes sui esse voluit, postquam omnium consensu in Regem fuit electus. Urbe fundata, leges tulit, ad Jus naturale spectantes, de liberorum Institutione, de Matrimoniis, de Patria potestate, seu de parentum jure in filios:

nonnullas item ad falsorum Numinum cultum stabiliendum, quem, rejectis Graecorum fabulis, et simulacris, obsoleta cupiebat. Verum. *Quid leges sine moribus vanae proficiunt?* Ille, si leges tulit, ut tradit Gravina, ad jus naturae spectantes, parum suo exemplo eas apud Romanos firmavit: cum Remum fratrem ob levem caussam occiderit (quod facinus valde carpit Cic. *l. 3. de off. c. 9. in fine*) Sabinorum filias fraude, ac vi rapuerit: latrocinia, et latrones, immo, et homicidas, protexerit: asylum in nova urbe variis nequam, et sceleratis dederit, ac vicinis populis bella intulerit, ut eos facultatibus suis spoliaret, sibi subjectos faceret, ac Romam amplificaret. Dionys. Halicarn. in *Roman. Antiq.* libris ait, plurimas leges eum tulisse, quarum altera erat, ne foeminae Romanae intra Urbem vinum poterent, quam post multa secula Tiberius, minime abstemius, cum Romanorum plausu abrogavit. Gellius *lib.* 10. *NN.* c. 23. tradit, mulieres Romae, et in toto Latio abstemias fuisse, et a marito multatas, quae vinum bibissent, citans illic eos, qui *de victu, et cultu Pop. Rom.* scripserunt, et Catonis *Orat. de Dote*. Annum in 10. menses divisit, primum mensem Martium appellans in Martis honorem, a quo se genitum credi volebat. Parum quidem scite Annum divisit secundum Ovidium, qui de hac divisione cecinit.

Scilicet arma magis, quam sidera, Romule, noras.

Verumtamen, si ita Menses, et Annum ordinavit, ut Anno nostro in dierum numero suus Annus responderet, non prorsus expers Astronomiae, seu siderum scientiae *Romulus* erat. Ast de ejus eruditione postea. Cum asperius regnaret, concionem ad populum habens, coorta tempestate, disparuit, vel fulmine, de coelo tactus, vel a Senatoribus discerptus: quod a multis traditur. Annum tunc agebat 56 aetatis, et regnaverat an. 38. Senatores, ut invidiam ejus necis a se amoverent, Proculum quemdam, superstitiosum hominem, subornarunt, qui juraret, se vidisse *Romulum* luce fulgentem, et ad coelum euntem. Hoc testimonio honores ei divinos Senatores decreverunt: templum dedicarunt, eidem constituentes sacerdotem, quem *Quirinalem* appellarunt, ut Romulum *Quirinum*. Quin etiam Hersiliam, ejus uxorem, in Deos post mortem retulerunt, *Horam* illam appellantes. Sunt qui dicant, ex Hersilia nullam prolem suscepisse. Alii dicunt, filiam habuisse, quam ex ordine nascendi, *Primam* appellavit, et filium unicum *Aollium* ab eo dictum, a posteris *Avillium*. Ita Plut. in *Vita Romuli*. Cum e vivis excessit, aucta jam Roma erat magno incolarum numero: ad 40. enim millia peditum, et mille Equites Romae militum numerus censebatur. Quod nemo mirabitur, si animadvertat, post multa cum Sabinis praelia, pace inita, T. Tatium Sabinorum ducem, et principem, ad incolendam novam urbem cum maximo suorum numero transivisse, ac ex Romanis, et Sabinis, ut etiam ex aliis vicinis populis, a *Romulo* devictis, populum Rom. coaluisse, T. Tatio in regni socium adscito. V. *Servius* in *S. Hersilia* in *II. Ro-*

me tunc brevi spacio, in Palatino monte, circumscripta erat: postea immensa spacia, Imperatorum praesertim temporibus, occupavit. Si Historici rem non exaggerant, sub Claudio 6. milliones incolarum, et eo amplius, Romae habitabant: quod indicat Romam, antequam combusta magna ex parte a Nerone fuisset, valde amplam fuisse. Sed fortasse Romae nomine totum agrum Romanum Historici intelligunt. Vespasiani aetate, nisi si error sit in numeris, solis milliaribus 13., et 200. pass. ejus ambitus continebatur: Sub M. Aurelio, si vera narrat Vopiscus, ad 50. milliaria fuit Urbs ampliata. Sub Honorio autem ad 22. milliaria ejus ambitus erat arctatus. Post *Romulum*, et unius anni interregnum, Romae regnarunt, Numa an. 43., Tullus Hostilius an. 32, Ancus Martius an. 24, L. Tarquinius Priscus an. 38, Servius Tullius an. 44, L. Tarquinius Superbus, postremus rex, an. 25. Ex his Tullus Hostilius cum tota sua familia periit fulmine tacta, et incensa ejus domo.

BREVIS DISSERTATIO

De Romuli, et primorum Romanorum litteratura.

Satis recepta inter recentes rerum Romanarum Historicos est opinio, Romulum, et vetustiores Romanos adeo agrestes, et opicos fuisse, ut litterarum, et omnis ingenuae disciplinae expertes fuerint, Paradoxumque ingens, ac neutiquam probabile esse, contrarium affirmare: quod suadere conantur his rationibus, 1. quia Primi Romani, bellis intenti, non poterant litterarum studiis vacare. 2. quia Roma ex pastoribus, et rusticanis coaluit, ac Romulus, et Remus fuerunt inter pastores educati, afferentque forsitan Propertii carmina de Romano Senatu, et pellitis, ac rusticis Patribus, in prato cogi solitis, ad Reipub. negotia tractanda. Vide *Senatus* in *S*. 3. quia Romulus, lege lata, cavisse dicitur, ne ingenui Romani litteris, et disciplinis navarent operam, veritus, ne earum studio ab armorum tractatione, et bellicis expeditionibus avocarentur, restincto militari ardore, et ferocia, quae dos inter praecipuas, et maxime propria viri Militiae adscripti habetur. Id autem firmare se posse putant testimonio Dionysii Halicarn. *l. 2. Antiq. Rom.* 4. quia, teste Catone Censorio in *Praeceptis ad filium*, etiam Catonis aevo, Romani a Graecis tanquam barbari, et opici traducebantur: quanto magis hoc nomine dignos putabimus initio U.C.? Vide *Cato* in *C*. Haec illi. Quae non tam firma mihi videntur, ut contrariis rationibus, quas exponam pro doctrina Romuli, et primorum Romanorum, praevalere debeant. Et quidem praeter dicta verbo *Poetae* in *P*., alia me movent ad aliter sentiendum. Primum: Romulo fuit ingenium acutum, politicis artibus instructum, et a litteris non abhorrens. Qui enim fieri potuisset, ut homo rudis, et a politicis artibus alienus, conderet novam urbem, quae caput maximi imperii olim erat futura, legibus eam firmaret, et rerum in ea ordinem stabiliret? Eum vero fuisse ingenio non minus, quam manu promptum, hoc uno, licet deessent alia, ostendi potest,

quod Romani Historici non silent. Invitatus ad coenam, in vino bibendo valde moderatus fuit, forsitan praeter morem. A convictoribus interrogatus, cur tam parce bibisset? dixit, sibi die crastina gravia negotia pertractanda, et iccirco parum vini potasse. Cum alter ex combibonibus reposuisset: *Romule, si isthuc omnes faciant* (sunt verba ipsa L. Pisonis Frugi, relata a Gel. *l. 11. c. 14. NN.*) *vinum vilius sit*. Is respondit: *immovero carum, si quantum quisque volet, bibat: nam ego tibi quantum volui*. Haec extemporalis *Romuli* responsio, non obtusi, et inculti ingenii, sed probe culti mihi videtur 2. quis credat, hominem politicum, et legislatorem voluisse, pueros, nondum bello aptos, ab studiis litterarum avocare, ac in otio, et ludicris tantum rebus versari? 3. verisimile est, ex Albanis, ex Sabinis, ex Ethruscis, ex magna Graecia, ex populis aliis nonnullos litteris instructos Romam commigrasse. De Ethruscis constat, cum Caelio Vibennio, eorum duce, Romulo bellanti suppetias tulisse, ac Romae postea mansisse, eosdemque in monte Caelio, a suo duce sic dicto, habitasse. Et sane Ethrusci a litteris, et disciplinis neutiquam abhorrebant, uti neque illi, qui ex magna Graecia erant. 4. T. Tatius, Sabinorum princeps, *Romuli* in regno socius, *Sapiens* ab Hist. appellatur: et credibile non est, voluisse in consilium, ad negotia publica tractanda, homines rusticos, et opicos vocare, ac non potius viros prudentes, et eruditos, quorum saltem nonnulli ex Albanis a Numitore delecti fuerunt, ut nepotes suos ad novam coloniam fundandam comitarentur, et suis eum consiliis adjuvarent: nec inter Sabinos, quos Tatius secum Romam adduxit, viros defuisse arbitror eruditos: 5. quia inter leges, quas rogavit, vel sancivit *Romulus*, nulla est, quae ingenuarum disciplinarum studia vetet. 6. Mortuo Romulo, Romani Numam Pompilium regem elegerunt, (cum Numa in Sabinis ageret, et de regno non cogitaret), quia doctrinae fama clarus erat: nec est credibile, hominem exterum, ob doctrinam suam ad regnum accitum a Romanis, si hi a litteris abhorruissent. Hic obiter adnoto: verisimile esse, inter Sabinos non unum Numam litteratum fuisse, licet inter eos Numa emineret. Demum, quia *Romulum* non armis solum, et equestri arte institutum fuisse, (quod adversarii non negant), sed et disciplinis ingenuis, affirmat in *Vita Romuli* Plutarchus, cujus haec sunt verba, post relatas varias de *Romuli*, et *Remi* educatione opiniones: *Alii veritati consona magis referunt, conscio Numitore, et alimenta suppeditante secreto nutritiis, pueros litteris, omnique liberali disciplina Gabiis institutos*: *Romulus tamen praecellentior consilio, et civili prudentia habebatur*: *In sermonibus, et liberalibus studiis frequentes esse: hinc adolescentibus magnum nomen*. At, inquies, *Romulus* noluit, Romanos ingenuos litteris dare operam, sed soli Agriculturae, et bellicae arti. Hoc enim testatur Dionysius Halicarn. *lib. 2. Antiq. Rom.* cujus testimonium est in rebus antiquis Romanorum magni ponderis. Testimonium autem Dionysii est hujus-

modi: *Romulus artes sedentarias, ac illiberales servis, et exteris exercendas dedit: et diu apud Romanos haec opera habita ignominiosa: nec ullus indigena ea exercuit: duo vero studia sola ingenuis hominibus reliquit, Agriculturam, et Bellicam artem*. Verum quis non videt, hic Halicarn. solum de studio, et exercitio artium mechanicarum, seu illiberalium loqui? quas inter, ingenuis solum hominibus dignas censuit Agriculturam, et Bellicam, quae inter mechanicas, et illiberales, ut etiam Venatoria, Bellicae affinis, numerantur, eo quod plus corpore, quam mente exerçeantur. De Disciplinis ingenuis, et litteris nulla hic mentio: quam non praetermisisset, si habuisset in animo, eas pueris, et adolescentibus, bello, et cultui agrorum nondum aptis, interdicere. Optabat proculdubio *Romulus:* optabat T. Tatius, Romanos cives in Bellicae artis, et Agriculturae studia incumbere. Ast litterae, et disciplinae, nec Bellicae arti, nec Agriculturae adversantur. Quis enim dixerit, Arithmeticam, Geometriam, Architectonicam, Astronomiam, Physicam, Oratoriam Bellicae arti, et Agriculturae obesse? Num ne M. Alexander, Jul. Caesar, Scipiones, Themistocles, Alcibiades, alii ex Graecis, et Romanis minus apti bellicis fuerunt, quia litteris, et disciplinis instructi? Num forsitan Cato, Varro, Virgilius, Columella, Palladius minus in Agricultura valuerunt, quia aliis ingenuis artibus, et disciplinis fuerunt eruditi? litterae non modo impedimento non sunt iis, qui Bellicam, et agri excolendi artem profitentur, sed magno adjumento esse possunt ad eas perfectius excolendas, et exercendas. Perperam igitur de *Romulo*, litteris, et omni disciplinarum ingenuarum genere instituto, opinantur, qui statuunt, eum voluisse, Romanos litterarum, et disciplinarum omnium liberalium ignaros esse, quique tradunt, primos Romanos agrestes omnes, barbaros, et omnis liberalis institutionis expertes fuisse. Perperam item opinantur, qui putant, aliter sentientes, et contrarium propugnantes, Paradoxum neutiquam probabile promovere, et rem ridiculam venditare. Sed de his hactenus. Ego, quidquid alii sentiant, dicam cum Cicerone, *l. 4. Tusc. QQ.*, de antiquis Romanis loquente: *Quis est, qui putet, cum floreret in Italia Graecia potentissimis, et magnis urbibus, ea quae magna dicta est: in hisque primum ipsius Pythagorae, deinde postea Pythagoreorum tantum nomen esset, nostrorum hominum* (Romanorum scilicet antiquorum) *ad eorum doctissimas voces aures occlusas fuisse?* Quod si, adductis a me rationibus, hoc ingens Paradoxum probabile saltem lectori evasisse videbitur, poterit inter *Paradoxa* Philologica alio in Opere contra communes opiniones proposita, et virorum eruditorum judicio probabilia reddita, istud etiam numerare. Jam vero, si contra sentientes velint, nec Romulum, nec Romanos antiquos ad illam eruditionem, et doctrinam pervenisse, quibus posteriores Romani cives instructi fuerunt; nemo, ut arbitror, illis adversabitur.

Roscius, Histrio insignis Romae, a Cicer. in *Bruto*, et de *Ora-*

tore lib. 2., et alibi laudatus. Qui perfecti in arte sua erant, *Roscii* appellabantur: adeo Romanis omnibus in arte Histrionica numeris omnibus absolutus *Roscius* videbatur. Sylla Dictator eum annulo aureo donavit. Librum edidit, quo Eloquentiam cum Histrionia comparavit. V. Cael. Rhod. *l. 14. c. 17.*, ubi plura de *Roscio*, et inter alia, pro mercede diurna eum mille denarios de publico accepisse. Item, eum Gallum fuisse, oculis obversis, nec satis facie decorum. Demum personis eum in theatro uti coepisse.

RU

Rufinianus, Orator sub Constantino M., pater Ablavii Tatiani. Vide *Ablavius* in *A.*,

Rufinus (Licinius), Jurisconsultus, (quem Cujacius Christianum fuisse tradit) sub Imperatoribus Caracalla, Severo Alex., Gordiano, et Decio floruit. Ad eum omnes praefati Imperatt. mandata sua miserunt. Scripsit *libros 12. Regularum*, quorum fragm. in Pandectis Justiniani exstant. Consuluit Jul. Paullum, cujus auditor olim fuisse videtur.

Ruffinus (Tyrannius), Aquilejensis Presbyter, Graece, et Latine doctus, floruit in fine 4. Sec. Eccl. Fuit S. Hieronymi, cum recte ille sentiebat, amicus intimus: postea vero ejus aemulus, et obtrectator. Plura scripsit parum S. Hieron., et Catholicis probata, quibus Origenistarum errores promovit, Scripta Origenis in Latinum sermonem transferens ex Graeco, et per Occidentem spargens. Contra eum S. Hier. scripsit satis acri stylo. Nonnulla *Ruffini* Scripta arbitror periisse: alia non pauca supersunt, legi digna cum debita cautione. Quantum olim S. Hier. *Ruffinum* recte sentientem dilexerit, intelligere est ex *Epist.* ad eum, quae est *11. lib. 2. Epistt.* editarum a Petro Canisio: qua editione utor. Damnatus fuit *Ruffinus*, tanquam Origenista ab Anastasio Papa, initio 5. Ecclesiae seculi.

Ruffinus, Poeta, scripsit de Metris, cujus supersunt fragm. in Collectione fragm. vet. Poet. Forsitan Opus *de Metris* est Ruffini Aquilejen., de quo antea. Puto enim, Poetam etiam fuisse.

Ruffius (C), Orator, qui Chertilium, sive Chritillum quemdam, a Sisenna defensum, accusavit. Cum Sisenna inter orandum fateretur, clientem suum quaedam *Sputatilica* crimina admisisse; confestim *Ruffius*, homo facetus, et ingenio promptus, ad Judices conversus reposuit: *circumvenior, Judices, nisi subvenitis:* et sermonem ad Sisennam referens: *Sisenna: quid dicas, nescio. Sputatilica? metuo insidias. Sputatilica? quid hoc? Sputa quid sint, scio: Tilica nescio.* Quibus dictis magnos in auditorio cachinnos excitavit. Vide Cic. in *Bruto. Rufii Or.* desid.

Rufius (Venerius), vir eruditus, ad quem Numatianus misit *Itinerarium* suum.

Rufius, Albini filius, *Gloria viva patris* appellatur a Numatiano. Albinus fuerat magnus Orator., et Procos. in Africa, genere nobilis-

simus. De Albinis videri possunt multa in *A*. Diversum hunc puto a praecedenti. Uterque sub Honorio florebat.

Rufus (Virginius), Rhetor, Romae juventutem erudivit sub Nerone. Scripsit de *Arte Rhet.*, teste Quint. *l. 5*. Illius fit mentio a Plin. Caec. *l. 2. Epist. 1.*, ubi ait, laudatum fuisse a Corn. Tacito, quem laudatorem eloquentissimum appellat.

Rufus, sine praenomine, citatur a Plut. in *Problemm.*, ubi de Histrionibus quaerit: cur ita appellantur, qui scenae serviunt, eidemque sunt addicti? Illic *Rufi* hac de re opinionem affert. Non liquet, an idem cum praecedenti fuerit.

Rufus (Cael.), insignis Orator, *Orationem* habuit, cui titulus de *Aquis*, quae desid. In *Epist.* quadam ad Ciceronem agit de Aquariis, et Tabernariis. Ex quibus intelligere licet, eum fuisse Romae aquarum Curatorem. In praefata enim *Epist.* ait, se cum Aquariis, et Tabernariis pugnasse, ut fraudes eorum impediret. Ex variis antiquis Inscriptionibus palam fit, fuisse Romae Aquarum Curatores a Senatu designatos, vel ab Imperat. V. Cael. Rhod. *l. 18. c. ult.*

Rufus, vide *Canius* in *C*, quibus adde: uxorem habuisse Theophilam, Poetriam, a Mart. laudatam *lib. 7. Epig.*, et Aethiopem ei in deliciis fuisse, ut ex eodem Mart. colligitur.

Rufus (M. Cluvius), Orator praeclarus sub Nerone. Laudabatur ab Helvidio, eo quod neminem unquam accusasset, et plurimos eloquentia sua defendisset. Ita Tac. *l. 13. Ann.*, et *lib. 4. Hist.* Ejus *Oratt.* desid.

Rufus (Satyrus), Orator. De eo Plin. Caecil. in *Epistt.* tradit, sui seculi eloquentia contentum non fuisse. Sed nihil mirum: cum neque ei satisfecerit Ciceronis eloquentia, et Ciceronem Allobroga appellarit, ut Juven. in *Satyris* testatur. Hujus *Oratt.* perierunt, vel latent.

Rufus (Corn.), Vir Cl., et eruditiss., qui per mediam aetatem mortem sibi conscivit, cum articulares cruciatus, quibus laborabat, diutius ferre non posset. Ita Franc. Patricius *l. 2. de Regno*, quin dicat, unde hoc acceperit. At viro doctiss. fides habenda, quantumvis testes non adducat.

Rufus (C. Sempronius), Orator, quem Caelius ad Cic. scribens, ironice, ut puto, *Mel*, *et delicias* Ciceronis vocat. Accusavit *lege Plotia de vi* Tuccium. Vide M. Caelii *Epist. lib. 8. Epistt. Cic. ad Famil.* In hunc *Rufum* est antiquum *Epigr.*, ex quo intelligitur, eum repulsam passum fuisse in Praeturae petitione, eo quod Ciconiae pullos edere docuisset. Ejus *scripta* desid.

Rufus (Valgius). Ejus *Lib. de Quaesitis per Epistt.* citatur a Gel. *lib. 12. c. 3. NN.*, qui *liber* desid.

Rufus (Ant.), citatur a Quintil. *l. 1.*, ubi de *Grammatica*, ac de eo ait, numerum dualem, et pluralem in Latinis propugnasse, Graecosque hac in re imitandos contendisse.

Rufus (Musonius), Orator, de quo Tacitus *l.* 4. *Hist.* initio.

Rufus (P. Rutil.), Vir Consularis, et Jurisconsultus insignis doctrinae, *Romanus Socrates* dictus. Cic. *lib.* 1. *de Orat.* prope finem eum vocat Virum doctum, et Philosophiae deditum. Item *Exemplar innocentiae*, et quo nemo in civitate, neque integrior, neque sanctior: ac *l.* 3. *de Off. c.* 1. ejus dictum refert de Opere quodam Panaetii, cujus auditor fuerat, quod affectum reliquit. Haec ex persona Antonii. Decessit in exsilio, relictis non paucis *Libris de Jure*, et *Orationibus*, Cicerone teste, exilibus. Altera ex his erat de modo aedificiorum, quam Aug. Senatui recitavit, ad moderandum, ut arbitror, luxum in aedium constructione. Edidit insuper *Libros de vita sua*, citatos a Carisio, et *Hannibalica*, Opus citatum ab Appiano: quae omnia desid. Ab hoc diversus fuit

Rufus, ex ordine Senatorio. Is in coena inter pocula, nescio quo aestu abreptus, de *Augusto* maledice locutus, periculum delationis agnoscens, servi consilio persuasus, se ipse detulit, Augustum rogans, ut sibi ebrio parceret, seque pristina gratia sua non privaret. Pepercit *Rufo* se deferenti Augustus, qui, a *Rufo* in convivio dicta non ignorabat, et eum denuo in gratiam recepit, licet ei antea iratus. *Rufus*, actis Augusto gratiis, ei significavit, neminem, id crediturum, nisi sibi pignus aliquod gratiae, et veniae suae daret; ac pro pignore haud levem pecuniae summam ab eo petiit. Aug. exorari se passus, pecunia illa *Rufum* donavit, addens: *Mea caussa dabo operam, ne unquam tibi irascar*, quo monuit *Rufum*, curaret, ne ei postea alia pecuniae summa cum venia iterum a se danda esset. V. Sen. de *Benef. l.* 3. *c.* 27., ubi liberalitatem, et clementiam Augusti hoc facto laudans, narrat, ab Augusto pro servi libertate pecuniam *Rufo* fuisse numeratam.

Rufus, Poeta Lyricus, Ovidii aequalis, memoratus *lib.* 4. *de Ponto Ep.* 16. Ejus *Carmina* desid.

Rufus (Munatius), cujus scripta citantur a Val. Max. *lib.* 4. *c.* 3., ubi de *Catone*, cujus fidus comes fuit *Rufus* in Cypriaca expeditione. *Rufi* hujus scripta desid.

Rufus, Rhetor Pictaviensis, quem multis proscindit carminibus Ausonius, eum irridens, eo, quod verbo *Reminisco* pro *Reminiscor* usus esset. Ei nihilominus posita fuit statua: quod indicat, non inglorium Rhetorem fuisse. Eum *sine corde* in altero *Epigram.* vocat Ausonius satis frigide, quia *Cor* in verbo *Reminiscor* omisit.

Rufus (Sex.), Histor. Valentiniani I. Imp. jussu scripsit *Breviarium Historiae* Romanae, in quo rerum tantum summa capita recenset, prolixius Opus Valentiniano, cui *Breviarium* dicavit, promittens, si fata sinerent. *Compendium* istud res Romanas solum tradit usque ad Joviani obitum. Cuspinianus *Breviarium* hocce valde lacerum, et in quo vix 3. versus integri cohaererent, emendavit, consultis variis exemplaribus, illudque notis illustravit. Scripsit etiam

Rufus Libellum de Regionibus urbis Romae, quem Onufrius Panvinius suis inseruit de *Repub. Rom. Commentariis*. Post tot Scriptores sub *Rufi* nomine memoratos, dissimulare non possum, varie scriptum eorum nomen inveniri. Sunt namque, qui per geminatum *F*: sunt qui per simplicem edant, quin rescire possimus, quo pacto Romani antiqui illud scriberent, cum consonantes jam geminabant. In multis aliis nominibus simili ignorantia laboramus.

Rullus (P. Servil.), Trib. pl., et Orator, qui rogavit, et suasit populo Rom. legem agrariam, contra quam oravit Cic. in Senatu, cum esset Consul, et impetravit, ut ea lex, *Servilia* dicta, qua ejus Auctores clam tyrannidem moliebantur, abrogaretur.

Rusticiana, Symmachi uxor, foemina erudita. Ita Sidonius in *Epist.* ad Hesperium.

Rusticus (Fab.), citatur a Tac. *l. 3. Ann.*, ubi indicat, Historicum rerum sub Nerone gestarum, et Senecae amicum fuisse. Laudat Tac. illic ejus stylum, ut etiam in *Vita Agricolae*, ubi vocat Livium, veterum; *Fabium* autem *Rusticum*, recentium eloquentiss. scriptores. Ejus OO. desid.

Rusticus (Jun.), Phil., et magister M. Aur. Phil., Rom. Imp., cui adeo carus erat, ut eum publice oscularetur. Fuit Cos., et M. Aurelii jussu, qui ejus meminit in suis scriptis, statua ei Romae fuit erecta.

Rusticus, quem Suet. *Junium* vocat, laudes Paeti Traseae, et Elvidii Prisci vulgavit, eos appellans viros Sanctiss., ob quod a Domitiano occisus fuit: et hujus facti occasione Domitianus omnes Philoss. ex urbe, et Italia ejecit. Ita Suet. in *Vita Domitiani*. Vide Plin. Caec. *l. 1. Ep. 5., et 14.* Forsitan hic idem est cum *Fabio Rustico*, et typographorum errore, in Suet. *Junius*, in Tacito *Fabius* hic appellatur. De eo, ut delecto a Tiberio ad componenda *Acta Senatus*, loqui videtur Tac. *l. 5. Ann.* Ejus OO. interciderunt. Calderinus meminit cujusdam Marii Rustici, cujus Scripta ex Gallia se attulisse testatur. Verum haec scripta adhuc latent.

Rutilius (P), Vir doctiss., et innocentiss., Cottae avunculus, et exsul. De eo Cic. *lib. 3. de Nat. Deorum* prope finem. Hunc patria pulsum fuisse opera Apicii cujusdam, an. U. C. 560, testatur Possidonius apud Athenaeum. Non liquet, an is fuerit *P. Rutilius*, Trib. pl., qui Tib. Graccho, et C. Claudio perduellionis ad populum diem dixit. (Vide Val. M. *lib. 6. c. 5.*). Rei absoluti a populo fuerunt.

Rutilius (Geminus), Poeta Trag. Ejus *Astyanax* citatur a Fulgentio, a quo memorantur etiam ejus *libri Pontificales*: quae OO. desid.

Rutilius, citatur a Macrobio *l. 1. Saturn. c. 16.*, ubi de *Nundinis*, circa quarum institutionem affert opinionem *Rutilii* sine nota praenominis.

Rutilius. Vide *Lupus* in *L.*, ubi de *P. Rutilio Lupo* plura: quibus adde, Ciceronem meminisse de *P. Rutilio Lupo*, Tribunatu ple-

bis, et Praetura functo, qui in bello civili Pompei partes secutus fuit. Ejus filius, vel nepos forsitan fuit *P. Rutilius Lupus*, Rhetor, citatus a Quintil., qui Gorgiae *Libros de Schematibus* in Latinum vertit, et in Epitomen contraxit.

Corollarium IV.

Littera *R canina* a Rom. appellabatur, et teste Plut. in *Problemm.* ob linguae vitium, vix poterant sine magno nisu Romani eam pronunciare, licet esset prima littera nominis *Romae*, et *Romuli*. In his, et aliis vocab., in quibus prima littera erat *R*, sonum *L* balbutientes edebant: Cum *R* erat in medio vocabuli, *R* in *S* mutare solebant, etiam in scriptura. Hanc ob rem non raro invenitur *Fusius* pro *Furius*: *Valesius* pro *Valerius*; *Lases* pro *Lares*: *Dasi* pro *Dari*: *Asena* pro *Arena*: *Papysii* pro *Papyrii*. Item in fine *Arbos* pro *Arbor*: *Clamos*, *Labos*, *Vapos* pro *Clamor*, *Labor*, *Vapor*, ut videre est in antiquis Inscriptionibus. Pro *Meridies*, *Medidies* dicebant, teste Varrone de *Lingua Lat. l. 5. c. 2.*

SA

SAbellius, haeresiarcha, qui vivebat 5. Eccl. seculo. Is confundebat Trinitatis personas. Ejus Scripta, ut etiam antiquorum suorum sectatorum, perierunt. Ejusdem tamen errores instaurati ab Antitrinitariis hisce postremis seculis in Europa fuerunt, ut etiam Arii, et priscorum haereticorum errores, saepe ab Ecclesia proscripti.

Sabellus, Poeta, quem cavillatur Mart. *Lib. 12. Epigr.* ludens in *Sabelli* nomine his versiculis:

Odi te, quia bellus, es Sabelle;
Res est putida bellus, et Sabellus:
Bellum denique malo, quam Sabellum.
Tabescas utinam, Sabelle, belle.

Aliud legitur *Epigr. lib. 6.*, in quo indicatur, nonnulla haud insulsa Carmina a *Sabello* lucubrata. Ignoro, an is sit

Sabellus, qui versus adeo impudicos ediderat, ut Martiali, non multum pudico, displicerent, eique diceret *Lib. 12. Epig.*

Tanti non erat, esse te disertum

Sabina, Atestina, cui, purpurea toga cultae, optat Mart. tradi nondum vulgata Carmina sua a Clemente quodam, qui ad Euganeas Alpes versus Graeciam proficiscebatur. Vide *Epigr. ad Clementem lib. 10.*

Sabinaeus, adeo frigidus Poeta, teste Mart., ut posset Neronianas thermas suis versibus refrigerare. Ita in *Epigr. l. 3.*, et *in* alio, *lib. 3. ad* Faustinum.

Sabinus (Caelius), Jurisconsultus magnae apud Vespas. auctoritatis. Scripsit *Lib. ad Edictum Aedilium Curulium*, citatum a Gel. *l. 4. c. 2.* De eo etiam meminit *l. 7. c. 4.*, ubi de *Servis pileatis*. De eo item in *Digestis*.

Sabinus (Clodius), Rhetor, de quo M. Seneca, ejus sales, et urbanitatem commendans: *Erat*, inquit, *Sabinus homo urbaniss.*, *at si*

quid illi defuit in eloquentia, urbanitate, et salibus pensavit. Vide Sen. *Contr. 4. lib. 9.* in editione Gothofredi, ubi multa, a *Sabino* urbane dicta, narrantur.

Sabinus (Aulus), Poeta, qui fl. an. 20. ante Christum. De eo Ovid. de *Ponto l. 4. Ep. 16.* Scripsit Carmine *Epistt.*, quibus Ovidii *Epistolis* respondebat. Reliquit nonnulla Opera imperfecta, de quibus Ovid. loco citato

Quique suam Troezena, *imperfectumque* dierum,
Deseruit celeri morte Sabinus *Opus*.

Troezena, vel, ut aliis placet, *Trisenen*, erat ejus amicae nomen, quod videtur celebrare voluisse. *Opus dierum* erant *Annales*, vel *Fasti*, quae *OO.* affecta, teste Ovidio, reliquit.

Sabinus (Halus), Rhetor, cujus Sentt. affert Sen. in *Suasoriis*.

Sabinus (Asellio), amoeni ingenii Scriptor. Edidit *Dialogum* satis facetum, in quo certamen erat inter boletos, ficedulas, et turdos, qui Tiberio adeo placuit, ut ob hunc Dialogum ducentis eum donaverit Sestertiis. Ita Suet. in *Tiberio c. 42.* Praefatus *Dial.* desid.

Sabinus (Calvisius), homo dives, et vix sui nominis gnarus, qui tamen eruditus videri volebat apud convivas, opera servorum eruditorum, qui sub mensa siti, ei diversorum Poetarum carmina suggerebant, quae ipse opportune recitabat, licet nonnunquam in medio versu excideret. Vide Cael. Rhod. *l. 13. lect. ant.*, haec, et alia ex Seneca, de *Sabino* hoc narrantem.

Sabinus, Medicus, citatus a Gellio *lib. 3. c. 16.* tanquam Hippocratis Commentator. Verum ejus *Comment.* desid.

Salanus, Poeta, et Orator, ad quem est Ovidii *Epist. l. 2. de Ponto*, qua eum, ut clarum Poetam laudat, ac ut Germanici Caes. in eloquentia institutorem. Ejus *OO.* desid.

Sallustius, ludimagister, qui a Graecis accepit, et in usum retulit Litteram *k* inter Latinos. Ita S. Isid. *l. 1. Orig.*

Sallustius (C), Historicus, cujus cognomen erat *Crispus*, sed sub *Sallustii* nomine est magis notus, et frequentius citatus. Fuit Ciceronis aequalis, primum amicus, et postea infensus inimicus. A consiliis C. J. Caesaris fuisse ostendunt ejus Scripta ad C. J. Caes., rerum potitum, de *Repub. ordinanda*. Si Martiali credimus, Romanae primus in Historia habendus est. Verum *Historiarum Sallustii* solum Fragmenta supersunt, a viris eruditis collecta, exceptis Historiis de *Catilinae Conjuratione*, et de *Bello Jugurtino*, quae exstant integrae, a Serenissimo Hispaniae Infante, Gabriele Borbonio, Caroli III. regis nostri, (quem Deus incolumem servet) filio, in Hispan. Serm. conversae, et *Commentt.* doctiss. illustratae. Poesim etiam excoluisse videtur *Sallustius*, si Ciceroni fides habenda, parum feliciter. Nam Poema *Empedoclea* inscriptum, ab eo editum, taxat Cic. in *Epist. ad Q. Fratrem*: quod *Poema* desid. Obiit Amiterni in patria sua an. U.C. 719. aetatis 62. Cic. in *Epist. l. 3.* ad Q. Fratrem testatur, se *Sallustii* monitu mutasse interlocuto-

res in *Libb. de Republica*. De *Sallustio* verius dici potest, quam de CN. Pompejo (quod *Sallustius* dicere solebat): *Ore probo, sed animo inverecundo fuisse*. Ut enim ex antiquorum testimoniis constat, parum Sallustii mores cum ejus praeclaris, et optimis sententiis consentiebant. Pessime nempe vivebat, et sapienter loquebatur: suos mores dictis suis condemnans. Ignoro, sit ne hic, an ejus ex sorore nepos, qui sequitur, auctor Operis, citati a Rufo Festo Avieno de *situ Maeotici aequoris*, quod desid.

Sallustius (Crispus), Historici ex sorore nepos, et ab eo adoptatus. Erat vir litteratus, cui, ut ait Tac. *l. 14. Ann.* inerat vigor animi, ingentibus negotiis par: eo acrior, quo somnum, et inertiam magis simulabat. Tempore belli civilis a Pompeii partibus stetit. Postea vero fuit ab Aug. in primam cohortem prioris admissionis conscriptus cum Cocceiis, et Duilliis. Ita Sen. de *Clem. l. 1. c. 19.* Invenit metallum, *Sallustianum* dictum. Ita Plin. *lib. 34. H. N. c. 2.* Obiit Tib. imperante. Ita Tac. *l. 1. Ann. c. 6.* Ad eum est Horatii Ode.

Corollarium I.

Saltandi ars, quae valde communis inter nationes omnes fuit, et adhuc est, (de qua Cael. Rhodig. late disserit *lib. 5. lect. antiq. c. 4.*) illustrata proculdubio fuit Romanorum Scriptis, a Mimis praesertim, et Pantomimis, ut etiam a Saliaribus Sacerdotibus. Verum Scripta antiqua Lat. de hac ludicra arte nulla ad nos pervenerunt, quod equidem sciam. Romae celebrabantur olim Gaditanae Saltatrices, et Psaltriae.

Sammonicus, Poeta Lyricus fuit, teste Servio in *Virg.* Varia ejus *Carm.* citantur a Terentiano, Diomede, et Nonio Grammaticis.

Sammonicus (Q. Serenus), vir doctiss. Septimio Severo Imperat. perquam carus, et occisus in coena ab Antonino Caracalla, Severi filio, Bibliothecam habebat continentem 62. millia Voluminum, quam ejus filius dono dedit Gordiano Imperatori, cujus magister fuit. Ita Capitolinus. Scripsit hexametris versibus *de re medica:* quod suadet, eum, et Poetam, et in re medica peritum fuisse. Ignoro, an alia soluto sermone de *Medicina* scripserit. Poema de *re medica*, cum Corn. Celsi *Libris de Medicina* editum in editione, qua utor, mutilum est, et multa superstitiosa continet. Alia *Sammonici* hujus, vel ejus filii ejusdem nominis, et cognominis, *Philologica* nempe, *Physica*, *Mathematica* desid. *Reconditorum libri*, Auctore *Sammonico*, citantur a Macr. *l. 3. Saturn.*, ubi carmen ejusdem affertur, quo Dii antiquo ritu evocabantur, et quo hostium civitates obsessae devoveri solebant. Verum forsitan nonnulla ex his Operibus, filii, viri docti, erant, ut antea indicavi.

Samosathaeus (Paullus), Antiochenus Patriarcha, omni scelere contaminatus. Fuit Sabellianus, et variis in Conciliis damnatus. Cum veritatem amplexus, ad vomitum rediisset; a sede sua dejectus fuit Aureliani ethnici Imperat. jussu, qui caussam ejus commiserat Rom. Pont. S. Dionysio, eo quod *Samosathaeus* Sententiae Antiocheni Con-

cilii stare noluisset. Zenobiae Palmirenorum reginae in Christiana religione fuit magister: quo magisterio elatus, ea philautia fuit, ut secum Scribas duceret, qui omnia, ejus dicta tanquam oracula litteris mandarent. Paulli hujus Scripta nulla supersunt. Ejus discipula Zenobia in triumphum ducta fuit ab Aureliano Imperatore, Palmirenorum, et aliorum Imperii hostium, victore. Vivebat *Samosathaeus*, currente 3. Eccl. seculo.

Santra, antiquus Gramm., de quo in *Vita antiqua Terentii* fit mentio, deque ejus opinione circa adjutores Terentii in componendis Comoediis, non indicato Opere, nec aetate, in qua floruit. V. *Gallus* in *G*. Non liquet, an is sit *Santra*, quem salebrosum Scriptorem fuisse indicat Mart. *l. 11. Epigr.* S. Hier. in *Libri de Viris Ill. praefatione* indicat, *Santram de Viris Ill.* scripsisse. Ex his intelligere est, ante Honorii tempora, vel unum, vel plures *Santras* Scriptis suis notos fuisse.

Sarmentus, Servus fugitivus, Scurra, et Scriba, Augusto gratus, de quo Hor. *Sat. 5. l. 1.*

Sasernas, seu *Sacernas*, pater, et filius ejusdem nominis, *de Agricultura* Scriptores, quos secutus est, teste Columella, Corn. Celsus *de Agricultura* scribens.

Saturninus, haeret., Menandri discip., a quo *Saturniniani* sic dicti initio 2. Eccl. seculi, docebat, Christum veram carnem non habuisse, et figura solum apparuisse.

Saturninus (Fullonius), Mathem., cujus Libri citantur a Sidonio in *Epistola ad Pontium Leontinum*, praefixa Carmini 22.

Saturninus (Q. Claudius), Jurisconsultus, Vir Praetorius austeri ingenii, cujus sententias plerasque Ulpianus notavit. Scripsit *Lib. singul. de Poenis Paganorum*, ex quo unica Lex superest in *Digestis*, ubi *de Poenis*.

Saturninus (Aelius), Poeta, e rupe Tarpeja praecipitatus ob Carm. Satyrica in Tiberium Caes. Ita Dion *lib. 57*. Haec *Carm.* desid.

Saturninus (Pompejus), Poeta, Orator, et Caussid. Eum laudat Plin. Caecil. in *Epist. ad Ericium l. 1.*, eumque conferri posse, in Carminum suavitate, et lepore, cum Calvo, et Catullo, affirmat. Laudantur etiam ejus Uxoris *Epistolae*. Haec OO. non exstant, vel latent.

Saturninus citatur tanquam Hist. a Suet. in *Augusto c. 27*. Ejus *Histt.* desid. Forsitan hic est *Junius Saturninus*, cujus fragmm. supersunt.

Saturninus, Mechanicus, et Geometra, laudatur ab Apulejo in *Floridis*.

Saturninus, alter ex 30. Tyrannis, qui, imperante Aureliano, Imperium Rom. perturbarunt, et divexarunt. Is per vim in Aegypto fuit purpura indutus, homo non illiteratus. In Africa enim Artem Oratoriam docuerat, et Romae frequentabat *pergulas magistrorum*. Ita Vopiscus in *Saturnino*. De eodem narrat Trebellius, in concione ad milites dixisse: *Bonum ducem amisistis, et malum principem fecistis*.

Saturninus (Q. Venulejus), Alexandri Severi Imp. Consiliarius, et Papiniani discipulus. Ad eum, magistratu fungentem, Alexander scripsit. Edidit *Actionum libb. 10 : Disputationum 7 : Interdictorum 6 : De Officio Procos. 4 : De publicis Judiciis 3 : De poenis Paganorum lib. singul. : Stipulationum libb. 19*. Ex quibus plura fragm. in *Pandectis Justin.*

SC

Scaurus, Orator, cujus *Orationes* S. C. igni traditas affirmat Sen. in *Prooemio lib. 10. Contr.*, ubi non probat novum, et insuetum istum morem supplicia de studiis sumendi, qui coepit in *Labieni* Scriptis. Vide *Labienus* in *L*. Nihilominus: bene cum 7 *Scauri Orationibus* ignem egisse dicit, quia negligenter ab eo scriptae, ut Libri alii ab eo editi, qui cum fama ejus pugnabant, et multo solutiores, quam *Oratt.* ejus erant. Addit Seneca, se non novisse hominem, cujus ingenio populus Rom. pertinacius ignoverit: quibus indicat, ejus famae non obfuisse socordiam. Plura de ejus ratione dicendi vide apud Sen. loco citato.

Scaurus (M. Aemil.), *Mamercus* dictus, probrosae vitae Orator, et Poeta. Tiberium Caes. offendit, eo quod in Tragoedia *Atreus* (obscure licet, et oblique) violentam Tiberii dominationem taxaverit. Eum Tac. *l. 3. Ann.* uberrimum suae aetatis Oratorem appellat. M. Sen. eum vocat disertiss., et venustiss. hominem, qui nullius unquam stultitiam impunitam transire passus est. Inter Declamatores eum recenset *Controv. 2. et 9.* Fuit ex illustri familia. Accusatus a Macrone, qui post Sejani necem fuit Tiberio valde carus, se occidit, Tiberii jussu morti addictus. Sen. *Suas. 2.* ait, a Thusco fuisse accusatum, et in eo *Scaurorum* familiam extinctam. Ejus *OO.* desid.

Scaurus (M. Aemilius), Mamerco antiquior, Hist., et Orator. Scripsit ad L. Fufidium *3. libros de Vita sua*. Ita Cic. in *Bruto*. Hoc Opus memoratur a Val. Max. a Plinio, et Tacito. Pro rostris *Orat.* habuit pro se accusato, cujus sententias affert Val. Max. *l. 3. c. 8.* Pro eo etiam orarunt Cicero, Clod Pulcher, M. Marcellus, M. Claudius, M. Messalla Niger, et Q. Hortensius. Accusavit Dolabellam, qui damnatus a Judicibus fuit. *Scauri* hujus *OO.* desid. Hunc puto primum fuisse, qui Romae theatrum temporarium, sed magnificentissimum ex ligno cum maximis expensis construxit. Vide *Theatrum* in *T*. Hujus filius se interemit, quia patris conspectu privatus in poenam deformis fugae, cum contra Cymbros sub Catulo Procons. militaret ad flumen Athesim. Ita Val. Max. *l. 5. c. 8.*

Scaurus (M. Aurel.), Orator, cujus meminit Cic. in *1. Actione in Verrem*.

Scaurus (Terent.). Scripsit sub Adriano *Lib. de Cesellii Vindicis erroribus*. Ita Gel. *l. 11. c. 15.*, qui eum nobiliss. Grammaticum vocat, quin tamen probet ejus crisim in omnibus, quae notat in Ce-

sellio. Citatur etiam saepe a Nicomede Gram. Ejus *OO.* desid. Supersunt solum fragm. aliqua *Scauri de differentiis, et proprietate Latini sermonis*.

Scaurinus, Scauri filius, Romae celebris Gram. Alexandri Severi Imper. magister. Vide Lamprid. in *Alex. Severo*.

Scaevola (Albutius), Scriptor, exagitatus a Lucilio in *Satyris* ob stylum nimis comptum, et affectatum. Versus Lucilii affert Cicero in *Oratore*. Illic addit Tullius, diligentiam in compositione nimis operosam esse non debere, quia esset labor infinitus, et puerilis: quod Lucil. scite reprehendit in *Albutio*: et Quintilianus saepe inculcat, nihil odiosius affectatione.

Scaevola (Mucius). Ejus *Orat.* sententias ad Porsennam, Ethruscorum regem, quem occidere tentavit, vide apud Livium *l. 23*.

Scaevola (Q. Mucius), Orator, Jurisconsultus, et Pont. M. De eo Cic. in *Libris de Oratore ad Q. Fratrem* ait, fuisse eloquentum Jurisconsultissimum, et Jurisconsultorum eloquentissimum. Quid simile ait in *Bruto*, eum cum Crasso conferens, et ejus *Orat.* pro M. Coponio laudans. In *Praef.* ad *lib. de Amicitia* ait: *quem unum nostrae civitatis, et ingenio, et justitia praestantissimum audeo dicere*: *et lib. 3. de Nat. Deorum* eum temperantiae, et prudentiae Specimen vocat. Fuit Trib. pl., Cos. cum L. Crasso, et Procos. Asiae integerrimus. Gravina eum appellat Jurisconsultorum omnium principem, et scripsisse ait *18 de Jure libros*, quib. constitutum Jus civile affirmat. Sub eo Jus didicit Cicero, ut ipse testatur in *Bruto*. Occisus fuit, cum Pont. Max. esset, ante simulacrum Vestae belli Syllani temporibus, quia Syllae favebat. Nonnulli eum confundunt cum Q. Mucio Scaevola Augure, qui sequitur.

Scaevola (Q. Mucius), Augur. Ad hunc deductus fuit Cic. sumpta virili toga, a patre, ut a senis latere, quoad fieri posset, et liceret, non recederet. Itaque multa prudenter ab eo disputata: multa breviter ab eo, et commode dicta memoriae mandabat Cicero, hocque, et ejus senili prudentia, doctior fiebat. Ita Cic. in *Praef. ad Dial. de Amicitia*. Accusatus ab Albutio repetundarum, pro se oravit, et fuit absolutus. Eo mortuo ad Scaevolam Pontif. Cicero se contulit. Ejus *OO.* desid.

Scaevola (Q. Cervidius), Jurisconsultus, in primis floruit sub M. Aur. Phil., qui eo usus est plurimum in Jure condendo, et interpretando. Habuit discipulum Septimium Severum, postea Imperat., et Papinianum, Septimii amicissimum, ac plures alios, qui Jus Civile illustrarunt. Apud posteriores Imperatores, et viros doctissimos magnam laudem meruit ob prudentissima sua Scripta de Jure. Edidit *Digestorum libb. 40: Notas ad libb. Digest. Juliani: De Quaestione familiae lib. sing: QQ. libb. 20: QQ. publice tractatarum lib. singul.: Regularum libb. 4: Responsorum 6: Ορῶν lib. sing. et Notas* apud Marcellum. Ex quibus omnibus sola fragm. supersunt in Corpore Juris.

Scepsius, Poeta, Satyras scripsit contra mores Italiae, et reum Romam fecit. Ita Ovid. *l. 4. de Ponto Ep. 14.*

Non loca, sed mores, scriptis vexavit amaris
Scepsius Ausonios, actaque Roma rea est.

Ejus Satyrae desid.

Corollarium II.

Scholae. Ut olim Romae, et in Latio Scholae Graecorum erant, ita postea Athenis in Graecia, ac in Asia Scholae Latinorum, ut Romana litteratura per totum Imperium diffunderetur. Hocque consecuti sunt Romani, sub Imperatoribus, ut lingua Latina universalis esset, ac veluti vernacula inter viros praesertim litteratos. Vide *lingua Latina* in *L.* Romae erant Scholae, ad quas ibant etiam puellae grandiores, ut litteras discerent an. U. C. 303., et hae erant circa forum. Ita Dionis. Halicarn. *l. 11. Antiq. Rom.* Filia L. Virginii, quam Appius Decemvir violare tentavit, in Ludo litterario, seu in Schola visa fuit ab Appio, qui ejus forma captus, insano amore accensus in eam fuit. Vide Liv. *l. 3. Hist.*: quae ostendunt, Romanos non adeo illitteratos primis Romae seculis fuisse, ut nonnulli arbitrantur, putantes soli agriculturae, et armis operam navasse.

Scipio (P. Africanus), antiquior, vir doctus, et eloquens, laudatus a Cic., a Sen., a Gellio, Macr., et aliis: inter quos Vellejus ait, de eo loquens: *semper, aut belli, aut pacis artibus: semper inter arma, et studia versatus, aut corpus periculis, aut animum disciplinis exercuit*. V. *Ennius* in *E.* Scipionis hujus *Oratio* contra legem popularem C. Papyrii laudatur a Cicerone de *Amicitia*, ejus gravitatem, et majestatem commendante. V. *Laelius* in *L.* Erat frater *L. Scipionis* Asiatici, cujus legatus esse voluit in bello Asiatico, licet natu major, et, devicta Africa, insignis. Ejusdem dicta nonnulla in re militari memoratu digna leguntur: ut illud: *in bello turpe esse duci dicere: non putabam*: Negabat cum hoste confligendum, cum hostis conflictum optat, sed cum opportunum est, aut necessarium. Dicebat de se, nunquam minus ociosum esse, quam cum ociosus: nec minus solum quam cum solus. Ita Cato Censorius, ejus fere aequalis: quod *Scipionis* dictum, tanquam vox sapiente viro digna; a Cicerone laudatur. Vide alia de eo apud Valerium Max. *l. 7. c. 2.*, apud Plut. in *Apophtheg.*, et in *ejus Vita*. Creditum fuit, ab eo Terentium adjutum in componendis Comoediis: quod indicat, eum Poetam fuisse. Obiit exsul Literni in Campania an. U. C. 570., quo anno Cato censura fungebatur. Cic. *l. 3. de Off.* tradit: nulla ejus monumenta, litteris tradita, exstare: quod intelligo de ejus Operibus philosophicis.

Scipio (L.), Publii Scipionis frater, Orator, cujus Cic. in *Bruto* meminit. Fuit peculatus damnatus. Nescio, an hujus *Scipionis* fuerit *Historia*, a *Scipione* edita, cujus fit mentio in *Fragmentis veterum Historicorum*. Forsitan auctor ejus fuit *Scipio Nasica* (Vide *Nasica* in *N.*) a nasi magnitudine *Nasica* dictus. De *L. Scipione* narratur, cum

militum sui exercitus nomina memoriter Populo Rom. reddidisse.

Scipio (P), Africanus junior, militari virtute, et arte insignis, qui, Romanorum militari disciplina in Hispania instaurata, impetravit, ut Carthago, et Numantia, in potestatem Romanorum tandem redactae, solo aequarentur, ne amplius negotium Romanis facesserent. Fuit vir litteratus, laudaturque ejus eruditio a Polybio, Cicerone, Plut., et aliis. Vide *Polybius* in *P*. Cum nonnulli eum tanquam parum pugnacem notarent, respondebat: Mater mea non me militem peperit, sed Imperatorem. Monebat, hosti non claudendam viam, qua fugeret. Ita Vegetius. Illud etiam dicebat, malle se unum civem servare, quam mille hostes perdere. Obiit an. U. C. 625.

Scopelianus, Sophista, missus ab Asiae provinciis ad Rom. Senatum, ut abrogaret Edictum de vinetis in Asia succidendis: quod sua eloquentia impetravit, et multis praeterea honoribus, et muneribus a primariis Rom. ornatus est sub Domitiano Imp., mirantibus cunctis ejus in dicendo peritiam. Ejus *Orat*. desid. Sub Nerva etiam vixit, et Apollonii amicus fuisse videtur. V. Cael. Rhod. *lect. antiq. l. 20. c. 11.*, ubi multa de ejus vigiliis litterariis.

Corollarium III.

Scribae. Romae erant complures Scribarum Decuriae. Nam singuli Magistratus suos Scribas habebant, praeter eos, qui Senatui, magno numero, inserviebant. Eos eruditos esse oportebat, ut accurate *Acta* scriberent, et in tabulas optima Latinitate referrent secundum Juris formulas. Eosdem *Notarios* fuisse crediderim, qui, notis utentes, celerius a Senatoribus dicta excipiebant, et litteris mandabant. Vide *Notarii* in *N*. Inter Graecos magno in honore erant: apud Romanos non item; cum Magistratus obtinere non possent, nisi se tabulis abdicarent: licet solum viri ingenui, et rerum Roman. periti ad id muneris eligerentur. Eis quippe erat publica fides commissa, ac praeterea erant novorum Magistratuum, juniorum praesertim, ac minus expertium, veluti doctores. Vide Gravinam de *Ortu*, *et Processu Juris* non multo post initium. Vide etiam Gel. *l. 6. c. 9.*, ubi de Flavio Scriba, qui tabulas posuit, ut Aedilis curulis esse posset.

Scribonius, Mathem. insignis sub Aug. V. Suet. in *Tiberio c. 14.*

Corollarium IV.

Scripta antiquorum Romanorum, qui primis seculis post Romam conditam floruerunt, paucissima supersunt. Sed nihil mirum, cum, teste Livio *lib. 6. Histor.* combusta fuerint a Gallis, an. U. C. 360. cum Bibliothecis, et Tabulariis: adeo ut, ne *Annales* quidem Pontificii post Gallos superfuerint. In antiquis Romanorum Scriptis plura inveniuntur cum diphthongo, quae simplici vocali nunc scribuntur. Invenitur namque *Jous* pro *Jus*; *Joustitia* pro *Justitia*; *Coiravit* pro *Curavit*; *Loumen* pro *Lumen*: *Nouncius* pro *Nuncius*: *Oufens* pro *Ufens*, ut *Oufentina Tribus* pro *Ufentina*: horum autem vocabulorum *u* longum mansit pro Diphthongo.

Corollarium V.

Scriptores Romani. De his T. Livius in *Praef. ad Historias* suas ajebat: *Etsi in tanta Scriptorum turba mea fama in obscuro sit: nobilitate, ac magnitudine eorum, qui nomini officiunt meo, me consoler*. Quibus verbis Livius modestiam suam prodit, et una ostendit, sua aetate inter Romanos praeclaros Scriptores Historicos, et pene quidem innumeros fuisse. Verum paucissimorum ex eis Scripta ad nos pervenerunt, magno reipub. litterariae detrimento deperdita. *Scriptorum*, qui Poetica Opera ediderunt, multitudinem sub Augusto testatur Horatius, dicens:

Populus levis hoc calet uno
Scribendi studio: pueri patresque severi,
Fronte comas vincti, coenant, et carmina dictant.

et alibi *Scribimus indocti, doctique Poemata passim*

Scriptores Historiae Augustae, seu Imperatorum Romanorum, quorum Vitas intactas reliquit Suetonius, 5., aut 6. numerantur, qui sub Dioclet., et Constantino M. vixerunt. Hi sunt Vopiscus, J. Capitolinus, Trebellius Pollio, Aelius Spartianus, Vulcatius Gallicanus, qui parum Criticis probantur. Diligentia tamen eorum in colligendis rebus gestis Imperatorum laudari debet, quantumvis ex his nonnulli minutias, et res parum dignas memoratu, consectati fuerint. Vopiscus ceteris praefertur. Vide *Lampridius* in *L*. De *Scriptura*, vide *Nota* in *N*: *Ortographia* in *O*: *Pronunciatio* in *P*.

DISSERTATIO
de Materia Scriptoria, qua veteres Romani Litterati utebantur, praesertim de Charta, seu Papyro Aegyptia, et de Pergamena, seu Membranacea

S. Hieronymus in *Epist. ad Nicaeam*, Subdiaconum Aquilejae, tradit, ante *Chartae Papyraceae*, et *Membranarum* usum, Cascos, seu antiquos, et rudes Italiae homines in dedolatis e ligno codicillis, aut in arborum corticibus scripsisse, et teste Plinio, in palmarum foliis, ut arbitror, laevigatis. S. Isidorus in *Originibus lib. 6.* addit, in malvarum etiam foliis litteras olim exaratas: quod confirmari potest versu illo de Cinna, mittente *Aratea*, scripta in libello, ex malvis confecto.

Laevis in aridulo malvae descripta libello.

Cultiores autem Itali facti, Roma jam condita, litteras exarabant in cera obductis tabellis, in linteis, ex quibus libri Lintei, et in tabellis eburneis, ex quibus libri Elephantini, de quibus in littera *L* verbo *Libri*; nisi si *Elephantini* dicerentur, quia eburneis operculis, seu tegumentis operti erant. Tandem *Membranis*, seu animalium pellibus expolitis usi sunt in scriptura, postquam Attalus, Pergami rex, Romanorum amicus, magnam copiam *Membranarum*, Pergami sub Eumene rege inventarum, Romam misit. Jam vero sunt, qui arbitrentur, inter Romanos valde communem fuisse *Membranarum* hu-

jusmodi, seu *Chartae Pergamenae* usum in libris suis scribendis, edendisque: adduntque, libros Latinos Romanorum bonae aetatis, quia in *Membranis*, seu pellibus scripti erant, conversos fuisse in Antiphonaria, et libros alios, choro Ecclesiastico, seu cantui inservientes temporibus Caroli M., qui intra seculum 8. Ecclesiae imperabat, et hanc ob rem innumeros Latinos libros Romanorum periisse; quibus deperditis, Barbaries, ut ipsis videtur, altiores radices in Occidente egit. Haec opinio, pace Criticorum ita opinantium, placere, ac probari mihi nequaquam potest, et miror, non paucos ei subscripsisse. Ego tantum a vero abesse arbitror, hac occasione deperditos libros antiquos Romanorum, qui desiderantur, ut putem, eos, qui, tanquam *rari nantes in gurgite vasto* apparent, Caroli M. curis, et summo studio instaurandae Latinitatis, et omnium disciplinarum culturae in suis ditionibus, conservatos deberi. Arbitror etiam, frequentiorum *Chartae Pergamenae*, seu pelliceae usum in scribendis, et describendis libris, Caroli M. aevo, in Occidente coepisse, deficiente Papyro Aegyptia ob parum antea occupatam Saracenorum armis Aegyptum, et interruptum commercium Occiduarum Provinciarum cum Aegypto. Censeo demum, Latina Opera, quae post barbaricas in Rom. Imperium incursiones, et post editas bibliothecarum, et tabulariorum a barbaris strages, remanserant, in *Papyro Aegyptia*, vel simili, scripta fere omnia fuisse; quae Carolus M. litterarum amore accensus, in Membranis, seu *Pergamena charta*, *Papyro Aegyptia* deficiente, ut aetatem ferrent, jussit describi. Moveor ad ita opinandum his rationibus.

Prima: quia ante occupatam a Saracenis Aegyptum, quae sub Romanorum potestate erat, facile, et modico quidem pretio haberi poterat *Aegyptia Charta*, et viliori proculdubio, quam *Pergamena*. Et quamvis nonnulla Exemplaria pro litteratis ditioribus in *Pergamena charta* describerentur; haec pauca erant, et in exiguis *Membranis* edita, ut facilius gestari, et transportari possent, commodiorque esset eorum usus. Ex hisce autem exiguis *Membranis* confici neutiquam poterant libri, choro, seu cantui in templis destinati, quippe qui, et magnis litteris, et una cum notis, cantus varietatem indicantibus, scribi debebant, ut nunc scribuntur, et iccirco hos in magnis *Membranis* exaratos videmus. Quod autem exiguis *Membranis* libri in *Pergamena Charta* descripti constarent, colligitur ex Martiale, *Epigrammatum lib. 14.* de libris quibusdam, seu Exemplaribus, in *Membrana* descriptis mentionem faciente. En nonnulla Martialis Epigrammata.

Livius in membrana.

Pellibus exiguis arctatur Livius ingens,
Quem mea non totum bibliotheca capit.

Virgilius in membrana.

Quam brevis immensum cepit membrana Maronem?
Ipsius vultus prima tabella gerit.

Cicero in membranis.

Si comes ista tibi fuerit membrana, putato
Carpere te longas cum Cicerone vias.

Secunda ratio. Frequentius antiqui Scriptores, qui de libris editis loquuntur, vel *Papyro*, vel *Charta* scriptos tradunt, quin *Pergamenae Chartae* mentionem faciant. Vide *Caecilius* in *C*: *Nepos* in *N*: *Volusius* in *V*. *Chartae* autem nomine, secundum Jurisconsultos, non venit *Pergamena Charta* nisi exprimatur. *Membranarum* quidem non semel mentionem faciunt; at *Membranae* nomine, teste Plinio *lib.* 13. *H. N.*, veniunt etiam tenues tunicae, quae in arborum corticibus sunt, cujusmodi erat *Aegyptia Papyrus*, quae iccirco *Membrana* potest etiam appellari, et intelligi, de ea non semel loquutos Scriptores antiquos, qui de *Membranis* librorum sunt loquuti, cum aliud non exprimunt, quod ad *Pergamenas*, vel pelliceas referatur.

Tertia ratio. Martialis irridet Picentem Poetam, eo quod carmina sua, seu libros carminum Opistographos, seu antica, et postica pagina scriptos edidisset. (Vide *Picens* in *P*). Ex quo intelligitur, libros edi non solitos *Pergamena*, seu pellicea *Membrana*; haec enim bene curata potest, et antica, et postica parte scribi, quin atramentum transmittatur ex una in aliam paginam ejusdem Chartae; quod contingebat in *Charta Aegyptia*, quae nimium subtilis, et bibula erat, ut Lucanus indicat, in *Pharsalia* canens, (nisi si error insit typographicus in Exemplari, quo utor).

Conficitur bibula Memphitis charta Papyro.

Quarta Ratio. Catullus, Horatius, Martialis, et alii testantur, libros editos parum probatos, ut nunc, ad culinas, ad salariorum, seu salsamentariorum tabernas mitti, ut eorum chartis piper, sal, saliti pisces, aromata, alia involvi possent: quod indicat, eos vili charta, seu *Papyro*, non in pellibus expolitis, quae proculdubio multo majori pretio, quam *Papyrus* vendebantur, scriptos fuisse. De suis libris, in *Papyracea Charta* scriptos fuisse Martialis non semel testatur, praesertim de *lib.* 3. suorum Epigram. quem librum ad Faustinum mittit *Epigr.* 2., in quo haec leguntur, quae dicta roborant

Cujus vis fieri, Libelle, munus?
Festina tibi vindicem parare,
Ne nigram cito raptus in culinam,
Cordyllas madida tegas Papyro,
Vel thuris, piperisque sis cucullus.

Quinta ratio. Plinius *lib.* 13. *H. N.* ex Cassio Hemina *Annal. lib.* 4. narrat, libros Numae inventos in agro CN. Terentii, Scribae, non *Membrana pellicea*, sed *Papyro* scriptos fuisse, miraturque cum aliis, post 500. annos incorruptos conservari potuisse. Idem tradit Varro, citatus a S. Aug. *de Civit. Dei lib.* 7. *cap.* 34.: Idem Nonius, verbo *Numa*. Ex quo infert, et probat, ut etiam ex libris ante Homerum, aut ejus aevo in *Papyro* scriptis, *Aegyptiae Papyri*, vel ei similis usum

ante captam ab Alexandro M. Aegyptum obtinuisse, falsosque fuisse, qui affirmabant *Aegyptiae Papyri* usum in scripturis tempore Alexandri M. initium habuisse. Idem Plinius testatur, se vidisse in *Papyro* Tiberii, et Caj Gracchorum manu scripta, quae ante 200. annos exarata fuerant, apud civem suum, et vatem clarissimum Pomponium Secundum, ac Ciceronis, Augusti, Virgiliique Opera passim in *Papyro* scripta videri. Vide Plin. *lib. 13. H. N. c. 12.*, ubi de *Charta glutine praeparata* disserit. Sexta Ratio. Sub Tiberio Caesare fuit in Aegypto sterilitas *Papyri*, et Romae scriptores inopia *Chartae Aegyptiae* laborabant, testaturque Plinius, a Senatu datos arbitros chartae dispensandae, *ne vita in tumultu esset*. Si *pelliceas Membranas* in magna copia habuissent, eisdemque in Scriptis frequenter usi fuissent Romani, non erat, cur de Aegyptia charta adeo solliciti essent; cum Agyptiae loco ea uti facile potuissent, et jam multi uterentur.

Verum, inquies, cui usui erant *Membranae*, seu *Pergamenae Chartae*, quas proculdubio in magna copia rex Attalus, Romanorum amicus, Romam miserat? cui bono aliae, quae harum instar, Romani, ut est verisimile, frabricarunt? Hisce Quaesitis facili negotio satisfiet, si dixero, pluribus usibus inservire potuisse, ut nunc inserviunt pelles istiusmodi, bene curatae, quin scriptioni adhiberentur. Inserviebant quidem, ut dictum est, describendis nonnullis Exemplaribus, quin frequens esset earum usus in libris edendis. Inserviisse etiam arbitror ad primam scriptionem, ut antea obductae cera (a) tabellae, quia multa deleri in prima scriptione solent, et una deleta scriptura in *Membrana*, potest in ejus erasae locum alia succedere, quod fieri nequit, si in subtili charta, qualis erat *Papyrus Aegyptia* scribatur. Hujus usus meminit Horat. scribens.

Membranis intus positis, delere licebit,
Quod non edideris

Inserviebant arctandis libris in *Papyro* scriptis, et ad librorum tegumenta, seu opercula: quod colligi potest ex Mart. *Epigram.* supra adducto de Livii libris: ex alio item ejusdem libri, in quo de Homeri Operibus haec leguntur:

Ilias, et Priami regnis inimicus Ulisses,
Multiplici pariter condita pelle latent.

Tandem ex illo ejusdem Mart. *lib. 1.* de suis libris loquentis

Hos eme, quos arctat brevis Membrana tabella:
Scrinia da magnis: me manus una capit.

(a) *Quintil.* lib. 10. Cap. 3. *probat pro prima scriptione cera obductas tabellas, nisi si visus sit infirmior: nam tunc consulit,* Membranas *adhiberi: nam cera Africana, qua utebantur, candore suo visum offendebat.*

Inserviebant etiam ad nomina Auctorum, a tergo Operum scribi solita, notanda cum Operum titulis, ac ad Indices, seu Syllabos librorum scribendos: quod liquido apparet ex *Epist. 4. lib. 4.* Cic. ad Atticum, qua Atticum orat, ut ad se mittat librariolos suos cum Membranula, in qua *Syllabi*, seu *Indices Librorum* conficerentur. Haec indicant: primum, Ciceronem *Membranas Pelliceas*, seu *Pergamenas* apud se non habuisse: quibus non caruisset, si illis in scribendis, vel describendis libris suis, vel alienis, usus fuisset, vel illis uti librarios suos voluisset. Deinde hoc ostenditur usus alter harum *Membranarum*: titulis scilicet eas, et Syllabis Librorum, qui in bibliothecis erant, scribendis adhibitas fuisse. In praefata *Epistola* legitur, Ciceronem demandasse Tyrannioni, Liberto erudito, curam ordinandi bibliothecam suam, et requisivisse Attici librarios ad libros conglutinandos. Si Cicero in bibliotheca sua multos libros in *Membranis* magnis scriptos habuisset; hi libri volumina magna, seu *Membranae* in rotundum convolutae fuissent, ut nunc *Pergamenae* chartae antiquae, quas in tabulariis videmus. Sic convolutae *Membranae* illae gluten non admittunt, sed seorsim unaquaeque seponitur cum solo titulo, seu adnotatione eorum, quae in eis continentur. Non inficias ierim, nonnulla brevia scripta, Epistolas etiam nonnullas, in *Membranis* Romanos exarasse. Illud tamen animadversione dignum censeo: ab Historicis mentionem fieri librorum Linteorum, et Elephantinorum, in quibus scripta erant Acta publica in fano Junonis Monetae, in Aerario, et in bibliotheca Ulpia custodita, quin librorum *Membranaceorum* ab eis mentio fiat. Sed de his hactenus.

Praeter communem, et vilem chartam, qua frequentius utebantur Romani Scriptores, erat *Charta Corneliana*, a Cornelio Gallo, Aegypti Praefecto, sic dicta, cujus mentionem Plinium non fecisse, qui tot *Chartarum* species nominat, mihi mirum est. Hanc *Chartam*, quia forsitan melius, quam communis praeparata erat, majoris pretii fuisse arbitror, ut etiam *Chartam Hieraticam*, in qua res sacrae scribebantur. Verum haec, quae antea ceteris potior erat, postea tertium obtinuit locum post *Chartam Augustam*, qua utebatur Augustus Caesar, et post *Chartam Liviam*, sic dictam, quia Livia ea utebatur. Hae *Chartae*, ut verisimile est, *Imperatoriae* dicebantur, ac valde pretiosae erant, ut nunc *Charta*, quae vulgo *Imperialis* appellatur. Claudius Caesar vitia *Chartae Papyraceae*, quae ob nimiam subtilitatem atramentum transmitti permittebat (quod litterarum perspicuitati proculdubio nocebat, ut nunc, cum *Charta* bibula est), emendavit, crassiorem *Chartam Papyraceam* fieri praecipiens, et haec *Charta*, *Claudia* appellabatur: quae optima erat, et scripturae magis idonea. De variis *Chartae* generibus: de nominibus, et de ratione eam praeparandi, qua Romani utebantur, ac de glutine adhibito, vide Plin. *l. 13, c. 11, 12, et 13.* *Chartae Aegyptiae* usus Cassiodori aevo adhuc obtinebat, qui usus post occupatam a Saracenis Aegyptum

fuit, in Occidente, in *Pergamenam Chartam*, seu in pelliceas *Membranas* bene curatas commutatus, donec, paullo ante inventam Typographiam, apud Venetos *Papyrus* ex linteis contritis, aqua dilutis, et postea siccatis, ac praeparatis, qualis est ea, qua nunc utimur, inventa fuit, magno cum reipublicae, et rei scriptoriae praesertim bono. Hac enim charta inventa, nec *Aegyptia Papyro*, nec *Membranis* indigemus.

Calami, quibus utebantur Romani veteres Scriptores, ex Aegypto Romam afferebantur, ut indicat Martialis in *Epigram.* de Calamorum fasciculis. Atramentum scriptorium erat liquor similis nostro, licet nonnulla minio, et coloribus aliis, etiam inauratis, scriberentur; constatque in Oriente, medii aevi Imperatores minio subscriptiones suas exarasse. Scrinia habebant Romani, in quibus secretiora Scripta asservabantur, et materia scriptoria, theca scilicet calamaria cum atramento, et calamis una cum charta, scriptioni idonea in illis continebatur: quod Horatius *Epist. 1. lib. 2.* videtur indicare, dicens:

Ipse ego, qui nullos me affirmo scribere versus,
Invenior Parthis mendacior, et prius, orto
Sole, vigil calamum, et chartas, et scrinia posco.

Haec lucubravi, quin Hugonem, Jesuitam Belgam, aliosve, qui erudite de materia scriptoria *Commentarios* ediderunt, ad manum habuerim, et ignoro, an a me asserta circa *Chartae* usum in antiquis Romanis scripturis, eorum opinioni adversentur. At nos in nullius verba super hujusmodi rebus juravimus: et cum judicium nostrum in his, et aliis promimus, suum legentibus integrum relinquimus. Jam vero in hac, et aliis Dissertationibus, Dialectica methodo fere usi sumus, quia hac melius, quam rhetoricando, res ad vivum resecantur, et quia veritas, prae omni verborum fuco oratorio, simplicem ornatum amat, quo pulchrior, et gratior nativo suo colore omnibus solido judicio, et ingenio praeditis, appareat.

Scropha (Tremellius), vir Praetorius, Varronis aequalis. Eum Varro loquentem inducit de Familiae suae cognomine *lib. 2. c. 4. de re rustica*.

SE

Secundus, haereticus, Valentini discip., et ejus errorum propagator sub Antonino Pio, et S. Hygino, Rom. Pont. circa an. Christi 150. Christum habuisse coeleste corpus docebat, et nihil ex B. Virgine sumpsisse affirmabat. Ab eo *Secundiani* haeretici, ejus insaniae sectatores.

Secundus (Pomponius), Vir Consularis, Triumphalis sub Claudio, teste Tacito, devictis Cattis in Germania, et Poeta Tragicus, cujus *Vitam* scripsit Plin. Secundus (forsitan ejus consanguineus), ut ipse testatur *l. 14. Hist. N.* Citatur a Quintil. *l. 8., et 10.* cum laude eruditionis, et nitoris, ac a Plin. *l. 7.* De eodem Tacitus *l. 5. Ann.* ait, Pomponium *Secundum* multa morum elegantia, et ingenio illustrem, Tiberio su-

perstitem fuisse, adversa patienter tolerando. In *Dial. de Orat.* laudatur, ut insignis fama, et doctrina, et secundum Cl. Maffejum patria Veronensis erat. Ex ejus *Poematibus* nihil superest integrum. De hoc tanquam de insigni Critico Poeticorum Operum loqui videtur Val. Mart. *lib. 5. Epig.* ad Severum. Erat Senecae amicus. Ad populum provocabat, cum amicus aliquis in *Tragoediis* suis aliquid notabat. Quint. narrat, inter Senecam, et eum nonnulla ad Grammaticam spectantia fuisse discussa.

Secundus (Jul.), Orator, Histor., et alter ex Interlocutoribus in *Dial. de Oratt.*, ubi multum laudatur. Scripsit *Jul. Asiatici Vitam*, et ejus elegantia commendatur a Quintil. ejus aequali, et amico *lib. 10. Orat. Institut.* Erat nepos Jul. Flori, cujus dictum ad Secundum, nimis in componendo diligentem, narrat Quintil. Ejus *OO.* desid.

Sedigitius (Volcatius), dictus *Sedigitius*, teste Plin. *H. N. l. 11. c. 43*, eo quod 6. digitos in manu haberet. Fuit Poeta, et Criticus Poetarum Comicorum. Sui judicii adeo aestimator, ut dicat, parum scire, qui aliter, atque ipse, de Comicis judicet. Utrum autem ille recte, an secus judicet? doctis Criticis judicandum relinquo. Judicium, quod ipse multis versibus expressit, summatim expono. Caecilio principatum tribuit. 2. locum Plauto, quin de Plautio meminerit. 3 Naevio. 4 Licinio. 5 Attilio. 6 Terentio. 7 Turpilio. 8 Trabeae 9 Lucio. 10, antiquitatis caussa, Ennio. Non paucos ex Comicis Latinis omisit, qui forsitan non postremum locum merentur. Optandum esset, de Tragicis item judicasset. Forsitan hoc praestitit. Verum ejus Judicium, ut alia ejusdem Opera, desiderantur.

Sejanus (Aelius), Praef. pr. sub Tiberio, et ei valde acceptus, licet postea ejus jussu fuerit occisus. Fuit ambitiosus, pseudo-politicus, et proborum civium apud Tiberium, etiam Drusi, et Germanici, filiorum Tiberii, calumniator. De ejus Codicillis, Accusationibus, et debita delictis suis poena, qua an. Christi 31. Tiberii 18., carnificis manu multatus cum tota stirpe sua interiit, vide Tac. in *Ann.* De eo Phaedrus in *Fabulis*, et Juvenalis in *Satyris*. Dion de eo narrat; Tiberio, calvitio deformi, vel ut adularetur, vel ut eum irrideret in spectaculo quodam, quod a mane ad vesperam dedit, omnia per calvos agi curasse: ac puerorum 5000, capite deraso, exeuntibus e theatro, praeluxisse; ex quo postea omnes Calvi *Sejani* dicti fuerunt. Ignoro, fuerit ne hic oriundus ex *Sejano* illo, cujus equus in proverbium abiit inter Romanos, de homine calamitoso: *Hic habet Equum Sejanum:* cui simile illud: *Hic habet aurum Tolosanum*, eo quod ii, qui Equum Sejani habuerunt, et exercitus Q. Caepionis, qui aurum Tolosanum rapuit, multis infortuniis obnoxii fuerunt.

Seleucus, Gramm. Tiberio Imp. familiaris; deinde a contubernio ejus ametus, et demum occisus. Vide Suet. in *Tiberio c. 61.*

Selius (P), vir doctus, laudatus a Cic. in *Lucullo*, ut etiam *Selius* (C), forsitan frater, aut cognatus Publii.

Sempronia, foemina virilis audaciae, Graece, et Latine docta, ingenii non absurdi; nam poterat versus facere, jocos movere, sermone, vel modesto, vel molli, vel procaci: multae facetiae: multusque lepos inerat. Ita Sallustius in *Catilinae conjuratione*.

Sempronius (C), antiquus scriptor Romanus, qui tradidit, Romam, 800. an. ante Romulum, conditam fuisse.

Corollarium VII.

Senatus Rom., qui, ut etiam Forum, ingeniorum theatrum merito dicebatur, a Romulo institutus fuit. Senatum appellavit, quia Seniores ad eum conveniebant, ut prudentia, et experientia sua Romanas res in commune consulerent. In Senatu decreta, *Senatusconsulta* dicebantur, notata duabus litteris *S. C.* Horum multa in *Corpore Juris* permanent: ast multo plura perierunt. De primaevo *Senatu*, seu de antiquis Senatoribus, sive Patriciis, et eorum proximis successoribus cecinit Propertius poetice magis, quam historice:

Curia praetexto, quae nunc nitet alta Senatu,
Pellitos habuit rustica corda patres.
Buccina cogebat priscos ad verba Quirites:
Centum illi in prato saepe Senatus erat.

De aucto Senatorum numero processu temporis: de relationibus negotiorum: de *Senatus* principe, qui primus sententiam dicebat; de modo sententias proferendi in *Senatu*: de Intercessionibus Tribunorum: de aetate necessaria ad munus Senatorium, quae valde dubia est, vide Historicos rerum Roman. Quinam Pedanei, sive Pedarii Senatores dicerentur? Vide Gel. *l. 3. c. 18.*, ubi affert Laberii dictum,

Caput sine lingua pedaria sententia est.

In *Vita Aureliani* apud Vopiscum inveniuntur Exemplaria Senatusconsultorum, Relationum, et Sententiarum. Sunt etiam in *Epistt. Ciceronis*. Florente Repub. Census annuus Senatorum erant 800. H. S, seu Scutorum 20. millia: qui tamen, Augusto imperante, auctus fuit ad 30. Scutorum millia. Qui hoc sensu carebant, Senatores esse non poterant. Dion tradit, extra Italiae limites, Augusto sic decernente, *Senatores* exire non potuisse, nisi si ad id facultatem ab eo impetrarent, vel ipse profectionem injunxisset. Senatores 100. a Romulo electi, *majorum gentium*, et *Patricii* appellabantur. 100 vero, quos addidit Tarquinius Priscus *minorum gentium Senatores* sunt appellati, et *PP. Conscripti*. In Calceis litteram *C*, notam centenarii numeri inscriptam habebant, quamvis plures centum postea fuerint. *Senatus* cogebatur in templo Martis, Apollinis, Concordiae, in Circo Flaminio, et alibi, Ciceronis aevo.

Seneca (M. Annaeus), Hisp. Corduben. R. Eques, L. Annaei Senecae, Melae, ac Novati pater. Fuit insignis Criticus, Orator, et vir memoriae ad miraculum tenacis. Reliquit *Libb. Controv. Declamationum*, et *Suasoriarum*: in quibus refert sentt., et dicta Declamatorum sui temporis, quorum memoria ad nos vix pervenisset, si Se-

neca eam Scriptis suis ad posteros non transmisisset. In praefatis Libris de merito, doctrina, et eloquentia, ut etiam de moribus nonnullorum Declamatorum judicium suum aperit filiis, ad eloquentiam adspirantibus, ut bona illorum imitari studeant, vitia caveant. In editione, qua utor, a Dionysio Gothofredo curata, praedicti Libri perperam *L. Annaeo Senecae* tribuuntur, cum M. Patris sint: forsitan errore typographorum, vel correctorum. Ex Libris istis, qui alio ordine ab aliis editi sunt: nonnulli *Proaemio* carent, quod Libris omnibus videtur *Seneca* praemisisse. In multis locis magnae lacunae inveniuntur: adeout excerpta ex ejus Libris magis, quam Libri ipsi ad nos pervenerint. Valde jam senex hos Libros scripsit in gratiam filiorum. Vivebat M. Seneca Cordubae, quam *Coloniam Patriciam* vocabant, tempore belli civilis inter Caesarem, et Pompejum, ut ipse testatur: potuissetque adolescens Ciceronem audire, si Romae fuisset. Postea Romam se contulit, et illic praecipuos Oratores audivit, ut etiam multos illius aetatis bonos, pravosque Declamatores. Videtur vixisse usque ad Tiberii aetatem, quo tempore coepit Eloquentia inclinare, et retro ferri, penitus amissa dicendi in Senatu, et apud populum libertate. Edidit *Declamationes*, a se lucubratas, quarum meminit Quintil. *lib. 9. c. 2.*, quae omnes desid.

Seneca (L. Annaeus), Marci filius, celebris Phil. Stoicus, Hispanus Orator, Poeta, Criticus, sedulus Naturae investigator, et Neronis magister, ac educator parum felix: quippe, qui alumni sui jussu occisus fuit an. Christi 65. Plura edidit, quae sunt notissima, quibus non morum tantum Philosophiam, sed et Naturalem illustravit: adeo ut difficile sit, eo praestantiorem Phil. inter Graecos, et Rom. invenire. Sugillatur a Gel. tanquam non bene sentiens de Ciceronis stylo, et citat ejus *Epist. lib. 22.* ad Lucilium. Verum praeterquam quod talis *Epist.* in dicto *lib.* non invenitur, ex aliis *Epistt.* constat, eum recte de Ciceronis stylo, et eloquentia sensisse. Diversus quidem est *Senecae* stylus a Ciceroniano. Verum poterat de Ciceronis stylo recte sentire, quin ejus scribendi rationem sectaretur, sese accommodans temporis sui stylo, lectoribus, et auditoribus gratiori, qua in re Ciceronis praeceptis obsequutus fuit. Ait enim Cic. in *Oratore* =. Semper Oratorum eloquentiae moderatrix fuit, auditorum prudentia. Omnes enim, qui probari volunt, voluntatem eorum, qui audiunt, intuentur, ad eamque, et ad eorum arbitrium, et nutum totos se fingunt, et accommodant =. Quod si Ciceronis stylum per omnia non probasset, virorum doctissimorum, Ciceronis aequalium, exemplo se tueri potuisset. Multa a *L. Sen.* lucubrata desiderantur: Nonnulla integra ad nos non pervenerunt. Tac. *l. 13. Ann.* initio testatur, *Orationem*, in funere, et Apotheosi Claudii, a Nerone habitam, compositam a *Seneca* magistro, multum cultus praetulisse, addens: *ut fuit viro illi* (Senecae) *ingenium amoenum, et temporis illius auribus accommodatum*. Haec *Or.* desideratur. Agrippinae, secun-

dae Claudii uxoris, precibus fuit *Seneca* e Corsica, ubi exsulabat, Romam revocatus post 8. exsilii annos, tranquille exactos in levioribus, et philosophicis studiis. Ejusdem Agrippinae opera, fuit Neronis magister, a Claudio designatus, Praetor factus, et tandem Consul cum Trebellio. Non modo Oratoriam, et utramque Philosophiam illustravit ingenio suo *Seneca*, sed etiam Poesim, praesertim Tragicam. Nec antiquae *Tragoediae* Latinae hodiedum aliae supersunt praeter eas, quas *Seneca* lucubravit, nisi si alterius Senecae illae sint, ut censebat Sidonius Apollinaris, in *Epist. ad Felicem*. Sunt etiam, qui putent, recentioris Poetae ignoti esse: quod de *Octavia* saltem verum est. Nam de nece Octaviae, Neronis uxoris, in ea agitur, quae post mortem *Senecae* accidit. In Corsica exsul plura lucubravit. Inter alia *Consolatoriam Epist.* ad matrem suam, quae integra legitur: *Consolatorium* item ad Polybium amicum in Claudii aula magnae auctoritatis, quae *Epistola* usque ad caput 21. desideratur. *Consolatoria* item ad Martiam, Cremutii Cordi filiam, in Corsica forsitan scripta fuit. In ultimo capite *Consolatoriae* ad Matrem Albinam, sive Helviam indicatur, illic aliis solutum curis, philosophicis meditationibus animum suum refecisse: et forsitan, quae de *QQ. Naturalibus* legimus, ibidem litteris consignavit, vel meditatus saltem fuit, ac Opus delineavit. Desideratur *Dial. de superstitione*, a Quintil. memoratus, ut etiam a S. Aug. *l. 6. de Civit. Dei*, et a Tertul. in *Apologetico*.

Quintil. *lib. 10.* addit, *Senecam* tractasse omnium fere studiorum rationem: nam, et *Orationes* ejus, et *Epistt.*, et *Poemata*, et *Dialogi* afferuntur. Poterat Quintilianus *Tractatus* alios, ad Philosophiam spectantes addere, quibus *Seneca* Romanam litteraturam illustravit. A Plinio in *H. N.* et a Servio citantur *Descriptiones regionum*, Indiae praesertim, et Aegypti, a *Sen.* editae, quae desiderantur. *Liber 2. de Clementia* ad Neronem mutilus est, et fortasse 3 integer deest, nam videtur ternos libros de *Clementia* scripsisse. *Libri de Ira*, ad Novatum fratrem, mutili creduntur a nonnullis, quia *Definitiones Irae* citatae a Lactantio in *lib. de Ira*, non inveniuntur in Senecae *Libris de Ira*, qui exstant. *Liber de Vita beata* ad Gallionem est in fine mancus. Lactantius in *Libris Divin. Inst.* non semel citat *Lib. Exhortationum Senecae*, qui non exstat, uti neque *Libri Epistt. Senecae ad Novatum*, cujus *lib. 10.* citatur a Prisciano *lib. 1. de Ponder.*, *et mensuris*. Neque comparet Volumen *de motu terrarum*, quod valde juvenis composuit: de quo in *QQ. NN. l. 6. c. 4.* Inter desiderata numerantur etiam *Opus de matrimonio*, citatum a S. Hieron. contra Vigilantium scribente: *Liber de immatura morte*, citatus a Lact. *lib. 3. Divin. Instit: Liber de forma Mundi* citatus a Boetio *l. 2. Geom.* ac a Cassiodoro. *Senecae Historiae*, sive *Compendium Histor.* citatur a Lact. *l. 7. c. 15.*, et alii addunt *Moralium libros*, in quib. fusius de omnib. ad Ethicam spectantibus disseruerat, quorum mentionem fieri dicunt *Epist. 109.*, et sequentibus ad Lucilium. Verum in dictis *Epist.* nihil

tale invenitur. Nonnulllis visum, eum, S. Paulli opera, Christianum factum. Id credebatur S. Hieron: aetate, ob commercium Epistolare, quod inter S. Paullum, et *Senecam* fuisse constabat. Verum potuit commercium illud esse, quin *Seneca* Christianus esset. S. Paullus omnia omnibus fieri cupiebat, ut omnes Christo lucraretur. Inter eos, qui de domo Narcissi, (sive, ut puto, Claudii Caes., in qua dominabatur Narcissus ejus Libertus) salutabantur a S. Paullo in *Epistola ad Rom.* numerant nonnulli *Senecam*, qui, ob mores a Christianis non multum discrepantes, amicitiam forsitan cum S. Paullo, et aliis Christi sectatoribus contraxerat. Illud nihilominus Critici hodierni arbitrantur, *Epistolas*, quae tanquam S. Paulli, et *Senecae* circumferuntur, subdititias esse, quin negent tempore S. Hieronymi legitimas aliquas exstitisse. Si Christianus fuit *Seneca*, Spiritu prophetico dici posset novi orbis inventionem vaticinatus in altera ex *Tragoediis* suis. In *Medea* enim haec leguntur in Choro Actus secundi:

. . . . Venient annis
Secula seris, quibus Oceanus
Vincula rerum laxet, et ingens
Pateat tellus, Typhisque novos
Detegat orbes: nec sit terris ultima Thule.

Cum adolescens esset, et Philosophiae navaret operam, in victu, Pythagoreorum vitam agebat, a carnibus abstinendo. Non quod Pythagoreorum dogma de transmigratione animorum crederet, et idcirco a carnium esu abstineret, sed amore temperantiae, et ut remotior esset ab omni in homines saevitia. Occidere enim, et ad esum lanïare animantia etiam bruta, crudelitatis speciem prae se ferre reputabat. Postea hoc vitae genus patris suasu missum fecit, ut ipse narrat in *Epist.* ad Lucil. Quae *Seneca*, secundum Stoicorum doctrinam, de Sapiente tradit, irridentur a Plut. in *Tract. contra Stoicos*, quos etiam multo sale defricat Horat. in *Satyris*, se Epicuri de grege porcum appellans. Quintil. *l. 10. Instit.* laudat, et carpit *Senecae* stylum. Arenam sine calce eum appellabat Caligula Imperator, qui invidia in Senecam ob suam eloquentiam flagrabat, et occidere eum volebat. *Senecae* Opera illustrarunt Mutetus, J. Lipsius, Andreas Schottus, et alii. De divitiis, luxu, et ambitu Senecae, deque ejus vivendi ratione contra sua praecepta philosophica, vide Dionem Cassium *lib. 6.* in *Nerone*. Sed vide etiam Tacitum *lib. 14. Ann.* ubi de *Senecae* ad Neronem alloquio, in quo de suis divitiis, quae ad 7. milliones, et alterius dimidium dicuntur ascendisse. Ejus liberalitas laudatur a Juvenali *Sat. 5.*, et a Mart. in *Epig.* Vide Sen. ipsum *de Vita beata*, ubi, quae Philosophis objiciuntur solvit, a cap. 17. per plura, quae sequuntur capita, Apologiam pro se, et pro aliis Philosophis continentia.

1. *Senecio*, Rhetor, dictus *Grandio*, eo quod verborum granditatem; et

omnia grandia, ut servos, ancillas, equos, canes, calceos habere studeret. De eo plura satis ridicula narrat M. Sen. in *Suasoriis*.

Senianus, (ab aliquibus *Saevianus* dictus), Rhetor stultitiae notatus a Sen. *Controv.* 2. *lib.* mihi 5. *Controversiarum*.

Sentia (Amesia), eloquens foemina, quae cum Praetoris sententia damnata esset; caussam pro se, maximo populi concursu, egit, ac ita orando se defendit, ut absoluta evaserit. Ita Val. Max. *l.* 8. *c.* 3. Ejus *Or.* desid.

Sentius, Augur Rom., et Poeta Epigramm. imitator Catulli, et Licinii Calvi in *Epigr.* De eo dici potest, quod de alio Horatius:

Nil praeter Calvum, et doctum cantare Catullum.

Sepatius, Orator, victus a C. Actio Oratore in *Divinat.* de accusando Copponio, reo veneficii. Ita in Fragm. *Tabularum diurn. Urbis*.

Septimius (Titius), Poeta Lyricus, et *Tragoediarum* scriptor sub Aug. Hujus Scripta perierant jam, vel latebant, tempore veteris Illustratoris Horatii.

Septimius (Pub.), scripsit de Architectura ante Vitruvium. Ejus *OO.* desid. Forsitan hic fuit P. Septimius, cui dicavit Varro 3. *priores libros de lingua Latina*, qui desid.

Septimius (Q), Rom., cui tribuitur versio in Latinum Dyctis Cretensis *de bello Trojano*. Ignoro, utrum is sit

Septimius, eques Rom., et Poeta Augusto carus, ad quem est Horatii *Ode* 4. *lib.* 2.

Septitianus. De hujus *Libris* meminit Mart. *lib.* 11. *Epig.* in fine, non indicato argumento, de quo scripti erant.

Sequester (Vibius), scripsit Annales, quorum fragmenta solum exstant, in quibus Sallustius *Auctor certissimus* appellatur. Ex quo intelligitur, post Sallustium, vel Sallustii aetate, *Sequestrem* floruisse.

Serapion, qui scripsit, stylo adeo obscuro, ut testetur Cicero in *Epist.* ad Atticum, se millesimam partem *libri Serapionis* vix intelligere potuisse. Non dicit, quo ille sermone scripserit.

Serenus (A. Septimius), Poeta, diversus a *Sereno* Sammonico, de quo antea. *Phaliscus* dictus, non a patria, sed a genere metri, quo utebatur. Supersunt nonnulla ejus Carmina, citata a Servio *in Virg.*, a Terentiano, Mauro, et aliis antiquis Grammat. Ei tribuitur ab Scaligero *Moretum*, quod inter *Virg. Catalecta* legitur. Vixisse dicitur Vespasianorum aetate. Alii posteriorem eum faciunt, et an. Christi 240. vixisse tradunt.

Sergius (Flav.), *Artem Scholae* tantum composuit. Ita Quintil. *l.* 2. *Instit. Orat.*, qui testatur, usum fuisse vocibus *Ens*, et *Essentia*. Vide Quintil. *libb.* 2., 3., 8. Ante Sergium his vocabulis usi fuerunt Cicero, et Caesar, ut de *Vita*, et *Morte Latinae linguae* disserens, ostendit Censorinus.

Sergius (M), Oratoria, et Militari virtute clarus. Is cum a Sacerdotio arceretur, ut debilis; de rebus a se in bello strenue, et vi-

riliter gestis *Orationem* ad Pop. habuit, quae desid. Vide Plin. *lib. 7. H. N.*

Sertorius (Q), Nursinus patria, eloquentia, et bellica arte notissimus. In Rom. Remp. rebellavit paullo post bellum civile inter Marium, et Syllam. Hispanorum exercitu conflato, magnas clades Romanis intulit. Contra eum missi fuerunt cum exercitu Pompejus, et Metellus. Occisus fuit proditorie, post variam in praeliis fortunam, a Perpenna, quem ipse testamento Haeredem, et Ducem suarum partium relinquebat. Dicitur Academiam Oscensem in Celtiberia fundasse, in qua Juventus Hispana disciplinis erudiretur. Alii dicunt, in alia *Osca*, *Huescar* nunc dicta, Academiam Sertorianam fundatam fuisse. Vide Marianam *Hist. Hisp. l. 3.* a *cap. 13.*: ubi nonnulla ejus Apophthegmata, et ejusdem cum Cerva, quam cicuram habebat, ficta colloquia, a Plutarcho in *Vita Sertorii* narrata, breviter descripta traduntur.

Corollarium VIII.

Servi, non pauci, ex variis nationibus Romae fuerunt valde litterati, ut in decursu hujus *Syllabi* traditur. Gellius *lib. 2. c. 18. NN. Attic.* mentionem facit servilis conditionis hominum nonnullorum, Graecorum praesertim, in Philosophia insignium. Imperator Antoninus legem tulit in favorem *Servorum* contra dominorum saevitiam, cui legi occasionem dedit J. Sabinus in servos suos immitis. Vide *Instit. Justin. lib. 1. Tit. 8.* Vide *Liberti* in *L.*

Servilianus (Fab. Max.), Pont. Max, et Jurisconsultus egregius, qui de *Jure Pontificio* scripsit. Citatur ejus *liber* 12. a Macrobio in *Saturn. lib. 1. Serviliani* hujus Scripta desid.

Servilius (Democrates), tanquam Medicus citatur a Plinio *lib. 25. Hist. Naturalis*.

Servilius, Augur, cujus auctoritatem, teste Festo, secutus est Atejus Capito de Lamella aerea, stellae forma figurata, in locis inauguratis figenda.

Servilius, Orator, qui summis honoribus, et insigni eloquentia Romae claruit. Fuit etiam Historicus. Ait quippe de eo Tacitus, tradendis rebus Romanis celebrem fuisse. Obiit sub Nerone. V. Tac. *lib. 14. Ann.* Ejus *Orationes*, *et Hist.* interciderunt.

Servius, Servii Sulpicii, ut puto, filius, cujus probitas, et doctrina commendatur a Cic. *lib. 4. Epist. famil.* in *Epist.* ad Sulpicium.

Servius (Claudius), Rom. Eques, et Grammat. insignis. V *Lanuvinus* in *L*. De *Servio* quodam, plurimorum Accusatore in Judicio, loquitur Hor. *Sat. 1. lib. 2.* De ejus libris, Paeto relictis, vide *Paetus* in *P.*

Servius, Poeta ab Hor. laudatus *lib. 1. Satyra 10.* Forsitan de hoc meminit Gellius *lib. 17. c. ult.*, *Servium* quemdam citans.

Servius, Papyrii Paeti frater. Eum litteratissimum appellat Cic. in *Epist.* ad Paetum.

Servius (Honoratus Maurus), Gram. sub Constantino M., et Constantio, scripsit *Commentt. in Virg.*, et alia. Dicitur S. Hieronymi magister fuisse in litteris Humanis; quod verum non est, si, ut nonnulli tradunt, sub Theodosio floruit. Hic alter ex Interlocutoribus in Macrobii *Saturn.* videtur fuisse: qui a Macrobio sub Avieni persona laudatur, ut doctissimus Grammaticae Praeceptor, et ut litteratorum omnium Maximus. Ejus solum habemus *Commentt. in Virgilium*, valde eruditos.

Corollarium IX.

Sestertium neutrius, et *Sestertius* masculini generis, Romanae pecuniae vocabula erant, sed valde diversae significationis in pecuniae valore designando. *Sestertium* enim neutro genere, valebat mille *Sestertios*. Unde *Centies Sestertium*, seu *Sestertiorum*, neutro genere, erant decies centena millia *Sestertiorum* masculino genere. *Sestertium* signabatur per *H. S.* *Sestertius* erat nummus ita dictus, quasi *Semistertius*, seu 4. pars Denarii Rom., et duos asses cum semisse valebat, seu duas libras aeris, et dimidiam alterius. *Sestertium* autem, cum subintelligitur pondo, singula millia nummorum *Sestertiorum* valet. Sic *100 Sestertii* sunt Floreni 7 cum dimidio. *100 Sestertia* sunt 7500 Floreni. Item *1000 Sestertii* faciunt summam Florenorum 55. *1000 Sestertia* Florenos faciunt 75 millia. Cum adverbio numerantes utimur, singula *Sestertia* centuplicantur, et sic *decies Sestertium* idem valet, quod *1000 Sestertia*, sive decies centies millies nummorum *Sestertiorum*. *Quadragies Sestertium* sunt *quater mille Sestertia*; seu centies mille nummi Philippaei, sive Scuta.

Severianus (Jul.), Rhaetor praeclarus sub Hadriano Imperat., inter antiquos Rhet. Latinos memoratus a Francisco Pithaeo.

Severus (Septimius), Afer, Rom. Imp. in omni fere genere disciplinarum versatus. An. 15. aetatis publice declamabat. Scripsit *Hist. Vitae* suae, et rerum suarum, quae desid. Orientis provincias, devictis Parthis, Arabibus, et aliis, Rom. Imperio restituit. Agnoscens se ob morbum articularem a militibus contemni, lectica ad tumultuantes vectus, supplicio ultimo affecit capita conjuratorum dicens: *Forsitan nesciebatis, caput imperare: non pedes?* Obiit Imperii an. 18. ex morbo dicto an. Christi 211. Uxorem habuit Juliam, parum probatae famae, quae tamen multum litteratos fovebat. Hujus jussu Philostratus *Vitam Apollonii Thianaei* scripsit. Filio suo Antonino Caracallae nuptui dedit filiam Plautiani, Urbis Praefecti, qui tantum dotis, ei attribuit, quantum 50. reginis satis fuisset, si verum narrat Spartianus. Laudatur *Severus*, et citatur a Mart., et ab Statio, qui ad eum *Carmen Lyricum in 4. Sylvarum libro* scripsit, cum adhuc privatus esset, ac extra Urbem tranquillam vitam ageret.

Severus (Alex.), R. Imp. Mammaeae Christianae fil. cujus suasu dicitur Christum in larario suo habuisse, et coluisse. In ore semper habebat: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris:* quod proculdubio a

Christiana matre didicerat. Christianis favisset, nisi ejus lateri adhaesisset Praef. pr., Christianis valde infensus. Occisus fuit cum matre in tentorio, an. aetatis 29: Christi 235 prope Moguntiam, perfidia Maximini, militibus tumultuantibus, cum imperasset an. 13. Fuit milit. arte, et multis Victoriis clarus. Vide *Ulpianus* in *U.* In hujus Imperat. numismatibus inscriptum legitur *Severus Alexander*: non *Alexander Severus*. Ita Eschinardius, Jesuita Italus in *Agro suo Romano*, ubi de *Coemeteriis* §. 38: ex quo intelligitur, ejus nomen *Alexandrum*, et ejus praenomen *Severum* fuisse.

Severus (Aquilius), Poeta Hisp. laudatus a S. Hier. de *Script. Eccles.*, scripsit, tam prosa, quam versibus, Volumen, totius suae vitae statum continens, quod desid. Obiit sub Valentiniano. Ita S. Hieron.

Severus, vir doctus, Mart. amicus, ad quem Mart., misit sua *Epigr.* Vide *lib. 5. Epigr.* in fine.

Severus (Cassius), Rhetor, et Poeta, summus aestimator P. Syri Mimi, cujus sententias declamando saepe usurpabat, teste Sen. in *Controv.* De eo multa in *Praef.* ad *lib. 3. Contr.*, ubi notatur, quod non ita bonus Declamator esset, quam Orator, ejusdemque eloquentissima, et satis longa hac super re responsio illic affertur. Tac. narrat, Augustum Caes. commotum fuisse ejus petulantia, qua viros, foeminasque illustres procacibus Scriptis diffamabat: quamobrem ejus *Satyrica Scripta* S. C. fuerunt flammis mancipata: quae tamen postea C. Caligula quaeri, et lectitari permisit. Vide *Cordus* in *C.* Quintil. de eo cum laude scribit; licet nonnulla ejusdem carpat *Lib. 10. Orandi Validus* dicitur a Tac. *l. 4. Ann.* In eum est Hor. *Ode in lib. Epodon*. De eodem narratur, in summa inopia exsulem vixisse, et obiisse: adeo ut vix pannum haberet, quo verenda tegeret, cum 5., et 20. an. exsulasset. Non confundendus cum *Cassio Severo* Historico, de quo postea, ubi de *Herennio Severo*.

Severus (Corn.), illustris Poeta, cujus aliquot *Carmina de Morte Cicer.* afferuntur, et laudantur a M. Sen. in *Suas. de morte Cic.* Laudatur etiam a Quint. *l. 10.*; ubi indicat, affectum reliquisse *Poema de Bello Siculo* morte praeventum. De eodem magna cum laude Ovid. *l. 4. de Ponto, Epist. 2.* et alibi. *Poema de monte Aetna*, Virgilio adscriptum, *Cornelii Severi* dicitur esse. Alia desid., quorum fragmenta aliquot afferuntur a Sosipatro, a Cornuto, vel Probo in Persii *Comment.*, et a Diomede, Grammaticis.

Severus, haeret., Tatiani discip., a quo *Severiani*, qui sub M. Aurelio usum vini cum Tatiano damnabant, quia ex uva, quae secundum eos a diabolo erat. Docebant etiam, mulierem Opus esse Satanae, et nuptias tanquam diabolicas rejiciebant. Docebant insuper, superiorem hominis partem, a capite ad umbilicum, Opus Dei esse; inferiorem autem esse Opus Diaboli. *Severianorum* scripta nulla superesse arbitror.

Severus (Silius), Poeta egregius, et, ut puto, Silii Italici fra-

ter. Vide Mart. *lib.* 9. *Epigr. de Obitu Severi* Silii.

Severus (Herennius), vir litteratissimis. Ita Plin. Caec. *Epist.* 28. *l.* 4. In bibliotheca sua habebat imagines Corn. Nepotis, et T. Cassii. Verum is erat *Cassius Severus*, Historicus, diversus a Poeta, et Oratore. Eum Veronensem facit Scipio Maffejus de *Veronensibus Scriptoribus* scribens; et citatur a Suet. de *Origine Vitellii*, a Tertul., Minutio Felice, et Lactantio. *Cassius* iste confunditur a nonnullis cum Cassio Hemina, antiquo *Annal.* Scriptore.

Sextilius (Haena), Poeta Hisp., quem in *Suass.* Seneca postponit Corn. Severo, addens, inaequalem fuisse in suis versibus. Ibidem narrat, Carmen eo recitaturo de Ciceronis proscriptione in aedibus Corvini, invitatum fuisse, ad eum audiendum Asinium Pollionem, memoriae Ciceronis infensum, qui cum audiret versum *Sextilii*

Deflendus Cicero est, latiaeque silentia linguae

aegre ferens audire, quod, Cicerone occiso, Latina lingua sileret, et hoc silentium deflendum esset (cum Pollio arbitraretur, se in Latino eloquio Cicerone inferiorem non esse) ad Messallam Corvinum conversus dixit: *Messalla tu quid tibi libitum sit in domo tua, videris: ego istum auditurus non sum, cui mutus videor.* His dictis, illico consurgens, abiit. Hunc versum ait Seneca, non displicuisse Corn. Severo, qui cum multis aliis aderat. Is enim postea composuit, et recitavit versum consimilem, licet meliorem: hunc nempe:

Conticuit latiae tristis facundia linguae.

Alia *Sextilii* Carm. desid.

Sextius (Q), pater, Phil. Stoicus, teste L. An. Sen. vir magnus, et magnus Stoicus. Ejus liber, (ut puto de reb. philosophicis) lectus fuit in convivio apud Sen., qui eum valde commendat *Epist.* 65. *ad Lucil.* Hic liber, ut alia *Sexti OO.* desid. Idem Sen. cap. *ult. QQ. Nat.* loquitur de *Sextiorum* nova Secta, quam Romani roboris vocat, quaeque inter initia sua, cum magno impetu coepisset, extincta est. Hujus Sectae, ut arbitror, Auctores fuerant *Sextius* Pater, et ejus Filius, ambo insignes Philosophi.

Sextius, Orator pessimus, si fides habenda Catullo, qui narrat, sibi ab eo lectam *Orationem* in Actium petitorem, veneni, et pestilentiae plenam. Vide Catullum in *Carm. ad Fundanum*. Haec *Or.* desid.

Sextus, vir doctus, potens, et, ut videtur, Poeta. Ad eum misit Mart. *lib.* 5. suorum *Epigr.* ubi haec.

Sexte, palatinae cultor facunde Minervae,
Ingenio frueris, qui propriore Dei.

Indicat de eo Martialis, Domitiano carum fuisse, et in bibliotheca sua libros Pedonis, Marsi, et Catulli, Poetarum illustrium, habuisse, quos inter locum libellis suis optat Martialis, a *Sexto* dari.

Sextus alter, Orator, et Poeta pauperrimus. De quo Mart. *lib.* 5. *Epigr.* indicat, Romam ivisse, ut panem quaereret, caussas orando,

et Carm. pangendo. Verum nec *Carm.* nec *Oratt.* ejus supersunt.

Sextus, Cheronen., Plutarchi nepos, M. Aur. Imp. magister, valde laudatus a M. Aur. in suis Operibus. Vixit fere semper Romae, ubi edidit *libb. 10.* de *Pyrrhonica disciplina*. Vide Cael. Rhodig. *lect. ant. l. 20. c. 26.*

SF

Sferus, sive *Sfaerus*, Libertus, et Paedagogus Augusti, cujus funus Augustus, nondum Imperator, curavit: teste Dione Cassio.

SI

Siburius, Medicus, Marcelli Medici aequalis, citatur a Marcello, Theodosii M. Archiatro.

Silanus, sive *Sylanus* (Cassius), Germanici Caes. magister. Ita Plin. *H. N. l. 34.*

Silius (C), Italicus, Poeta Epicus, Orator, et tandem Cos., qui fl. an. 68. aerae Christianae. Eum Mart. laudat variis *Epigr.* Ejus *Poema de 2. Bello Punico lib. 17.* notissimum est: quod invenit Poggius in turre monasterii S. Galli in Helvetiis, tempore Conc. Constantiensis. Plures villas possidebat, quarum altera fuerat Ciceronis, Virgilii altera, in quibus multum librorum, statuarum, et imaginum. Ita Plin. Caecil. *l. 3. Epistt.*, ubi etiam ait, Virgilii natalem diem, Neapoli praesertim viventem, solemniter celebrare, et ad ejus sepulchrum, ut ad templum, accedere solitum. Obiit Neapoli morte spontanea, prae taedio insanabilis morbi, ex clavo sibi nato, primis Trajani Imp. annis. Reliquit filium Cos., et ipse patrem Consularem habuit. Sub ejus Consulatu Nero periit. Hispani contendunt, ex Italica, Hispaniae Colonia, ortum: Itali ex Italica quadam, urbe Italiae. Ejus *Oratt.*, et *Carm.* multa desid. Mart. *lib. 11. Epigram.* haec habet de Silio Italico:

Silius haec magni celebrat monumenta Maronis,
Jugera facundi, qui Ciceronis habet.
Haeredem, dominumque sui tumulique, larisque,
Non alium mallet, nec Maro, nec Cicero.

Vide Carmina *Silii* contra voluptatem, verbo *Deistae*.

Silius (C), Cos. design., et Orator, qui suasit legem Cinciam. Ita Tac. *l. 11. Ann.* Ea lege cautum erat, ne Oratores pro oranda caussa mercedem acciperent. Vide *Suillius*.

Silo (Abrus), Latronis auditor, Poeta, et Declamator. De eo M. Sen. in *Suass.*

Silo, praecedentis, fil. Poeta, qui Pantomimis Fabulas scribebat. Ita Sen. in *Suass.*

Silo (Gabius), Declamator, de quo Sen. in *Controv.* De eo Augustus dicebat: *Nunquam vidi patrem familias disertiorem*.

Silo, Phil. Epicureus, Virgilii, et Vari magister.

Simon, Magus, de quo in *Actibus Apostt.* Gratiam patrandi miracula, et alia Spiritus Sancti dona, pecunia emere ab Apostolis tenta-

vit. Ab eo Simoniaci dicti sunt. Romae sub Nerone magni habitus ob praestigias suas, e sublimi dejectus, S. Petri orationibus traditur coram Rom. pop. Sunt, qui dicant, erectam ei statuam cum Inscriptione: *Semoni Deo Sancto*. Verum non *Sancto*, sed *Sanco* in ea scriptum erat.

Simplicius, Phil. De eo narratur, interrogasse S. Augustinum, quid Deus ageret antequam mundum conderet? cui S. Doctor, ejus curiositatem irridens, et carpens, respondisse dicitur, tunc Deum in sylva versatum ligna scindendo, quibus combureret omnes secretorum suorum curiosos investigatores.

Simus, Medicus, citatus a Plin. *l. 21. Hist. N.*

Sisenna (L. Corn.), Hist., et Orator antiquus. Cic. in *Bruto* eum laudat, tanquam bene Latine scribentem. Vide nihilominus verbo *Rufus* in *R*. Vertit in Latinum Aristidis *Graecas Fabulas*. Ita Ovid. *l. 2. Trist.*

Vertit Aristiden Sisenna, nec obfuit illi,
Historiae turpes inseruisse jocos.

De ejus stylo historico, et Latinitate, vide Cic. *de legib. l. 1.* Supersunt nonnulla *Sisennae Historiarum* fragm. illustrata a Riccobono. Ex illis constat, usurpasse multa obsoleta vocabula, de quibus Gel. non uno loco agit; ea, et phrases ejusdem citans, ac *Sisennae* exemplis Latina nonnulla, ab aliis notata, defendens, ac vere Latina esse demonstrans. Fuit Macri amicus, teste Cic. *l. 1. de leg.* Claruit Syllae temporib., cujus res scripsit, mente, et calamo parum liberis ob Syllae tyrannidem.

Sisinnius, vel *Sicinnius*, Christ. litteratus, magnus Phil., vir disertus, et in sacris litteris apprime eruditus. Floruit sub Theod. seniore, cui dicere solebat: Disceptationes non solum schismata non tollere, sed magis ad contentionem haereticos accendere. Iccirco, vitandas, ajebat, dialecticas concertiones, testesque adhibendas formulas fidei, ab antiquis Patribus editas.

Sixtus, Rom. Presbyter, S. Aug. amicus, quem suum Pelagiani jactabant. Scripsit contra Pelagianos, et laudatur a S. Aug. in *Epist.* ad eum.

SO

Socibianus, Poeta. De eo Mart. *lib. 1. Epigr.* indicat, plures Libb. scripsisse, quin dicat, de quo argumento. Solum dicit, inter alia, plura *Carmina* lucubrasse. Alii eum *Sosibianum* appellant.

Socion, Phil. Pythagoreus, L. An. Senecae magister, qui ei amorem vitae Pythagoricae inspiravit. Vide Sen. *Epist. 109.*

Solinus (C. Jul.), Gramm., Rom. Poeta, et Hist. scripsit *de mundi mirabilibus* Opus, 70. capita continens, *Polyhistor* inscriptum, omnibus fere ex Plinii *Histt.* sumptis. Exstat fragm. *Poematis* ejusdem inscriptum *Ponticon*. Vixit post Vespasianum. Citatur a S. Hieron., et Prisciano.

Corollarium X.

Soloecismus est impar, et inconveniens compositura partium Orationis. Ita Asinius Capito in *Litteris ad Clod. Thuscum*, teste Gel. *lib. 5. c. 20.* Ab antiquis Latinis *Stribligo* dicebatur, tanquam *Sterobligo* quaedam, seu versura, et pravitas tortuosae Orationis. Gellius testatur, in Latinis Scriptoribus Graecis, et Latinis vocabulum *Soloecismus* non inveniri; antiquos autem Latinos usos vocabulo *Soloecus* pro eo, quod *Soloecismus* dicebatur jam Gellii aetate. *Soloecus* autem dictum est a Civitate *Solis*, Colonia Athenien. a Solone deducta, in qua puritas Attici sermonis corrupta, *Soloecus* dicebatur, unde *Soloecismus*. Gestu etiam *Soloecismus* fiebat, qui in Mimis, et Oratoribus notabatur. In ingeniosissimi, et eruditissimi Caramuelis *Trismegisto*, ni fallor, est singularis Tractatus, quem olim legi, de Ratione loquendi per omnia praecipua Corporis membra: qua ratione Mimi utebantur.

Sopater, Phil. Constantino M. valde olim carus: postea ejus jussu occisus. Praefuit Romae Scholae Plotini. Vide *Ablavius* in *A.*

Soranus (Val.), Poeta, et Theol. Ethnicus, citatus a Varrone in *lib. de cultu Deorum*, ubi ex eo affert hos versus.

Jupiter Omnipotens, regum rex ipse Deusque:
Praegenitor, Genitrixque Deum, Deus unus, et omnes.

Fuit capite damnatus a Senatu Rom., eoquod revelasset mysticum, et sacrum Urbis nomen, quod inter mysteria celatum vulgo Romani volebant. Plutarchus autem in *Problemm.* ait, damnatum, quia revelavit nomen Dei tutelaris Urbis. Quodnam esset hoc nomen, vel Urbis, vel Dei, Rom. Historici non promunt: fortasse, vel religione tacti, vel penae metu. Cic. *l. 3. de Divin.* vocat *Soranum*, togatorum omnium litteratissimum. Ejus tamen *OO.* desid.

Soranus, Medicus Rom. sub Trajano, qui multa scripsit de re medica, quae desid.

Sosigenes, celebris Astron. Aegyptius, quo usus est C. J. Caesar in anni correctione. Vide Plin. *lib. 18. c. 25. H. N.*

Sostratus, Orator Alexand. disertiss. Augusto, ob linguae petulantiam exosus. Augusti iram metuens, ad Arium Phil., Augusto carum, confugit. Ejus sectator factus, saepe ei dicebat: *Docti doctos servabunt, si docti sint*. Servatus fuit, ut etiam Alexandria, ab ira Aug. victoris in gratiam Arii. *Sostratum* quemdam citatum invenies apud Aelianum *Hist. Animalium lib. 6. c. 51.* Non liquet, an idem iste cum Alexandrino Oratore fuerit.

SP

Sparsus, Rhetor. De eo M. Sen. in *Prooem. l.* mihi *10. Contr.* ait, studuisse Latronem imitari, sed non assecutum, nisi cum eadem, quae Latro, diceret, additque, valenter, sed dure dixisse. Alibi ait, *Sparsus inter scholasticos sanus: inter sanos scholasticus: Declamator subtilis, sed aridus*.

Spartianus (J. Aelius), Hist. sub. Diocl. cujus fuit, vel libertus, vel familiaris. Scripsit *Vitas Imperat.*, *Caesarum*, et *Virorum Illustrium*, qui in spem principatus venerunt. Verum ex his *Historiis* multae desid. Vide *Lampridius* in *L.*

Spectacula. Vide *Histriones* in *H.* Feralia gladiatorum spectacula, et impudicae Fabulae, quae populo dabantur Romae, indicant, Ethnicos Romanos cultioris aevi a vera Sapientia fuisse destitutos, et parum humanos fuisse.

Sperarcus, Phil., cujus contubernalis fuit, et auditor Aug. Caes. V. Suet. in *Augusto c. 79.*

Spurina (Vestritius), Poeta Lyricus, et dux Rom. exercitus contra Beveterum, quem sub Vespasiano vicit: qua victoria statuam meruit, Vespas. jussu, ei positam Romae.

Spurina, in Augurali, et Aruspicina peritiss., qui C. J. Caes. necem intra dies 30. eventuram praedixit, quorum dies ultimus fuit Idus Mart., quo die occisus in Senatu periit.

ST

Statius (Caelius), Poeta Comicus, Catonis Censorii aequalis, et amicus. Cicero namque de *Senect.* inducit Catonem, citantem *Statii* sententiam his verbis: *Seruntur arbores, quae alteri seculo prosint, ut ait Statius noster in Synephaebis.* Ejus OO. desid.

Statius (Annaeus), L. An. Senecae amicus, forsitan libertus, vel ex Annaeorm familia. Fuit Medicus, a quo L. Sen., durante lentitudine mortis, poposcit venenum, quo Athenis publico judicio damnati extinguebantur. Ita Tac. *l. 15. Annal.*

Statius (P. Papinius) Neapol., Poeta extemporalis, qui praeter nota Poetica Opera, quae integra habemus, affectam reliquit *Achileidem*. Scripsit etiam Tragoediam, *Agave* inscriptam, quam Paridi, Mimo ditissimo vendidit. Ita Juvenalis *Satyra 7.* Fuit a Domitiano agro Albano, et ter corona donatus in Albano Poetico certamine. Fuit etiam bis a Domitiano convivio susceptus cum Senatoribus, et Equitibus, ut ipse testatur. A multis Virgilio proximus inter Epicos habetur.

Statius (P. Papinius), praecedentis pater, Graece, et Latine valde doctus, Domitiani Imp. magister, qui multo auro multisque honoribus a discipulo fuit cumulatus. Plura scripsit, ut ejus filius testatur, qui in *Epicedio* ad eum *lib. 5. Sylvarum* indicat, Phil., et Poetam fuisse. *Statii* hujus scripta desid.

Statorius (Victor), Cordubae in Hispania natus, Poeta Comicus, cujus *Fabulas*, seu *Comoedias*, memoria dignissimas, testatur M. Seneca in *Suasor.*, eum municipem suum appellans.

Statuarii, ex metallo signa, et statuas conficiebant. Sculptores ex marmore, vel ligno. Romanorum scripta de *Statuaria Arte* nulla supersunt.

Stella (Arruntius), Poeta insignis, a Mart. laudatus *lib. 5. Epigr.* Catullum in Carmine est imitatus, et Victorias Domitiani de Sarma-

tis panxit. Haec Opera desid. Arbitror, hunc esse *Stellam*, ad quem misit Statius *librum* 1. *Sylvarum*, et quem vocat *juvenem optimum*, et *in Poeticis studiis eminentissimum*.

S. *Stephanus*, Protomartyr. De ejus Sapientia, cui resistere non poterant doctiores Hebraei Synagogae cum eo disputantes, vide *Acta Apost. cap.* 6., et 7. Eum non divina solum, sed humana etiam Sapientia fuisse praeditum arbitror, ut ejus consanguineus Saulus, Tarsensis, postea S. Paullus. Lapidatus a Judaeis, primus pro Christo vitam dedit, pro lapidantibus orans. De ejus reliquiarum inventione, vide *Lucianus* in *L*. De miraculis, per eas a Deo factis, vide *Orosius* in *O*.

S. *Stephanus*, Papa, et M. passus pro Christo an. 260. Eccl. Supersunt fragm. ejus *Epist.* ad S. Cyprianum. Alia ab eo Scripta desid.

Stertinius vulgavit nonnulla de *Arte Rhet.* Ita Quintil. de hujus Artis Scriptoribus loquens in *Orat. Instit.* Forsitan hic erat *Stertinius*, de quo Mart. Vide *Avitus* in *A*. Horat. in *Satyris* loquitur de quodam *Stertinio*, Phil. Stoico suae aetatis.

Stoici Philosophi, quorum Auctor Zeno, plures ex Romanis fuerunt, ac plura ingeniose scripserunt. Verum notantur, ut arrogantes, et ut verborum magis, quam novi dogmatis Auctores. Apud Athenaeum *l.* 14. a Poeta Graeco vocantur *Mercatores nugarum: verborum arbitri, et Censores*. Contra eos scripsit Plutarchus.

Stolo (Licinius), legem tulit, quae vetabat, Civem Rom. supra 500. jugera habere. Ita Varro *lib.* 1. *de Re Rust.*

Strabo (Aemilianus), laudatus ab Apulejo in *Floridis*.

Strabo, Geogr. notissimus, et Phil., qui sub Augusto floruit, et vixit usque ad Tiberii tempora. Scripsit Graece Geographiam, cujus antiqua versio Latina desid., ut etiam si quid de Philosophia edidit.

Strabo (C. J. Caesar), Poeta, cujus fragmenta aliquot supersunt. Ferro periit, ut ceteri, Caji Caesares appellati. Fuit etiam Orator suavissimus, cujus eloquentiae genus secutus fuit C. J. Caesar Dictator, cum esset adolescens.

Stylus, vide *Latinus sermo* in *L*. Alex. M. dicere solebat, se virorum eruditorum stylum magis timere, quam hastas, et tela hostium.

SU

Succius, Poeta Comicus. Ejus Comoedia *Piscatoria* citatur a Fulgentio: Comoediae ejus desid.

Suetonius, vide *Tranquillus* in *T*.

Suetonius (Optatianus) scripsit *Vitam Taciti Imp.* Ita Vopiscus.

Suevius, Lat. Poeta, de quo Macr. in *Saturn.* non uno loco allatis ejus versibus. Ex ejus *Moreto*, quod Virgil. in suo imitatus fuit, supersunt nonnulla *Carm.* de *Nuce Persica*, seu *Mollusca*.

Suffenus, Poeta, in quem invehitur Catullus *Epigr. ad Varum*. De eo ait Catullus, plura panxisse Carm., in quibus, licet pessimis, valde sibi placebat. Unde proverbium in litteratos, sua nimis aesti-

mantes, qui *Suffeni* appellantur. En Versus Catulli:

Idem infaceto est infacetior rure,
Simul Poemata attigit: neque idem unquam
Aeque est beatus, ac Poema cum scribit:
Tam gaudet in se, tamque se ipse miratur.

Vide *Aquinus* in *A*, ubi etiam de *Suffeno* pessimo Poeta in *Epigr. ad Calvum*. Nihilominus eum venustum, dicacem, et urbanum appellat, forsitan ironice, in *Epigr. ad Varum*: ubi etiam ait, omnes aliquid *Suffeni* habere, et nos non videre manticam, quae a tergo est.

Corollarium XI.

Suicidium inter Ethnicos Romanos, etiam cultiores, frequentissimum, et a Seneca, ac viris aliis doctis laudatum, multum detrahit eorum humanitati, et sapientiae: cultioresque redditos Romanos praeceptis Christianorum, quos barbaros appellabant, res ipsa loquitur, ut nihil dicam de sublatis gladiatorum barbaricis ludis, et impudicissimis Scenicis Fabulis post Christianae religionis professionem. Vide *Latro* in *L.*

Suillius, Ovidii gener, quem Ovid. Vatem appellat *Epist. 8. l. 4. de Ponto*. Ex hoc intelligitur, Ovidium filiam jam nuptam, cum exsul in Ponto degebat, habuisse.

Suillius, Orator mercenarius, et accusator sub Claudio complurium civium proborum. Vide Tac. *l. 11. Ann.* initio. Restitit in Senatu C. Silio, suadenti legis Cinciae instaurationem.

Sulla, Mathem., et Astrol., qui Caligulae Caes., de sua genitura, et fato eum consulenti, affirmavit, ejus necem adpropinquare.

Sulpicia, Poetria, Caleni uxor fidelissima sub Domitiano, in quem *Satyram* scripsit (quae exstat), cum Roma fuerunt Philosophi expulsi a Domitiano. Nitida, et pudica edidit Carmina vario metro, inter quae *libros Amorum*, et *Epistolarum* ad Maritum. Martialis, qui *Sulpiciam* saepe laudat, inter alia *lib. 10.* de ea ait:

Hac condiscipula, vel hac magistra
Esses doctior, et pudica, Sapho.

Idem Mart. hortatur uxores, et maritos, ut legant *Sulpiciae* Carmina, quibus discant primae maritos amare, et mariti, ut discant, caste amare uxores. Finem facit *Epigrammati* dicens:

Cujus Carmina qui bene aestimarit,
Nullam dixerit esse sanctiorem.

Verum, si *Sulpiciae* sunt duo versus, quos ei tribuit vetus Juvenalis scholiastes, non erat, cur multum ejus sanctitatem Mart. commendaret. Meminit etiam *Sulpiciae* Sidonius Apollin. in *Epist. ad Magnum Felicem*. Ipsa de se canit:

. . . . . *Quot denique millia lusi:*
Primaque Romanas docui contendere Grajis,
Et salibus variare novis.

Argumentum *Satyrae Sulpicianae* erat de corrupto Reipub. Statu, Domitiani temporibus. In hanc *Satyram*, quae sola superest ex multis

millibus Carm. *Sulpiciae*, Commentarios edidit Boxhornius. Sunt, qui suspicentur, plura Carm., quae tribuuntur Catullo, Tibullo, Propertio, et Ausonio, *Sulpiciae*, et Caleni esse.

Sulpicius, Hist. Scripsit *Annales*, citatos a Corn. Nepote in *Annibalis Vita*. Forsitan hic fuit *Sextus Sulpicius*, alter ex 3. Legatis ad Graeciae Urbes pro legibus deligendis. Vide *Leges* in *L*.

Sulpicius (P), Cic. eum loquentem inducit in *Libris de Oratore*; et in *Bruto* ait, eum, omnium judicio, primas cum C. Cotta inter Oratores suae aetatis tenuisse.

Sulpicius, Carthagin., Poeta, cujus versus de non cremanda *Aeneide* Virg. citat Cl Donatus.

Sulpicius (C), Gallus, qui Cos. cum Marcello fuit, magnus Orator, ac ut videtur, non malus Philosophus. De eo in *Bruto* ait Cic., qui eum audivit, studuisse Crassum imitari: Verum Crassi leporem in dicendo ei defuisse. Defendit Q. Minutium Scapulam, accusatum de vi a P. Lentulo apud CN. Baebium Praetorem. Ita ex Diario antiquo Urbis apud Reinesium. Habuit *Orationem* ad L. Paulli milites, qui contra Macedones pugnam inituri erant, et contra eorum regem Persen. Paulli exercitus Lunae defectu, seu eclypsi consternatus erat, et *Sulpicii* Oratione animum recuperavit, et pugnandi voluntatem. Super hoc Lunae defectu *lib.* composuit, ut puto, Philosophicum, vel Astronomicum. Vide Plin. *l.* 2. *H. N.*

Sulpicius (Severus), gente Gallus, qui claruit an. Christi 401. Ecclesiasticorum purissimus Scriptor appellatur ab Scaligero; Fuit S. Martini Turon. Episc., et S. Paullini Nolani discip. Perierunt plures ejus ad varios *Epistolae*. Supersunt aliqua ejus Opera historica caute legenda: nam ejus puritas in dogmate, magis quam in Latinitate, desideratur.

Sulpicius (Apollinaris), appellatur a Gellio *l.* 18. *c.* 4. *NN. vir in memoria nostra praeter alios doctus*. De eo narrat, jactatorem quemdam, et gloriosum venditatorem Sallustianae lectionis, Socratica dissimulatione interrogando, cavillatum fuisse, ejusdemque philautiam compressisse.

Sulpicius (Servius), Orator, qui teste Quintil. *lib.* 9. tribus *Orationibus* insignis Oratoris famam comparavit, quae *Oratt.* desid. In altera ex *Epist.* ad Cic. se excusat, quod, Orationis paupertate, eisdem verbis Epistolas saepe mittat: quam excusationem veram non agnoscit Cic. nec probat. Idem, ut puto, fuit Jurisconsultus ille clariss., qui 180. *libb. Juris* edidit Cicero *Orat.* habuit pro *Servio Sulpicio*, in legatione ad M. Ant. Senatui adversantem, defuncto: in qua, virtutes ejus laudans, Senatui persuadere nititur, ut statua, et sepulchro, publicis expensis, eum ornet ob ejus in Remp merita. De eo etiam cum laude loquitur *l.* 2. *de Orat. ad Q. Frat.* Eum praefert in Juris disciplina Q. Scaevolae in *Bruto*: aitque *Sulpicium* Jus Civile ad artem reduxisse, vel artem Dialecticam ad Jus attulisse, quasi lucem

accendens, qua clarius paterent ea, quae ab aliis, aut respondebantur, aut agebantur. Oravit pro Aufidia, et juvenis in se suscepit accusationes pravorum civium. Vide Quintil. *lib.* 4. 6., et 12. Ejus *Epist.* ad Cic., qua eum solatur in morte Tulliolae, indicat, quantum eloquentiae in eo esset.

Corollarium XII.

Supputandi Ars. Vide *Arithmetica* in *A: Numeri* in *N: Sestertium* in *S.* Haec Ars valde manca apud Romanos antiquos fuit. Illis namque prorsus ignota fuit ratio supputandi per Algebram sublimem, et per calculum differentialem, qua utuntur Mathematici hac nostra aetate post Cavalierum, P. Greg. a S. Vincentio, Leipnitzium, et Neuthonem.

Sura (Licin.), saepe Cos. sub Trajano, cui carissimus fuit. Erat Hispanus, et Barcinone Tarraconem euntibus subeundus est in via publica arcus triumphalis, non procul Tarracone positus *Licinio Surae* cum honorifica Inscriptione, cujus verba nonnulla superesse vidi cum illac transibam. Ea legi potest in *Sylloge Inscript. Cataloniae* Cl. Josephi Finestresii. Est bene longum Mart. *Epigr. l.* 7. *ad Licinium Suram*, in quo, ut vir doctiss. commendatur. Verisimile est, non armis solum, sed et eloquentia floruisse, ob saepe dicta de peritia ad magistratus obtinendos requisita praesertim sub optimis principibus, inter quos eminuit Trajanus, virorum litteratorum fautor.

Surdinus, Rhetor, de quo Sen. in *Suass.* cum laude agit. Inter alia de eo tradit, ingeniosum adolescentem fuisse, et in Latinum eleganter vertisse *Graecas Fabulas*, seu *Comoedias*, ut reor, versibus. Ex quo intelligitur, eum non Declamatorem solum, sed et Poetam fuisse. Seneca non dicit, quasnam *Graecas Fab.* in Latinum vertit. His, et aliis multis Versionibus Latinis caremus.

Sutrius, Poeta Comoediographus, citatur a Fulg. Planciade.

SY

Syagrius (Afran.), Praef. pr., idemque insignis Poeta. Ad hunc sunt plures Symmachi *Epistt. l.* 1., et plurimae leges directae a Theodosii filiis, jam Imperatoribus, quae exstant in *Cod. Theod.* Laudatur a Symmacho, ut vir doctus. Ad eum sunt nonnulla Ausonii Carmina. Meminit de eo etiam Sidon. Apoll. in *Epistt.* Fuit Cos. cum Antonio quodam.

Corollarium XIII.

Sybillae, seu Vates foeminae, Virgines, quae Vaticinia sua versibus tradidere. Has inter Ethnicos floruisse indubitatum est. Qua autem lingua scripserint Vaticinia sua? non liquet. Verisimile autem est, nonnullas saltem Graeco serm. scripsisse. Virg. in *Ecloga*, *Pollio* affert *Sybillae* Cumaeae Latina carmina. Lactantius, et alii earum Vaticinia Graeco sermone citant. Videtur primis Eccl. seculis *Sybillarum* Carmina, et Vaticinia vulgata, et nota, tum Ethnicis, tum Christianis; alias isti eis usi non fuissent ad convincendos Ethnicos.

Ante Christi adventum, magna cura, fuerunt dicta Vaticinia a Romanis custodita, et in occulto habita, designatis XV. Viris, qui ea interpretarentur: virique illi consulebantur in extraordin. eventis. De primis *libris Sybillinis*, a Tarquinio rege emptis, et postea cum Capitolio combustis, loquuntur Rom. Historici. Post Capitolii conflagrationem, jussu Augusti, quaesiti sunt *libri Sybillini*, qui ubivis terrarum essent, et eorum apographa, vel libri ipsi fuerunt Romam adsportati. Hos autem libb. jussit Aug recondi sub base Apollinis Palatini, et custodiri a XV. Viris, Apollinis Sacerdotib. Tandem Vaticinia illa, jussu Theod. M. flammis tradita fuerunt ab Stilicone an. Christi 389. Vide *Tarquinius* in *T. Sybillini libri*, qui nunc leguntur, suppostitii censentur. Legitimi, sive Graeca, sive Latina, sive barbarica lingua scripti desid. De *Sybillis*, et earum numero v. Lact. *lib. 1. Divin. Inst. c. 6.*, ubi Varronem citat, et Fenestellam, qui de *Sybillis* scripserunt.

Sylla (L. Corn.), milit. virtute, odio in plebem Rom., et crudelitate sua in adversas partes notissimus: cum secundum Appianum de *Bello Civili lib. 1.* centum hominum millia, et eo plura, bello confecisse ipsemet testatus fuerit; domesticos autem hostes occidisse, Senatores 90., Consules 15., equestris ordinis ad 2000. Citatur a Gel. *l. 20. c. 5.* tanquam Historicus, qui scripsisse dicitur *22. libb. rerum suarum*. Athenaeus, *lib. 5.* tradit, scripsisse Latinas *Comoed. Satyricas*, quae desid. Cum ei Poeta obtulisset *Epigr.* ejus laudes continens, versibus longiusculis, eum praemio affecit, ea conditione, ne Versus in posterum faceret. Quantumvis doctus esset, de eo dicere solebat C. J. Caesar, litteras nescivisse, quia Dictaturam deposuit. Verum, si Caesar ejus exemplum esset secutus, Dictaturam suam deponendo, odium in se civium non concitasset, et a conjuratis occisus non fuisset. Ex quo innotuit, litteras *Syllam* magis, quam Caesarem scivisse, Dictaturam deponendo post bellum Civile. De eo dicit Livius, Dictatorem, seu Magistrum populi fuisse, tria docendo vitia, luxuriam, avaritiam, et crudelitatem. Innumeros servos libertate, et Civitate Romana donavit, eosdemque Cornelii nomine appellari voluit. Et hinc est, quod post *Syllam* plures *Cornelii* fuerint Romae, et in Provinciis, qui, humili loco, et genere, orti erant. Athenis captis, Apelliconis bibliothecam, Aristotelis, et Theophrasti libb. continentem, Romam transtulit. Mira felicitate in vita usus, *Felix* agnominari voluit: quam felicitatem soror Hortensii ingeniose, et feliciter expressit, ex ejus toga filum in theatro carpens: quo facto *Syllae* nuptias promeruit. Nihilominus *Syllae* finis parum felix fuit: cum morbo pediculari interierit, an. aetatis 60. U. C. 676. Post abdicatam Dictaturam an. unum superstes tantum fuit, et honorifico funere in campo Martio elatus. Vide Petavium *Ration. temp.* A nonnullis *Sulla* non *Sylla* dicitur, Ejus *Vitam* vide apud Plutarchum.

Sylla, (Sex.), Carthag. a Plut. ejus aequali vir facetus, et doctus

appellatur in *Romuli Vita*, ubi ejus opinio de *Thalasso Nuptiali* refertur.

Sylla, quidam litterator, a Catullo memoratus in *Carm.* ad *Licin. Calvum*.

Syllanus, Orator, caussam dixit pro Sexto Ruscio, apud Q. Cornificium accusato de vi a L. Torquato filio. Reus fuit absolutus 40. sententiis: damnatus 20. Ita in *Fragm. Tabular. diurn. Urbis* ex Apographo Vossii.

Syllanus (Ulpius), Orator, de cujus *Orat.* in Senatu habita, referente Praetore urbano, Fulvio Sabino, meminit Vopiscus in *Aureliano*.

Sylo (Pompejus), Rhetor, cujus saepe meminit Sen. in *Contr.* et *Suass.* ejus Sententias referens. In *Praef. ad lib. 3. Contr.* eum ut pessimum Declamatorem notat.

Sylo, Poeta Comicus, memoratur a Sen. in *Suass.* Ejus *Fabulae*, seu *Comoediae* desid.

Sylo (Albutius), magnus Orator. Is Mediolani, coram Procos. Pisone, tanto cum plausu caussas orabat, ut opus esset populo, acclamanti, et plaudendi silentium per lictorem a Procos. indici, ut progredi orando posset.

Sylo, sive *Silo* (Abrus), vide *Silo* supra, quibus adde: Seneca in *Suass.* affert hos *Silonis* patris Versus inter declamandum de 300. *Laconibus* dictos.

Ite, agite, Danai, magnum Paeana canentes:
Ite triumphantes: belli mora concidit Hector.

Animadvertit Sen. bene id dictum a *Sylone*, exponente Sententiam Porcii Latronis, quam paullo antea recitaverat: sed potuisse melius dici, uti revera melius Maro super illud, quod valde celebrabatur: *Belli mora concidit Hector*:

Quidquid apud durae cessatum est moenia Trojae,
Hectoris, Aeneaeque manu victoria Grajum
Haesit?

Ex his constat, *Sylonem* non Rhetorem solum, sed et Poetam fuisse, ac Senecam judicium suum de Poetis Declamatoribus, filiis suis exponere voluisse: Vide Sen. in *Suas. 2.* de *300. Laconibus*, et illic Porcii Latronis Sententiam.

Symmachus, antiquus Sacrarum litterarum Interpres, parum sanae doctrinae, de quo Eusebius, et S. Hieron. Fuit Samaritanus, deinde Judaeus, et postea Christianus, Ebionis erroribus infectus circa an. Christi 200.

Symmachus, Martialis aevo Romae magni nominis Medicus, si ratio discipulorum, qui eum sectabantur, habeatur. De eo Mart. *lib. 5. Epigr.*

Languebam, sed tu comitatus protinus ad me
Venisti centum, Symmache, discipulis:
Centum me tetigere manus, aquilone gelatae:
Non habui febrem, Symmache, nunc habeo.

Ex hoc intelligitur Medicorum antiquus mos, secum ducendi discipulos, cum aegrotantes inviserent.

Symmachus (L. Aurel. Ammianus), Orator, Vir Consul., et Praef. Urbis, quem Honorius Imper. in *Epistt.* ad eum, vocat *Parentem Chariss.*, quod indicat, Praef. pr. etiam fuisse. Erat Ethnicae superstitioni addictiss. a Senatoribus Ethnicis missus ad Christ. Imperatores, eos rogatum, Senatus Rom. nomine, ut aram Victoriae, ad an. Christi 377. Gratiani Imp. jussu, per Gracchum, Praef. Urbis dirutam, restitui permitterent, et ne Vestales virgines abolerent, ob multa mala, quae Rom. imperio imminere putabantur, si antiquus Deorum cultus tolleretur. In *Relatione*, quae inter *Epistt.* ejus legitur, exponuntur mala, quae jam Romanis acciderant ex imminuto, ut ipse putabat, Deorum cultu: quod occasionem dedit SS. Ambrosio, et August., ut etiam Orosio, et Prudentio, ad scribendum contra *Symmachum*. S. Ambrosii autem Scripto ad Imperatores contra *Symmachi Relationem* effectum est, ut nihil *Symmachus* impetraret. Postea S. Aug. scripsit *Libros* doctiss. *de Civitate Dei*, quibus ostendit, mala Romani imperii perperam tribui imminuto cultui Deorum, sed Romanorum vitiis. Idem suasit Orosius Historicus. Prudentius postea Carminibus suis contra *Symmachum*, Deorum inanium cultum multo sale defricuit. Nihilominus, ut virum eloquentem, et doctum laudat *Symmachum* Prudentius, et Macrob. in *Saturn. lib. 5. c. 1.* ejus stylum, ut pinguem, et floridum commendat. In *Epistolis* suis *Symmachus* Sanctos appellat Episcopos tunc viventes, et pacavit Romae tumultum contra Bonifacium Papam ab Schismaticis pro Eulalio excitatum, Roma jussu Honorii, Eulalium, cui *Symmachus* ipse faverat, expellens. S. Augustinum Mediolanum misit, ut illic Rhetoricam doceret, quam Romae per annum integrum docuerat. De *Orationibus*, et aliis Scriptis suis, quae desid., loquitur ipse in *Epist. 30. ad Protadium lib. 4*, et ad eundem *Epist. 18.* ejusdem libri meminit bibliothecae suae. In *Epistt.*, quae supersunt testatur; se filium in Graeco serm. erudire. Ejus filius doctus evasit, nam Praetorio munere functus fuit, teste patre in *Epistolis*, *quarum 10. libri*, qui supersunt, editi fuerunt a filio, qui *Q. Flavius Memmius Symmachus* appellabatur.

Symmachus, praecedentis pater, vir litteratus, et Poeta, qui Carm. sua mittebat ad filium, eum rogans, ut ea emendaret; additque in altera ex *Epist.* ad filium, sibi pudori non futurum, in doctrina a filio superari. Floruit sub Honorio, et puto, hunc esse *Symmachum* Poetam, quem Ricciolius floruisse dicit an. Christi 410., nisi si de ejus filio, vel nepote loquatur.

Symposius (Caelius), cujus Aenigmata multa supersunt, incertae aetatis Poeta.

Sympronianus, Novatianus haereticus, contra quem scripsit 3. *Epistolas* S. Pacianus Barcinon. Episcopus. Haeretici hujus Opera perierunt.

Synesius, ex ethnico Phil. Christianus, et postea Ptolemaidos Epi-

scopus, a Theophilo, Alexand. Patriarcha, S. Hier. amico, circiter an. Christi 410, imperantibus Honorio, et Theodosio juniore. Exstant multae *Synesii Epistt.*, et multae interciderunt. Scripsit de *laudibus Calvitii*.

Syriacus, Rhetor, cujus *Sentt.* refert Sen. in *Controv.*

Syricius, sive *Siricius*, patria Romanus, et Romanus Pont. sub Theodosio M. Consultus fuit ab Himerio Tarrac. in Catalonia Praesule, ad eum misso Bassiano Presbytero. Vide *Himerius* in *H.* Exstant *Syricii Decretales Epistt.*, quae legitimae habentur a Criticis, ac inter alias ea, qua Himerio respondet, multa capita complectens. Plures, ut arbitror, desid. Sedit an. 13. Obiit an. Christi 388.

Syron, sive *Siron*, magister Virgilii, et Varii in Epicuri Philosophia.

Syrus (Publius), Mimographus insignis, Laberii in Arte sua aemulus, qui, etiam C. J. Caesaris judicio, multum Laberio faventis, ei palmam praeripuit. Leguntur plures *Syri* sententiae plane graves, et illustres, quarum, ut etiam Laberii, nonnullas afferunt M. Sen. *lib. 7. Controv.*, et Gel. in *NN.* Verum integrae *Mimicae Fabulae* horum Poetarum non exstant, vel adhuc latent. Dominicus a Colonia de *Arte Rhetorica lib. 1.* de Elocutione, ubi de stylo vitioso disserit, tribuit P. Syro Versus de *Ciconia*: *Pietatis Cultrix, gracilipes* cet. qui sunt Petronii Arbitri. Forsitan error est Venetae editionis, qua utor, et non Auctoris. Ne vero lector mihi succenseat, quod P. *Syri* nullas *Sentt.* post tot earum laudes producam, cum eae non adeo obviae sint; ei satisfacere non gravabor. Ac primo loco afferam illam, quam Cassius Severus omnibus Graecorum, et Latinorum sententiis praefert, Versum eo meliorem, vel Dictum aeque illustre, et grave, negans in eis inveniri:

Tam deest avaro quod habet, quam quod non habet.
Item *Desunt Luxuriae multa, Avaritiae omnia*
Item *O Vita misero longa, felici brevis!*

Hasce *P. Syri* sententias affert M. Sen. a Cassio recitatas, alias omittens, quae ad communem vitae, et familiaris sermonis usum sunt maxime commodae, et ut ait Gel. *l. 17. c. 14.* commodatissimae. Tales sunt istae.

Malum consilium est, quod mutari non potest.
Beneficium dando accipit, qui digno dat.
Ab alio exspectes, alteri quod feceris.
Feras non culpes quod vitari non potest.
Cui plus licet, quam par est, plus vult, quam licet.
Comes facundus in via pro vehiculo est.
Haeredis fletus sub persona risus est.
Furor fit, laesa saepius patientia.
Improbe Neptunum accusat, qui iterum naufragum facit.
Gravissimnm est imperium consuetudinis.
Veterem ferendo injuriam, invitas novam.

Nunquam periculum sine periculo vincitur.
Nimium altercando veritas amittitur.
Pars beneficii est, quod petitur, si cito neges.
Lex Universi est, quae jubet, nasci, et mori.

Vide Macr. *lib. 1. Saturn. c. 7.*, ubi multa de *P. Syro*, et Laberio. Olim pueris ediscendae tradebantur Syri Sententiae, ut indicat S. Hieron. in *Epist.* ad Laetam. Multae adhuc supersunt, quae leguntur in Collectionibus fragment. Vet. Poetarum Latinorum. Jam vero quoniam *P. Syri* pleraeque graves, et sensatissimae abductae sunt Sententiae, aequum est aemuli Laberii aliquot referre, quae leguntur in *Prolusionum Philosophicarum* (a) a nobis olim Barcinone editarum *lib. 2.*, seu in *Candidato Famae, et Fortunae*, qui titulus est hujus libri: ubi haec scripsimus = . Neque Opus est, hic commemorare, quam sit difficile ad Famae, et Fortunae fastigium conscendere: quam difficile item illic consistere, et partis Fortunae, et Gloriae bonis ex arte frui. Scite dictum olim a P. Syro est: difficilem admodum esse Gloriae custodiam: Nec minus sapienter Laberius, Mimus alter, primi aemulus, et, vel Caesaris patroni judicio, a competitore in mimica laude superatus, de se, deque aliis, e superiore Famae, et Fortunae gradu dejectis:

Non possunt primi esse omnes omni in tempore.
Summum ad gradum cum claritatis veneris,
Consistes aegre, et citius, quam ascendis, decides.
Cecidi ego: cadet qui sequitur: laus est publica.

Fallacem igitur, et mendacem mundanam felicitatem agnoscamus, et fateamur necesse est = cet. Haec in prima *lib. 2. Prolusione*, quae est de *Honesta munerum Famae, et Fortunae Petitione*. Sed de *P. Syro*, et Laberio jam nimis fortasse multa: ad alia progrediamur.

Corollarium XIV.

S. Littera, quae *Sibilus*, vel littera *Sibilans* appellabatur ab antiquis Latinis, parum grata Romanis erat, et ab ea quantum poterant, abstinebant. Quamobrem saepe omissam eam videmus in Poetis antiquis in fine vocabuli. Videmus etiam in marmoribus simplicem litteram *s*, cum ea duplicanda erat. Legimus enim *Abese* pro *Abesse*: *Fuise* pro *Fuisse*: quod indicat in pronunciatione sine magno nisu litteram *s* pronunciasse, etiam cum duplicata erat. Dictum est in *Corollario* postremo de littera *C.* nonnunquam Auctorum nomina, quae scribi debebant per *c*, vel *ti* ante vocalem, scripta inveniri per du-

---

(a) *Nonnullae ex his Prolusionibus dictae fuerunt in Regia, et Pont. Academia Cervariensi, unica Cataloniae, ac supra meritum laudatae ab omni laude dignissimo Hieron. Lagomarsinio in eruditissimis* Commentariis ad J. Pogiani Epistolas, *quos Academiae Cervariensi dicavit.*

plicem *s*, ut *Cassius* pro *Catius*, et contra *Mussius* pro *Mutius*, et *Mucius*.

TA

Corollarium I.

T*Abulae*. Duodecim *Tabularum* leges, quas, ut dictum est, omnibus Philosophorum bibliothecis Cicero praefert, emendatae postea sunt a Romanis cultioribus, et humanioribus, quibus nonnullae visae sunt nimis durae, et inhumanae, ut jus vitae, et necis parentum in filios, dominorum in servos, creditorum in debitores, quos *nexos* appellabant, vide *Jurisprudentia* in *J*. Sublatae etiam sunt poenae gravissimae ob non magna delicta, ut multae aliae valde ridiculae, et superstitiosae. Vide Gel. *l. 20. NN. c. 1.*, ubi de his legibus Favorini, et Sexti Caecilii exstat curiosa disceptatio. Hae *Tabulae* primum roboreae fuerunt: postea leges *Tabulis* aereis fuerunt incisae. Vide *Leges* in *L*: *Tullius* in *T*. *Tabulae* Censoriae citantur a Dionysio Halicarn. *lib. 1. et 4. Antiquit.*, et *Tabularia publica*, *et privata* a Cic. in *Bruto*. In *Caerites Tabulas* referri dicebantur, qui, notae caussa, a Censoribus suffragio in comitiis privabantur, ex eo quod Caerites, licet Cives Romani facti, jus suffragii non haberent: qua in re Romani parum grati in eos fuerunt.

Tacianus, sive *Tatianus*, Orator, et Christ. Phil. S. Justini Martyris discip., qui postea in varios errores incidit. Floruit sub M. Antonino Vero, et L. Aurelio Commodo Imperatt. Scripsit contra Origenem, teste S. Hier. *Epist. ad Magnum*, praeter innumera alia, quorum superest *Apologia* pro Christianis. Periit *Harmonia Evangelistarum*, ab eo edita, vel latet.

Tacitus, Rom. Imperator, vir doctus, et prudens, a Senatu in Imperatorem electus, 6. menses imperium tenuit. Verum militari scelere periit an. Christi 276. Petavius tamen tradit, febri correptum apud Tarsum obiisse. Gloriabatur, se ex Hist. Corn. Tacito, de quo mox, originem traxisse, et decies quotannis Corn. Taciti libros Histor. describi voluit, et jussit, in omnibus Rom. bibliothecis exemplaria Taciti reponi.

Tacitus (Corn.), praeclarus Hist., et Politicus, Romanus Eques. Scripsit *Annalium* ab excessu Augusti *libros 16.*, quorum *7, 8, 9, 10, et 11.*, ut item finis *16.* desid. Desunt etiam *libro 5. Annal.* triennii fere acta. Edidit insuper *Historiarum libb. 5*: *Vitam J. Agricolae*, soceri sui, et *de Germania*: quae Opuscula, ut caetera ejus Opera, quae exstant, leguntur cum insignium Criticorum Adnotationibus, et Correctionibus. Praeter haec, et *Orationes* varias in foro habitas, edidit *libb. Facetiarum*, citatos a Fulgentio, nisi si alterius *Taciti* sint, qui libri desid. Utrum autem *Dial.* saepe citatus de *Oratoribus* sit *Taciti*, anve Quintil.? adhuc Critici dubitant, licet inter *Taciti* Opera edi soleat. Ignoratur etiam, an ediderit *Historiam temporum Nervae, et Trajani*, quam senectae suae seposuisse ipse affirmat.

Neque liquet, an lucem viderit *Historia Domitiani*, cujus meminit ipse *l. 11. Ann.* Sed fortasse hae *Histt.* continebantur in *30. Histor.* Voluminibus, in quibus *Vitas* Caesarum usque ad Domitiani obitum scripsisse *Tacitum* testatur S. Hier. in *Comment. ad Zaccharium Prophetam*: quae Volumina perierunt. Vixisse creditur post obita praecipua munia, tum Romae, tum in Germania usque ad Adriani tempora. De ejus ingenio, et eruditione multa cum laude Plin. Caec. ejus amicus, qui ad eum remittebat *lib.* a se notatum. Vide *Epist. 20. l. 7.* Plinii. Omnes fatentur, eum in depingenda Aulae Romanae illorum temporum imagine, in Caesarum, Aulicorum, et Pseudopoliticorum moribus, et artibus describendis parem non habere. Illud non ferendum, quod non semel in intimos humani cordis recessus, soli Deo notos, penetrare contenderit. Nonnunquam etiam impius, et mendax est in rebus Hebraeorum, et Christianorum narrandis, qua in re excusari non potest: cum tunc temporis multi Romae essent, ex quibus verum elicere potuisset, si, ut debebat, diligentem Historicum agere studuisset, et vix crediderim, eum libros Flavii Josephi de *Judaeorum Antiquitatibus*, et *Sacra Biblia* non legisse. De *Taciti* Operibus exstat breve, et elegans J. Lipsii judicium, quod legi meretur. Multi Monita politica, ex Tacito accepta, scripserunt, inter quos J. Lipsius Latino, Arias Montanus Hispano, et Varii Galli suo idiomate. Ariae Montani *Monita*, quae in Hispania non videram, in Corsica emi, et puto, rara esse hujus Operis exemplaria. Operae pretium esset ea iterum typis mandari cum *Politicis Sententiis* ei adjunctis, Catalani Equitis *Setantini*, cujus nomen nunquam legeram, nec vero audieram, quod meminerim, licet ille conterraneus meus fuerit. *Taciti* stylus a multis notatur, ut durus, et obscurus. At Muretus in altera ex suis *Praefationibus* eum vindicat a notis Criticorum.

Tacius, sive *Tatius*, a Dionys. Halic. *l. 2. Antiq. Rom.* Rex Sabinorum, seu Curetum appellatur: ab aliis *Dux*, qui postea cum Romulo, pace inter Rom., et Sabinos facta, Romae regnavit, ac tandem a Laurentibus dicitur interfectus. Vide *Romulus* in *R.* Fuit militari virtute, et arte clarus, ut etiam politicis disciplinis illius aetatis eruditus.

Tages, in *Haruspicinis*, quae scripsit, citatur a Fulgentio Planciade, antiquo Grammatico.

Tanaquil, Uxor Tarquinii Prisci, Rom. Regis, foemina litteris, etiam Graecis, erudita. Ita Dion. Halic. *l. 4. Antiq. R.*

Tarpa, alio nomine *Maetius*, celebris Poetic commissionum, seu certaminum judex, ut indicat Hor. in *Arte, et lib. 1. Sat. 10.* Verisimile est, multa Opera Poetica edidisse, quibus magnum inter Poetas nomen, et celebritatem sibi comparavit: cum Poetae sui temporis ejus judicio starent. Verum de his *Operibus Tarpae* nulla mentio fit ab antiquis Scriptoribus, quos viderim. Solum in antiqua *Vita Terentii* de eo, tanquam de Scriptore, est sermo.

Tarrutius, ut Histor. citatur a Plut. in *Romulo*.

Tarquinius, *Priscus* dictus, 5 Rom. Rex, qui 38. an. regnavit, fuit vir eruditus etiam Graecis litteris, teste Dion. Halicarn. *l.* 4. *Antiq. R.* Scriptum reliquit *Ostentarium Arborarium*, citatum a Macr. in *Saturn.* Ex illo affert nonnulla Cael. Rhodig. *l.* 10. *c.* 7. *lect. Antiq.*, ubi de *Arboribus infelicibus*. Is M. Tullium Duumvirum, culeo insutum, in mare abjici jussit, eo quod *librum*, secreta Civilium Sacrorum continentem, ejus commissum custodiae, vel gratia, vel pecunia corruptus, Petronio Sabino describendum tradidisset. Ita Val. Max. *l.* 1. *c.* 1. Utrum *liber* iste compositus fuerit a *Tarquinio*, an ab alio ex Regibus, qui eum praecesserunt, anve ab alio privato? incertum. *Tarquinio* Regi, vel Prisco, vel superbo (nam in hoc Historici non conveniunt) oblati fuerunt a Sybilla, foemina provectae aetatis, *libri* 9, Oracula, sive Vaticinia continentes. Pro 9. petivit anus illa ingentem pecuniae summam, quam cum dare *Tarquinius* recusasset; coram eo 5. *libros* igni tradidit. Pro 6. aliis eandem summam mox petiit, quam, cum Rex Sybillam ridens, dare noluisset; 3. *libros* ex 6., qui supererant, combussit. Porro cum pro 3. postremis eandem summam posceret; tunc Rex, existimans, *libros* illos res magni momenti continere, protinus summam, quam poscebat, ei numeravit, et suos *libros* fecit. Romani Historici in numero librorum variant. Vide Gel. *l.* 1. *c.* 19., Plin. *l.* 13. *c.* 13., Solinum *c.* 8. Lact. *lib.* 1. *c.* 6. *Div. Instit.* Vide *Sybillae* in *S. Tarquinius Priscus* fuit, cujus jussu, Romae exstructa fuit Cloaca maxima, opus magnificum, et immensi laboris. A Decessoris sui Anci Martii (qui ceremonias a Numa institutas, renovavit, et Latinos, victos, ad Urbem adscivit) filiis occisus fuit. Juvat hic attexere, quoniam de Regibus Romanis facta mentio, Romam 244 fere annos sub Regibus fuisse, et Rom. Remp. post ejectos Reges usque ad C. Jul. Caes. annos 460. floruisse antiqua libertate. De annis, quos Romulus, et alii Reges regnarunt, dictum est verbo *Romulus* in *R.*

Tarquitius (T), ab aliis *Tranquillus*, ab aliis *Tarquinius* dictus (typographorum, ut arbitror, errore) scripsit de *rebus divinis*, et *librum* descriptum ex *Ostentario Thusco*. Citatur a Lact. *l.* 1. *c.* 10., ubi de *Aesculapio*: ab Ammiano *l.* 25., a Plin. in *Indice lib.* 2. *H. N.*, a Macr. *l.* 2., *et* 3. *Saturn.*

Tatianus (C. Jul. Rufinianus Ablavius), Rufiniani Oratoris filius, Fisci Patronus, et multis Praefecturis, ac Sacerdotiis Ethnicis sub Constantino M. ornatus. Ei statuam posuerunt Ordo, et Populus Abellinatium. Ita Inscriptio vetus apud Maffejum, et Muratorium, quam exponit David Runhkenius, de *Rufiniano agens*.

Taurus, Phil. Platonicus doctiss., Gellii magister. De eo saepe in *NN.* Fuit Plutarchi auditor, et plura edidit, inter quae *Commentarios in Platonem*, qui perierunt, vel latent.

Telephus, citatus ab Hor. *l. 3. Ode 14.* ut Poeta, qui videtur de *Tristibus*, et *Chronologicis* scripsisse. Diversum hunc arbitror a *Telepho*, Pergameno Gramm., qui plura Volumina de arte Grammatica, teste Suida, scripsit, et citatur ab Aeliano in *Hist. Animalium lib. 10. c. 42.* ubi de *Formicis*.

Telesinus, Poeta, cui Juvenalis *Sat. 7.* feliciora tempora sub Trajano gratulatur.

Terentia, Ciceronis uxor, ex qua Cicero prolem suscepit. Fuit foemina docta, quae de fontibus Tullianis hausit Sapientiam, teste S. Hier. in Jovinianum. Postea a Cicerone, ob turbas domesticas, repudiata, nupsit Sallustio, Ciceronis inimico. Vixit an. 103. teste Val. Max. *lib. 8. c. 13.* Plin. plures vitae annos ei tribuit.

Terentianus (Vulcatius), Hist., qui fl. sub Gordianis Imperatt., quorum *Vitas* scripsit. Ita Capitolinus.

Terentianus, Pref. pr. sub Juliano Apostata, cujus jussu occidit SS. Joannem, et Paullum, eo quod Jovem adorare noluissent. Postea Christianus factus, eorum *MM. Vitas*, et *Martyria* scripsit. Ita Histor. Eccles.

Terentius (Pub.), Afer Carthag. Terentii Lucani libertus, Poeta Comicus, Romae clarus, qui vivere desiit an. ante Christum 159. an. aetatis 37. Afranius Poeta ejus aequalis in *Compitalibus* ait: *Terentio similem non dices quemquam*: quidquid, sentiat Sedigitius, ei 5 locum inter Comicos tribuens. De *Terentii* eleganti Latinitate plura Cicero variis in locis, et alii Rom. antiqui. Verum quantacunque sit *Terentii* elegantia, non tantum fructus, quantum damni incauta juventus ex eo capiet, nisi purgatus ei legendus tradatur: quod factum video a Jesuita Gallo, Juvencio, qui ei breves Adnotationes addidit, ad scholarum usum. *Terentii* Archaismos, et Hellenismos nimis frequentes, quos in Christianis Scriptoribus *Soloecismos* appellarent nonnulli Critici, generatim notavit Q. Moderatus Censorinus in *Paradoxis suis*, ut etiam nova, et obsoleta vocabula, quae in Christianis *barbara* dicerentur. Praeter illic relata *Adnot.* 8. *ad Dissert. 3.* addi possent haec: *Postidea* pro *Postea*: *Alterae* pro *Alterius*: *Suspectio* pro *Suspicio*: *Odio tuo* pro *Odio tui*: *Audaciter* pro *Audacter*: *Aperite aliquis*: *Neque haud dicas*; *Itaque ergo amantur*: *Etiam consultis verbis quoque*: *Olim fuit isti generi quemdam quaestum*: *Solui* a *Soleo*: *Stulto intelligens, quid intersit*: *Nulli Servius Consilii* pro *nullius*: *Scibo* a *Scio*: *Hoc pater, hoc dominus interest*: *Congrueo* pro *Congruo*: *Oportent, et oportebant,*: *Ita nobis decet*: *Fructi*, *Ornati*, *Tumulti* in genitivo substantivorum in *us* quartae declinationis. Multo plura adnotavi in Plauto, quae libens omisi, Verbo *Plautus* in *P.* brevitati consulens. Nonnulla indicantur *in Paradoxis, de Vita, et morte Latinae linguae*. De *Terentio*, exstant C. J. Caesaris, et M. Tullii judicia Versibus elegantibus expressa, quae legi possunt in antiqua *Vita Terentii*, vel a Donato, vel a Suet. scripta. Obiit *Teren-*

tius in Arcadiae oppido, Stymphalo dicto, Coss. CN. Dolabella, et M. Fulvio Nobiliore, taedio amissarum *Fabularum 100.*, et eo amplius in naufragio, cum e Graecia Romam remigraret. Ita Cosentius, sive Cosconius, ut alii scribunt. Ita etiam Porcius Licinius, qui addit, pauperie pressum fuisse.

Terentius (M), Orator. Orationem, accusatus, pro se habuit post necem Sejani. In ea fatetur, se amicum Sejani fuisse. Ejus *Orat. Sentt.* affert Tac. *Ann. l. 6.*

Terentius, Reatinus Poeta. De eo Symmachus pater in *Epist.* ad filium ait, *Hebdomadon lib.* scripsisse, ac Epigrammatum adjectione condivisse, additque, se eum imitari studere.

Terentius (Libo), Poeta, Fregellanus. Forsitan hic erat *Libo*, qui *Annales* edidit. Vide *Libo* in *L.*

Ternutius, Phil.. et Mathem. Romae clari nominis. Varro eum rogavit, ut Romuli conceptum in diem, et horam deduceret, et ex ejus vita, rebus gestis, et institutis, secundum Astrologiae canones, ejus mortis genus colligeret, de quo adhuc dubitabatur. Vide Plut. in *Romulo*.

Corollarium II.

Tertius, Amanuensis S. Paulli, scripsit Corinthi *Epistolam ad Romanos*, a S. Paullo dictatam. Et hic animadverto, (quod nescio an ab alio animadversum fuerit), S. Paullum ad scribendum longam *ad Romanos Epistolam*, non Graeco homine erudito, quem proculdubio facile inter Christianos Corinthios invenire potuisset, sed homine Romano usum fuisse. *Tertius* enim, ut ejus nomen indicat, Romanus, seu Latinus erat: cum, etiam in textu Graeco, nomen Latinum Τερτιος, non Τριτος scriptum sit, et vix ullus Hellenismus in dicta *Epistola* inveniatur; ut inveniri plures solent, cum Scripta sunt ex Graeco versa in Latinum. Haec, et alia, quae mox promam, mihi persuadent, *Epistolam* illam non Graeco, sed Latino sermone a S. Paullo dictatam, et missam ad Romanos, et iccirco, Romano, non Graeco Amanuensi S. Paullum usum fuisse. Ut vero Latino sermone scriberetur, multas rationes habere potuit S. Paullus, coelesti prudentia instructus, et omnibus omnia fieri cupiens. Non ignorabat Apostolus, multos ex Christianis Romanis in Graeco sermone versatos parum fuisse, et *Epistolam* illam non intellecturos, si Latino, seu vernaculo Romanorum sermone exarata non esset. Agnoscebat item, Romanis magis placiturum Latinum sermonem, cujus expers non erat S. Paullus, Romanus civis, et Tarsi, ubi scholae Romanae litteraturae erant, eruditus, (ut nihil dicam de linguarum dono), et verisimile est, eum, ut ad Graecos Graece: ad Hebraeos Hebraice, ita ad Romanos, Romane, seu Latine scripsisse, quo se magis Civem Rom. probaret, et iccirco *Tertii*, hominis Rom. opera ad scribendum sine errore *Epistolam* illam usum fuisse. Et hic obiter addo, nomen numerorum *Primus*, *Secundus*, *Tertius*

indere solitos Romanos filiis suis secundum nascendi ordinem, et numerum filiorum, quos habebant, ac *Tertium* hunc appellatum, quia ordine tertius ex eadem matre natus fuit. Haec pace Interpretum doctissimorum, qui aliter sentiunt, dicta sint.

Tertullianus (Q. Septim. Florens), Afer doctiss., primum Ethnicus, ac ut multis videtur, insignis Jurisconsultus: deinde optimus Christianus, et tandem haereticus, Montani sectator. Plura edidit Opera, in quibus errores non pauci, praesertim in iis, quae jam Montanista scripsit, inveniuntur, et idcirco caute legendus. Nonnulla ejus Opera perierunt, vel latent, ut *6. libri de Ecstasi: lib. unus contra Apollonium*, et *liber de Fato*, citatus a Fulg. Planciade. Vide Ludov. de la Cerda, Jesuitam Hispanum eruditiss., qui *Tertullianum* comment. illustravit. Cujacius arbitratur, eum fuisse Tertullianum illum Jurisconsultum, qui sub Septimio Severo floruit. Alii diversum arbitrantur. Inter *Tertul.* opera sunt plura heroico Carm. scripta, ut *5. libri contra Marcionem*, quos affectos reliquit, *Carmen de Judicio*, ut etiam de *Sodoma*, *de Jona*, et *Ninive*, quae S. Cypriano tribuuntur, *Tertulliano* nonnulli adscribunt. Haec ostendunt, illum Poetam, etiam fuisse. Obiit ineunte 3. Eccl. seculo. S. Cyprianus magni ejus scripta fecit, et magistrum eum appellare solebat honoris caussa.

Tertullus, Orator, et Judaeorum nomine, S. Paulli Apostoli Accusator apud Felicem, Judaeae Praefectum. Ejus Oratio, sive Actio in S. Paullum, Latino sermone dicta a Tertullo coram Romano Praeside fuit. Vide *Acta Apost. c. 24.*, ubi narratur Tertulli Oratio, et S. Paulli pro se Defensio, Latino sermone proculdubio a S. Paullo data.

Tetradius, Poeta, Ausonii amicus, ad quem est Ausonii *Epistola* Carm. scripta, in qua eum tanquam Poetam insignem commendat.

Teucer (Octavius), in Gallia Grammat. Ita Suet. *de Ill. Grammaticis*.

TH

Corollarium III.

Theatrum, M. Scaurus, Syllae privignus, cum Aedilis esset, Theatrum fabricavit capax 80. millium hominum, ornatum ternis mill. statuarum, et 360. columnis. Vide Plin. *l. 36. H. N.*, ubi expensae factae in ejus constructione, quae indicant immensas *Scauri* divitias.

Themison, Medicus Rom. Asclepiadis discip., qui, et scriptis, et curandi methodo, ei contrarius fuit, et iccirco parum eidem gratus. Ejus *Epistolicorum libri* citantur a Caelio Rhod. *lect. ant. lib. 27. c. 14.*

Themison, Apuleji Servus, Medicinae non ignarus, teste Apulejo in *Apologia* sua. Vel hic, vel praecedens laudavit Plantaginem.

Themisthius, Sophista, Constantinopoli sub Juliano Apostata Praetor, *Orationes* habuit ad Christianos Imperatt. ante Honorium. In una ex illis suadet Valenti Ariano, qui Catholicos insectabatur, ut libertatem sentiendi circa Religionis dogmata omnibus concedat. In altera Ciceronem magnis ornat laudibus. Diversum ab hoc fuisse ar-

bitror *Themistium*, insignem Aristotelis Interpretem. Petavius notis illustravit *Oratt. Themistii*, quae extant.

Theoclius, Histor. scripsit de Valeriano Imperat., et citatur, ut Scriptor Caesarianus a Vopisco in *Valeriano*.

Theodoretus, Cyri in Syria Episc. sub Honorio clarus doctrina, et eloquentia. Supersunt plura ejus *OO*. Alia desid.

Theodorus, Poeta, Martiali parum carus, vel potius exosus: quod indicatur *Epigrammate* in eum, cum ejus aedes conflagrarunt.

Pierios vatis Theodori flamma Penates
Abstulit. Hoc Musis: hoc tibi Phaebe placet?
O! Scelus o! magnum facinus, crimenque Deorum
Non arsit pariter, et domus, et dominus.

In eundem est *Epigr.* aliud Mart. *l.* 5.

Non donem tibi cur meos libellos,
Oranti toties, et exigenti,
Miraris Theodore? magna caussa est,
Dones mihi ne tuos libellos.

Theodorus (Mallius), Orator insignis, a Claudiano laudatus.

Theodorus, Gadareus, Rhetorum sectae auctor, et Tiberii Caes. magister, teste Quintil. *l.* 3. *Inst. Oratoriarum*.

Theodosius, M. Imperator, natione Hispanus, militari virtute, et Christiana pietate clarus, Honorii, et Arcadii, postea Rom. Imperatoris pater. Nulla ejus Scripta, exceptis *Epistolis*, et *Legibus* ab eo latis, quae in *Cod. Theodosiano* leguntur, habemus. Si Theodosio Imperatori, adhuc homini privato, suas *Fabulas* dicavit Avianus, ut multi arbitrantur, ex Aviano novimus, eum multa Graeca, et Lat. eruditione floruisse, qua, si Claudiano credimus, instructum cupiebat Honorium filium. Etenim Claudianus in *Panegyr. de* 4. *Honorii Consulatu*, *Theodosium* sic ad filium Honorium loquentem inducit.

Et quae mox imitere legas: nec desinat unquam
Tecum Graja loqui: tecum Romana vetustas.
Antiquos evolve duces: assuesce futurae
Militiae: Latium retro te confer in aevum.

Multa etiam Claudianus de ejus Victoriis in *Panegyri de tertio Honorii Consulatu*. Oratorem eum fuisse, nullus dubito, ex saepe dictis de Oratoria, et Eloquentia Romanorum. De ejus singul. humilitate, in S. Ambrosium veneratione, ac de ejus gestis contra Arianos, et haeret. alios, vide Eccl. Hist. Illud in eo commendatione digniss. quod viros sapientes magno in pretio habuerit. Obiit Mediolani an. Christi 395. aetatis an. 50., ut ait Victor; sed alii, plures vitae annos ei tribuunt. Imperavit an. 16.

Theodotion, Ephesinus Sacrae Paginae interpres, multa addens, et multa demens in sua Versione. Primum Christianus, Taciani discipulus: deinde Marcionis Sectator, et tandem Judaeus circa an. Christi 184. Vide Baron. ad an. Christi 184.

Theodosius, Junior, S. Pulcheriae frater, Octennis Imperator renunciatus post patris Arcadii obitum an. Christi 408 In Religione, et politicis Christianis artibus a S. Sorore fuit eruditus, cujus monitis, et consiliis in minore aetate sua obsequebatur, et secundum ea Imperium feliciter regebat. Natu major litterarum expers non fuit, et viros doctos complures apud se habuit, Sacros Codices, et eorum Interpretes magna cura collegit, et asservari curavit, teste Socrate *l. 7. Hist. Eccl.* Ejus jussu compilatus fuit, et editus *Codex Theodosianus* dictus. Vide *Codex* in *C*. Una cum patruo Honorio plures an. imperavit. Obiit an. Christi 450. Vide *Eudocia* in *E*. *Paullinus* in *P*.

Theona (Livius), ab Epistolis, et Scriba a libris Pontificalibus. Ita in *Inscriptione* quadam veteri apud Panvinium. Erat is maritus Agriae Triphosae vestificae.

Theophanes, Mitylenaeus Historicus, CN. Pompejo familiaris, res gestas CN. PompeI scripsit. Ita Cic. in *Orat.* pro Archia Poeta.

Theophila, docta Poetria, amata a Canio, Poeta Gadit., laudata a Mart., qui eam Saphoni, Graecae Poetriae, comparat, sed hac castiorem dicit. Vide Mart. *l. 7. Epig ad Canium*.

Theophilus. Scripsit de *re rust.*, et citatur a Palladio. Forsitan hic est *Theophilus* Phil. citatus a Planciade.

Theophilus, Patriarcha Alex., S. Hier. amicus, qui Origenistas damnavit in Synodo, ab ipso coacta, et extinxit in Aegypto, teste S. Hieronymo, cujus sunt *Epistt.* ad eum, et illius ad S. Hier. Scripsit varia Opera, laudata a S. Hieron., et ab eodem in Latinum conversa. Demolitus fuit celebre Serapidis Alexandrinum templum. Floruit sub Theodosio. Vide *Synesius* in *S*. De ejus simultatibus cum S. Joan. Chrysostomo, Palladio Galata, et Ruffino ob Origenistas, vide Hist. Eccl.

Corollarium IV.

Thermae, seu *Sudatoria*, et *Balnea* ex aquis calidis, quibus Romani lavabantur, primum modica aedificia: postea vero, in immensum auctis divitiis, et luxu ex devictis populis, *Thermas* aedificarunt Romani, ut ait Marcellinus, instar Provinciarum cum ingentibus, et spaciosis porticibus, cum sylvis, cum natatilibus, cum lacubus, cum templis, et plataeis, cum statuis, et columnis, aliisque magni pretii ornamentis. Celebres erant *Thermae* Neronianae tempore Martialis.

Thrasillus, Mathem. Tiberii, in Rhodio diuturno secessu, vel exsilio, contubernalis, quem praecipitare decreverat Tib., quia falsa sibi praenunciare putabat. V. Suet. in *Tib. c. 14*. Gratia Tiberii rerum potiti postea Romae floruit. Interrogatus a Tiberio, jam sene (de successore nempe sollicito, ac, ut parum in Caligulam, Germanici filium, prono, ita in Claudium propenso) quisnam ei esset successurus: respondit, non magis Caligulam imperaturum, quam per Bajarum sinum equitaturum. Quod dictum C. Caligulae imperanti caussa

fuit extruendi pontem super illum sinum summis impensis; per quem ipse postea, more triumphantis, quadrigis vectus incedebat. Vide Suet. in *Caligula c. 19.*

Thuscus, Poeta, Ovidio coaevus. De eo cum laude Ovid. *de Ponto l. 4. Epist. 16.*

Thuscus (Corn.), Hist., et Declam. ineptus. Vide Sen. *Suas. 2.* Scaurum majestatis accusavit. Tacitus *l. 6. Ann.* eum Cornelium appellat, ubi de Servilio, et Cornelio, Scauri accusatoribus. Plinius in *H. N.* meminit cujusdam *Thusci*. Nescio, an hujus.

Thuscus (Clod.), citatus a Gellio in definitione *Soloecismi l. 5. c. 20. in Litteris ad Asinium Capitonem.*

TI

Tiberius, sive *Tyberius* (Cl. Nero), Caesar, Romae natus, et educatus, Graecis, Latinisque litteris instructus, plura edidit moroso, et obscuro stylo, teste Suet. in ejus *Vita*, ob quod reprehensus fuit a Vitrico Augusto. Suet. *Cap. 67.* promit partem *Epist.*, et partem *Orat. Tiberii* ad Senatum. Tacitus etiam in *Annal.* plures ex ejus *Orationibus* sententias affert. Filium amissum in Concione laudasse affirmat L. An. Sen. in *Consol. ad Martiam c. 17.*, et Suet. testatur, eum an. 9. aetatis patrem defunctum laudibus mactasse *Orat.*, sive a se, sive ab alio composita. Fuit magnus Lat. sermonis assertor, et per Rom. Imperii provincias propagator. Vide Q. Mod. Censorinum in *Parad. Dissert. 1.*, et ad hanc *Adnotationes*. Senatum consulebat, cum verbum aliquod non usitatum usurpabat. Vide *Capito* in *C*: *Pomponius* in *P*. In flore juventae, vivente Augusto, Oratorem agere non recusabat, defendendo, et accusando reos: et *Orationes* habuit pro Rege Archelao, pro Trallianis, et Thessalis. Majestatis accusavit Fannium Caepionem, et Varronem Muraenam, qui contra Aug. conjuraverant. Ita Suet. Corvinum Messallam, quem senem adolescens coluerat, imitari studebat in eloquentia. Non Orator solum, sed et Poeta *Tiberius* videri voluit. Ejus tamen Poetica *OO*. Graeca, et Latina aetatem non tulerunt. Inter ea erant *Lyrica* quaedam, inscripta *Querimoniae de C. J. Caesaris morte. Carmen* item edidit de nova stella, quae apparuit in V ejus Consulatu, quod *Carmen* laudatur a Plin. *lib. 2. H. N.* Juven. *Sat. 10.* meminit ejus *Epist.* ad Senatum de damnando Sejano. De artibus, quibus ambitionem suam in Senatu tegere conabatur, deque ejus pseudopolitica, multa Suet. in ejus *Vita*. Nonnulla tamen ab eo prudenter dicta, et facta narrantur, ut illud, cum rogaretur, ut novis tributis provincias oneraret: *Boni pastoris esse, oves tondere, non deglubere.* Gellius *l. 13. cap. 18.* initio, meminit ejus bibliot. publicae, in qua erat liber M. Catonis nepotis. *Tiberii* Vita fuit vitiis omnibus, crudelitate, luxuria, et vinolentia praesertim, ultra modum inquinata. Obiit, cum ad Capreas rediret, in Villa Luculliana. De ejus mortis genere varia est opinio, teste Suet. *c. 72, et 73.* Pop. Rom. de ejus obitu certior factus exul-

tavit. Omnibus quippe invisus erat propter suam crudelitatem, et tyrannidem, de quibus L. An. Sen. *lib.* 3. *de Benef. c.* 26. haec habet: *Sub Tiberio Caes. fuit accusandi frequens, et pene publica rabies, quae omni civili bello gravius Togatam Civitatem confecit. Excipiebatur ebriorum sermo: Simplicitas jocantium: Nihil erat tutum: omnis saeviendi placebat occasio: nec jam reorum exspectabatur eventus, cum esset unus*. Multa Satyrica Carmina in ejus praesertim crudelitatem fuerunt vulgata. In ejus Vinolentiam ignotus Poeta haec edidit.

Ternos vetusti congios falerni,
Uno die, conviviis peractis,
Hausit potentum Romuli nepotum,
Regnator audax, arbiterque regum.
Exinde plebs Quiritum eum vocavit,
Non Claudium, Tiberium, Neronem,
Sed Caldium, Biberium, Meronem.

Romanae foeminae, quibus per annos 700. vini usus, vigente lege Romuli, interdictus fuerat, solutae hac lege a *Tiberio* fuerunt. Vixit an. 78. Ita Suet. Imperavit an. 23. Obiit an. Christi 37: secundum Marianam 38.

Tiberianus, Poeta sub Constantino M. citatur a Servio, et Fulgentio, qui affert ex eo hunc versum:

Aurum, quo pretio reserantur limina Ditis.

Finxit, ex Antipodis vento ad se latam *Epist.*, et hac occasione tractat de iis, quae pro, et contra Antipodas dici possunt. Fuit Tragoediographus: nam Fulgentius citat ejus *Tragoediam Prometheus*. Citat etiam ejus *lib. de Socrate*.

Tibullus (Albius), Rom. Eques, qui bona paterna dilapidavit. Fuit Poeta elegiacus insignis, sed impudicus; laudatur a Poetis, et Criticis antiquis. Comes fuit in exsilio ad Phaeacum insulam Messallae Corvini, cui erat carissimus, et quem laudat Carminibus suis. Obiit an. 24. aetatis non multo post Virg. Ejus mortem deflet Ovid. De eo Horat. in *Ode lib.* 1, *et l.* 1. *Epist.* 4.

Tibullus, Poeta Comicus, diversus ab Elegiaco. Ejus Fabulam inscriptam *Helena* citat Fulg. et ex ea versum affert.

Ticida (C), Poeta Epigr. De eo Ovid. *Trist. l.* 2., et Suet. *de Ill. Gram.*, ubi de *Val. Catone* afferens versum *Ticidae*, quo laudatur *Lydia*, Val. Catonis Poema. Hujus, et praecedentis Carmm. desid. Citantur versus aliquot *Ticidae* satis ingeniosi, et culti ab antiquis Grammaticis.

Ticius, Orator, cujus mollem, et effoeminatam actionem Tullius reprehendebat: unde Saltationis, quoddam genus fuit *Ticius* appellatum. Ita Quintil. *l.* 11., ubi *de Actione, et Gestu Oratoris*.

Ticonius, Afer, in humanis, et divinis litteris eruditus. Sunt, qui tradant, eum Donatistam fuisse. Alii cum Possevino dicunt, contra Donatistas validissime scripsisse. Plura edidit, quae desid.

Superest solum *Tract. de 7. Regulis Sacrae Paginae interpretandae, in Bibliot. PP.* Ejus Epitomen affert S. Aug. *l. 3. de Doctr. Christ.* Citatur etiam a S. Aug. *l. 2. Retract.*, ubi praefert cujusdam sacri textus ab eo factam interpretationem S. Cypriani interpretationi.

Tigellinus, Neronis Aulicus, et ejus libidinum administer. Postulavit majestatis Petronium Arbitrum, aemulum suum, quem perdidit.

Tigellius, sive *Tigellus* (Hermogenes), Poeta, et Cantor, natione Sardus, ab Horatio notatus *Sat. 3., et 10. lib. 1.* Fuit Musicus, Augusto carus, qui inter Poetas chorum ducere ambiebat, ac de Poetis judicare. Forsitan judicium Horatii de eo nonnihil invidiae admistum habebat. Nam ut recte Hesiodus.

Odit faber fabrum, figuloque molestus est figulus,

: : Cantor Cantorem lividus odit. Addere potuisset, et *Poetam Poeta*. In eum etiam invehitur vetus Horatii Interpres, dicens: *Sardi Tigelli putidum caput venit*, et Cic. *Ep. 25. lib. 7. Famil. de Tigello*, ait: *Eum addictum jam tum puto Calvi Licinii Hipponactaeo praeconio*; sed forsitan Cic. de *Tigellio* alio loquitur. Ab Horat. *Sat. 3.*, ut cerebrosus, inconstantissimus, decoctor, et semper magna loquens depingitur.

Timagenes, Histor. De eo M. Sen. *l. 5. Contr.* ait, fuisse acidae linguae, et nimis liberae; adeo ut, cum ei iratus Caesar multis de caussis domo illum interdixisset; *Historias* rerum a Caesare gestarum, quas lucubrarat, combusserit, quasi, et ille Caesarem ingenio suo interdiceret. Fuerat servus, deinde cocus, ex coco lecticarius, et tandem Caesaris familiaris, et Historicus. Non liquet, an is fuerit *Timagenes*, Alexandrinus, a Gabino emptus, qui Romae docuit usque ad Augusti aetatem. Forsitan hic erat *Timagenes*, Sophista Alexandrinus, cujus aemulus fuit Hiarbitas. Amborum meminit Horat. *Epist. 19. lib. 1.*

Timolaus, unus ex 30. Tyrannis, quem ad Herennium fratrem scripsisse testatur Trebellus Pollio, et forsitan hic est Auctor *Rhetor. ad Herennium*, qui Ciceroni, aut Cornificio tribuuntur.

Tiro (Sabinus), scripsit de re hortensi. Vide Plin. *H. N. lib. 19.*

Tiro (Tullius), cujus nomen nonnulli per *y* perperam scribunt, Libertus Ciceronis doctissimus, ei, et universae Tullii familiae admodum carus, ut ex *Epistolis* a Tullio, ab ejus fratre, et filio ad eum absentem, et aegrotantem scriptis colligitur. Fuit magno ingenio, et memoria praeditus, quibus, industria sua adhibita, doctrinam non vulgarem comparavit. Vide *Notarius*, et *Notae* in *N.* Ordinavit patroni sui, scripta: et Epistolas, tum missas, tum acceptas a Cicerone in libros digessit post mortem, ut arbitror, Ciceronis. Hic enim *Epist. 5. lib. 16.* ad Atticum ait: *Mearum Epistolarum nulla est Συναγογε sed habet Tiro instar septuaginta: et quidem sunt a te quaedam sumendae: eas ego, oportet, perspiciam, corrigam, tum denique edentur.* Scripsit etiam Ciceronis *Vitam*, et alia, quae desid. De eo meminit Gellius variis in locis, in quibus indicat, magnum Criticum eum

fuisse, licet ejus crisim non semper probet immo, nonnunquam repellat. *Tironis* judicium de Catonis *Oratione* pro Rhodiensibus affert Gel. *l. 7. c. 3.*, ubi eum ab ingenio, doctrina, et antiquitatis cognitione laudat, ac adjutorem, et adminiculatorem studiorum Ciceronis fuisse affirmat. Verum plus ausum, ait, quam tolerari, ignoscique ei possit, Catonem reprehendendo. Praeter *Ciceronis Vitam*, cujus librum 4. citat Asconius in *Comment. ad Orat. pro Milone*, edidit de *Jocis Ciceronis libb. 3.*, qui a nonnullis Ciceroni tribuebantur. Vide Macrobium *lib. 2. Saturnalium c. 2.* Hi libri notantur a Quintil. *lib. 6. c. 2.*, eo quod in eis sint *Joci*, seu *Dicta* valde frigida, et sine delectu. In *Dial. de Oratoribus* citatur *Tiro*, qui Ciceronis occasum tradit, contigisse VII. Id. Decembris, Pansa, et Hirtio Coss. *Tironem* consenuisse in Puteolano praedio testatur S. Hier. in Eusebii Chronico, et verisimile est, illic obiisse. Canonem suorum Scriptorum Tironem Cicero appellabat; eum tamen notat in altera ex Epistolis propterea, quod perperam usus esset adverbio *fideliter*, de sua valetudine scribens.

Titianus (Jul.), Maximini Imperatoris magister, scripsit *libros Provinciarum*, laudatos a Capitolino, et Servio. Vocabatur sui aevi Simia: eo quod omnes scite imitaretur. Alii eum *Tatianum* appellant Ausonius laudat ejus *Fabulas*: Diomedes ejus *libros de Agricultura*: Sidonius demum citat ejus *Illustrium Foeminarum Epistolas*, *et Themata Virgilii*.

Titinius, Poeta, *Togatarum Fabularum* Scriptor, cujus meminerunt Varro, Festus, Nonius, et Charisius. Ejus *Fabulae*, seu *Comoediae* desid.

Titius, Poeta memoratus ab Hor. *lib. 1. Epist. 3.*, et a Cic. in *Bruto*. Florebat non procul ab Afranii aetate. Forsitan hic fuit *Titius*, qui Lyrica, et alia carmina panxit, quae desid. Nec liquet an diversus ab hoc fuerit

Titius, Rom. Eques, quem ut maximum Oratorem laudat Cic. in *Bruto*, licet Graecas litteras nesciret. Eum fuisse Poetam Tragicum, quem imitari L. Afranius studuit, ibidem indicat.

Titius, quidam, ut Grammat. citatur a Macr. *lib. 3. Saturnalium*. *Titius*. Ad eum est Ciceronis *Epist. lib. 5.*, in qua de ejus sapientia loquitur eum consolans.

Titus, Rom. Imp. Vespasiani filius, Romae natus, et educatus, *Amor*, *et Deliciae generis humani* ob suam beneficentiam dictus. Fuit singulari praeditus memoria, et docilitate ad omnes artes. Fuit item Latinae, et Graecae linguae peritus, ac ad orandum, et pangenda carmina promptus, facilisque usque ad extemporalitatem, ut tradit Suet. in ejus *Vita*. Ejus *Poema de Cometa* citatur a Plin. *l. 2. Hist. Naturalis*: quae *Historia* fuit a Plinio ei dicata. Necatus creditur a fratre Domitiano, imperandi cupido, clam ei in convivio propinato veneno. Imperavit an. 3., et in flore aetatis e vivis excessit, Nestoris annos vivere dignus. Obiit an. Christi 81. Ejus *OO.* desid.

Corollarium V.

Toga indumentum erat Romanorum, quod super tunicam gestabant, ut Graeci pallium. Toga candida induebantur Tirones ipso tirocinii die. *Tirones* autem dicebantur; non novi solum Milites, sed, et illi, qui Eloquentiam auspicabantur in foro. De M. filii tirocinio Arpini inito scribens M. Tul. in *Epist. ad Atticum*, Togam puram eam appellat. Tirones etiam militares *Candidati* dicti fuerunt a *toga* candida, quam induebant, cum Sacramento militari obstringebantur. Romani *Gens togata* appellabatur, et Gallia Cisalpina *Gallia togata*, quia apud Gallos istos toga in usu erat, qua Transalpini Galli non induebantur in *Gallia Comata*, *et Brachata*.

Torquatus (T. Manlius), Juris civilis, et Pontificii peritiss. Filium suum D. Syllanum severissime judicavit, auditis Macedonum querelis, quibus praefuerat, eum, et Repub., et domo sua indignum censens, ac a conspectu suo abesse jubens. Ita Val. Max. *lib. 5. c. 8.*

Torquatus, Orator, amicus Horatii, a quo ad coenam invitatur *Epist. 5. lib. 1.* Ab hoc defensus fuit Moschus Rhetor, veneficii reus. Ignoro, sit ne is L. Manlius *Torquatus*, quem nobilem, et facundum fuisse indicat *Ode lib.* 4. ad eum. Hic Cos. fuit eodem anno, quo natus fuit Horatius. Orginem ducebat ab illo Manlio, qui Gallum occidit, et torque spoliavit, ob quod *Torquatus* dictus.

Torquatus (L), Orator, subagresti vir ingenio. Accusavit de conjuratione Corn. Syllam, quem defendebat Hortensius: et ut constat ex *Tabulario* antiquo diurno Urbis, quod affert Funcius, ad V. Kal. Septemb. pro Sylla accusato a *Torquato*, caussam dixit Cicero. Cum de caussa Syllae esset quaestio, *Torquatus* Hortensium appellavit *Dionysiam*, quae erat Saltatrix, et gesticularia quaedam notissima: cui Hortensius: *Malo*, inquit, *Torquate*, *Dionysiam esse*, *quàm*, *quod tu*, *agrestem hominem*, *intractabilem*, *et inelegantem*.

Torquatus (C. Bellicius), Poeta sub Trajano clarus, coaetaneus C. Plinio Caecil., et L. Calpurnio Pisoni, illi, qui de *Continentia Vet. Poet.* scripsit, et Cos. fuit ordinarius cum Vettio, Rustico, Bolano an. U. C. 863.

Torquatus (L), diversus a praecedenti. Cic. *l. 1. de Finibus* eum, tanquam doctum Epicureum loquentem inducit, quin ei agreste ingenium tribuat. De eodem tanquam, jam fatis functo, loquitur multis eum mactans laudibus in *Bruto*, seu de *Cl. Orat.*

Toxotius, Poeta, et Vir Senatorius ex familia Antonini Imp. Floruit sub Maximino Imp. Nonnulla ejus Poemata legebantur J. Capitolini aetate. Forsitan ex eo originem traxit

Toxotius, Vir nobiliss., S. Paullae, Matronae Romanae doctissimae, filius, matris cura proculdubio litteris apprime eruditus, et optimis moribus informatus. Vide *Laeta* in *L.*

Trabeas (Q), Poeta Comicus, laudatus a Cic., qui nonnullos ejus Versus affert. Sedigitius ei 8 locum inter Comicos dat.

Trachallus, Orator, a Quint. laudatus *l. 12. Inst. Orat.* ob gratissimum vocis sonum in recitando suas *Oratt.*, quae desid.

Tragoedi Latini antiqui. Horum paucissimae *Tragoediae* integrae ad nos pervenerunt. Fragmenta multarum collegerunt Stephani, Martinus del Rio, Hisp. Jesuita doctiss., et Scriverius. In Senecae integras *Tragoedias*, quae supersunt, insignes *Comment.* Martini del Rio habemus. Primos edidit an. aetatis 18., quos postea dedit auctiores, ex quibus partem dicavit J. Lipsio, ejus intimo amico, quem ex Orci faucibus se extraxisse dicit, eum ad Catholicos redire amice hortatus tempore Belgicae ab Hispanis defectionis.

Trajanus (Ulpius Nerva), R. Imp. a Nerva adoptatus, de Rom. Repub. optime meritus, a Plin. Caecil. in celebri *Panegyr.*, et gratiarum Actione pro suo Consulatu miris encomiis celebratus, praesertim a militari virtute, a litterarum, ac litteratorum amore, ac in hos beneficentia. Dionem Phil. secum in curru triumphali duxit, ut ejus doctrinam ornaret. Rebellantes Judaeos armis compressit, in Christianos ob religionem inquiri vetuit; multi tamen eo imperante fuerunt martyrio coronati. Scripsit *Dacica*, quorum *liber 1.* citatur a Prisciano *l. 2: Commentarios, et Constitutiones de re militari*, citatas a Vegetio Renato *de re militari* scribente. Haec, et alia *OO.* desid. Supersunt solum *Epistt.* breves, sed gravissimae ad Plin. Caecil. Imperavit an. 19: vixit 64. Obiit in Cilicia apoplexia correptus an. Christi 117. (antea aqua intercute laborabat) cum arma in rebellantes Parthos pararet. *Optimi* Agnomen fuit ei inditum a Romanis, qui *Trajani* bonitatem Successoribus optabant. Herba parietaria ab Antonino Imper. appellabatur, quia nomen suum omnibus aedificiis publicis a se exstructis inscribi jubebat. Illud non omittendum, Trajanum contra exactiones, et tributa immodica dicere solitum: *Fiscum esse veluti lienem, quo excrescente, artus ceteri contabescunt*. Ita Sextus Aurelius in *Juliano*. Vide ejus Dictum memorabile ad Praef. pr. Verbo *Praefectura* in *P*.

Tranquillus (C. Suetonius), Romanus Litteratus, sub *Suetonii* nomine magis notus, et citatus. Fuit Orator, et Historicus nimio plus diligens: quippe qui potuisset plura impudica Imperatorum, quorum *Vitas* scripsit, sine damno praeterire, vel ea tantum generatim, et verbis honestioribus indicare. Multa edidit, quae desid. In *12. Imperatorum Vitis* initium *Vitae C. Jul. Caesaris*, ab eo editae, non exstat. Ejus supplementum dedit Ludov. Vives, stylum suum Suetoniano accommodans. Scripsit etiam *lib. de Illustr. Gramm.*, qui exstat. Desiderantur *Ludicrae* ejus *Historiae*, citatae a Gel. *l. 9. c. 7.*, et supersunt solum fragm. *de Claris Poetis, et de Cl. Rhetoribus*. Scripsit insuper, secundum Possevinum, *de Regibus: de Praetoribus: de Rom. Institutis: de Officiorum Institutione: de Signis*, sive *Notis: de Anno Rom.: de Vestium generibus: de Spectaculis: de Graecis Certaminibus*, sive *Ludis:* quae *OO.*, ab antiquis citata, arbitror, in-

tercidisse. Floruit sub Adriano, cui fuit ab Epistolis. Suidas testatur, eum scripsisse contra 6. libros Didymi Chalcentrici, in quibus Cicero taxatur. Verum neque Opus istud comparet. Vide Ammianum *lib. 22.* In *Epist.* Plinii Caec. ad Trajanum *lib. 10.* legitur magnum *Suetonii* elogium.

Trasea (L. Paetus), Patavinus, Orator egregius, de quo Tac. *l. 15. Ann.*, ubi narrat ejus sententiam Senatui probatam. Vide *Antistius* in *A.* Occisus fuit jussu Neronis, accusante eum M. Eprio. Laudatur a Mart. *l. 1. et 4. Epigr.*, a Plutarcho, a Suet. in *Domitiano*. A Tac. *l. 16. Ann. Virtus ipsa* appellatur. *Trasea* magnum Patavii decus laudabatur tanquam Judex integerrimus a Nerone, ei infenso: Dicere enim solebat Nero: *Utinam tam me amaret Paetus, quam ipse Judex integerrimus est.* Amatus a Paeto fuisset proculdubio, si Nero amore dignus fuisset.

Trebatius (C. Testa), celebris Jurisconsultus, ad quem sua *Topica* scripsit Cic. ejus amicus. *Trebatii liber de Religionibus* citatur a Gel. *l. 6. c. 12. NN.*, et a Macr. *l. 3. Saturn.* Cicero *lib. 7. Epist. Fam.* in *Epist.* ad C. J. Caes. (cui postea ille fuit a consiliis) eum commendans, dicit Caesari de eo: *Hominem probiorem, meliorem virum, prudentiorem esse neminem: Accedit: familiam ducit in jure Civili, singulari memoria, summa scientia.* Eum cavillatur Cicero, eo quod Epicureus factus esset: quae Secta Juris inimica dicitur.

Trebianus, Vir litteratus, Ciceronis amicus. Eum solatur Cic. *Epist. 11. lib. 6. Famil.* Videtur Pompei partes in bello civili secutus, et exsul tunc fuisse, cum ad eum Cicero scribebat.

Trebonius (C), Asiae Praef., amicus Ciceronis, ad quem misit Carmina inter navigandum scripta contra malum civem. Vide *lib. 12. Epist. Famil.* Alium librum eidem miserat, in quo collegerat salsa, et acuta dicta Ciceronis. Vide *Epist. ult. l. 15.* Ad eum antea miserat Cicero *Lib. de Orat.* Vide *Epist. 20.* Cic. *lib. 15. Trebonii OO.* desid.

Triarius (C), laudatus a Cic. in *Bruto*, et *l. 1. de Finibus*. Ejus *Orationem* vocat plenam litteratae senectutis. Indicat etiam, eum in *Histor.*, et *Poeticis* valde versatum fuisse. Ejus Scripta desid.

Triarius, Rhetor, citatus cum laude a Sen. in *Controv.* De eo tamen ait: *compositione verborum belle cadentiam multos Scholasticos declamando delectabat: omnes decipiebat.* Addit insuper, reprehendisse in quadam *Controversia* ejus dicta laudantes: quo effecit, ut deinceps etiam ab ipso bene dicta tardius aliqui laudarent, insidias veriti.

Corollarium VI.

Tribuni plebis, qui erant Plebis veluti Patroni, et Tutores contra Patricios, magna auctoritate Romae pollebant. Hi ante valvas Curiae, ad quam intrare eis non licebat, subsellia sua habebant, et Decreta Senatorum diligentissime examinabant, ut siqua improbassent, rata esse non sinerent. Itaque veteribus Senatusconsultis littera *T.* addebatur ad indicandum, *Tribunis pl.* probata fuisse. Oporte-

bat, eos in Rom. legibus versatos esse, et Oratoriae non expertes. Saepe enim debebant plebem defendere *Orationibus* suis, resistendo Senatus Romani Decretis, seu Senatusconsultis, quibus plebem Patricii vexare tentabant leges infringendo, vel novas condendo, et hoc *intercedere* dicebatur: quod jus intercedendi cuilibet *plebis Tribuno* competebat. *Tribb. pl.* nunc majori, nunc minori numero fuerunt. Tribunitia potestas, quae tempore Syllae, plebis inimici, abolita fuerat, eo mortuo, fuit instaurata. Verum postea Caesares, rerum potiti, Tribunitiam potestatem, ut etiam Pontificatum Maximum sibi adjudicarunt. Quamvis a nonnullis inter Magistratus Tribunatus pl. non recenseatur, tanti tamen fiebat haec dignitas, ut multi ex Patriciis Plebej fierent, ut possent Tribunatum pl. obtinere. Innumerae *Tribunorum pl. Orationes*, quarum nonnullae populares turbas excitarunt, ut de Gracchanis dictum est, desiderantur. Vide Scriptores de Rom. Magistratibus tractantes. Ex illis intelliges, Tribunitiam potestatem fuisse sacrosanctam, et inviolabilem: adeo ut Diis Sacer esset, et morte plectendus, qui Tribuno pl. vim inferret. *Tribunorum plebis* domus apertae diu, noctuque erant, ut omnibus, et quovis tempore aditus ad eos pateret, si quid esset cum eis agendum in favorem plebis, cujus jura tuebantur.

Trimatius, *Vir doctus* a Gel. appellatus) Scripsit *Iliada*, cujus *lib.* 2. citatur a Gel. *l.* 6. *c* 6. *NN.*

Trio, Orator, et Accusator CN. Pisonis.

Corollarium VII.

Trismegistus (Hermes), Phil. Aegyptius, non multo posterior Mose, ex cujus Scriptis forsitan didicit superstitionem Ethnicorum rejicere, ac bene sentire de Deo, in cujus laudem plures hymnos panxit. Praeter plura Carm. lingua patria edita, scripsit *Dial.*, in quo Asclepius loquitur. De eo ait Lactantius *lib. 6. Divin. Instit. c.* 25., cum Prophetis tam re, quam verbis congruere. Ejusdem sententiam affert de Justitia, et de Dei cultu, ibidem Latino sermone expressam. Alibi eum citat afferens ejus Graeca verba ex *lib. de Sermone perfecto*: quae Opera ex lingua Aegyptia in Graecam versa primum arbitror, et postea ex Graeca in Latinam. Saltem ante S. Aug. aevum ejus Opera in Latinum versa fuerunt. Sunt, qui *Trismegisti* Opera, quae leguntur, supposititia putent, ut Sybillina.

Corollarium VIII.

Triumphus, summus honor Romae, ducibus victoribus hostium concessus, cum ex bello redibant. Pompam triumphalem describit Cic. in *Pisonem*.

Corollarium IX.

Troja, celebris in Phrygia Civitas (unde oriundi per Aeneam, et Comites, ex ea, a Graecis capta, et combusta, in Italiam appulsos prisci Romani dicuntur) a Graecis expugnata nec fuit, nec Trojani a Graecis in bello victi, licet id tradat Homerus, cui consentit Vir-

gilius: quin immo Graeci a Trojanis victi, et fugati fuerunt. Immo nonnulli, qui confictum item reputant decennale Trojanum bellum, ab Homero decantatum.

Trosius, Gramm. M. Aurelii Imp. in Lat. Grammatica magister.

Tryphon, doctus Judaeus, quo cum disputat S. Justinus M. in *Dial. cum Tryphone*.

TU

Tubero (L. Aelius), Jurisconsultus, qui scripsit de *Jure privato*, et *publico*. Fuit etiam Orator, quippe qui accusavit Ligarium, Pompejanas partes in bello Civili secutum, a Cicerone apud C. J. Caesarem eloquenter defensum. Damnatus fuisset hic a Caesare, nisi sua eloquentia Cicero eum eripuisset. *Tuberònis Oratiò* contra Ligarium desid., et ipse, a Cic. in hac caussa victus, dicitur foro valedixisse.

Tubero (Q.), citatus a Suet. in *C. J. Caesare*, ut Historicus, narrans, C. J. Caesarem, a primo suo Consulatu ad initium belli Civilis, CN. Pomp. haeredem instituisse, et testamentum suum ab ipso Caesare militibus pro concione recitatum fuisse.

Tubero, alius a praecedenti, Q. Ciceronis in Asia Legatus, quem laudat Cic. in *Epist. ad Q. Fratrem*. Fuit Hist., ut Cic. indicat *Epist. 1. ad Q. Fr. l. 1.*, ut etiam Halicarn. *Rom. Antiq. l. 1. c. 10.* Mihi persuadeo, hunc, ob nominum similitudinem, ab Scriptoribus cum praecedenti confundi, ut etiam cum L. Aelio Tuberone, de quo antea. Ejus *Hist.* desid.

Tubero (Q. Ael.), Jurisconsultus, vir priscae frugalitatis. Scripsit *Librum Histor.*, et *de Officio Judicis* ad C. Oppium, citatum a Gel. *l. 7. c. 9. NN.* Cicero in *lib. de Jure in artem redigendo*, (qui periit, et lectus fuit a Gellio, eum citante *l. 1. c. 22.*) ajebat, Doctrina juris hunc *Tuberonem* majoribus suis superfuisse. Is Lucullum, ob aedificiorum amplitudinem, opulentiam, et magnifica opera, quibus terras, et maria occupabat, *Xerxem Togatum* appellabat. Alter ex Tuberonibus, *Histt. lib. 1.* loquitur de Servio Tullio, Rom. rege, et de ejus circa aetates judicio. Ita Gel. *l. 10. c. 28.*

Tucca (Plotius), Poeta Epicus, Virgilii amicus, et Augusto carus, cui una cum Vario, Virgilii defuncti *Aeneidos* Opus emendandum Augustus commisit, ut in lucem ederetur. Ab Horatio cum laude memoratur. *Tuccae OO.* desid.

Tucca, Poeta, de quo Mart. *l. 12.* Epigr. ad eum, indicans in omni Carminum genere fuisse versatum.

Tuditanus (C), citatur a Gel. *l. 13. c. 14.* ejus *Commentarius 13.*, qui cum reliquis desid. Quo de argum. esset *Comment.* ille non dicit Gellius. Laudatur *Tuditanus* a Cic. in *Bruto* tanquam elegans Scriptor, et citatur a Plin. *l. 13. c. 13. H. N.*, et a Macr. *l. 1. Saturn. c. 13., et 16.*

Tullianus (Statius), citatur a Macr. *l. 3. Saturn. c. 8.* ejus *Liber 1. de Vocab. rerum*.

Tulliola, Ciceronis filia, cujus Epistolas ad se citat Cic. in *Epist.*

ad Atticum. Omnium optima, et doctissima a patre appellatur in *Consolatione*, de ejus morte, et consecratione loquente. Ita Lact. *l. 1. Div. Instit. c. 15*. Fuit desponsata C. Pisoni, celebri Orat.: deinde Dolabellae nupta, et tandem Crassipedi, de quibus Cic. in *Epistt.* In via Appia, e regione conditorii Ciceronis inventum fuit sub Sixto IV Pont. muliebre cadaver, quod ex inscriptione conjectatum fuit, Tulliolae fuisse. Id erat aromatibus ita conditum, ut temporis injuriam non senserit. In eo visebantur capilli aureo reticulo impliciti summa omnium admiratione. Cadaver, in Urbem delatum, triduana mora computruit, medicamine amoto. Vide Cael. Rhod. *l. 3. c. 24. Lect. ant.*

Tullius (M), avus Ciceronis, Orator, qui restitit Gratidio, ferenti legem tabellariam, cujus soror erat avia Ciceronis. Ita Cic. *l. 3. de leg.*

Tullius (M), Ciceronis pater, qui infirma usus valetudine in Arpinati villa aetatem egit in litteris. Uxorem habebat Elpiam, Ciceronis matrem, nobilem, et divitem foeminam. Vide Cic. *de leg. l. 2.* paulo post initium.

Tullius, Servus, et Scriba Ciceronis. De eo in *Epist. ad Rufum l. 5. Famil.* Ciceronis. Forsitan hic erat, vel Laurea, vel Tiro, postea liberti Ciceronis, eidem valde cari.

Tullius (M), Orator, cujus meminit Cicero *Epist. 3. l. 2. ad Q. Fratrem*. Accusavit Sestium de vi, qui defensus fuit a M. Tullio Cicerone. Accusatoris *M. Tullii Oratio* desid.

Tullius, Cimber Rhetor, in quem sunt Scazontes in *Catalectis* veterum Poetarum.

Tullius (Servius), sextus Rom. Rex, belli, et pacis artibus clarus. Is, cum 44. an. regnasset, a Tarquinio Superbo, ejus successore, et genero occisus fuit. Operam dedit studio Juris Civilis, ac de *Contractibus, et Delictis 50. leges* rogavit. Item de *Foenore*, de *Nexis*, de *Aere alieno*. Ita Dion. Halic. *l. 4. Ant. Rom.* Verisimile est, ex his nonnullas saltem inter *leges 12. Tabul.* inveniri. Multorum namque Jurisconsultorum fert opinio, leges Regias, quae in Jure Papyriano collectae erant, et in unum Juris corpus redactae, non omnes abolitas, ejectis Regibus; sed plures ab Appio Claudio, et Coruncano in *12. Tabulas* insertas fuisse. De *Servio Tullio* ait Dionys. Halic. *lib. 4.* artibus, et disciplinis fuisse eruditum cura Tanaquil, et Tarquinii Prisci, qui eum filii loco habuerunt, et ejus ingenio delectati, Successorem in regnum voluerunt. T. Livius in fine *l. 1.* citat Servii Tullii Commentarios, qui desid. Aul. Gell *l 10. cap. 28.* meminit ejus de *Aetatibus* judicii. Plura de Servio Tullio vide apud Plut. de *Fortuna Romanorum*. Primus fuit, qui aes Romae signavit pecudis nota, unde *Pecunia* dicta. Antea permutationibus, vel aere non signato in contractibus utebantur Romani.

Corollarium X.

Quoniam in hoc *Syllabo* saepe a me facta mentio de *legibus 12. Tabularum*, ac multis ex antiquitatis studiosis non displicebit, Lati-

nitatem illorum temporum, idest post 300. an. ab Urbe condita, ex parte saltem agnoscere; non piget hic exscribere leges aliquot dictarum *Tabularum*, ut de reliquarum Latinitate conjectura fiat.

1. *Sei parentem puer verberit; ast oloe plorasit, puer Deiveis parentom sacer esto.*

2. *Sei hemonem fulmin Jobis occisit, nei supra cenua tollitod: hemo sei fulmine occisus esit, ei jousta nulla fieri oporteto.*

3. *Pellecs asam Junonis ne tangito: sei tanget, Junoni crinibus demiseis agnom foeminam ceditod.*

4. *Cuojus auspicio clase procincta opeima spolia capiuntur, Jovei Feretrio bovem caeditod, cuei cepit airis ducenta dasier oportebit.* Ceteras vide apud Jurisconsultos.

Praefatae leges varie a variis describuntur. Quae a me sunt adductae conformes videntur Latinitati, et Orthographiae illius aevi, quae colligitur ex variis illius aetatis marmoreis Inscriptionibus, praesertim ex columnae rostratae C. Duillii incisa. Ut nunc, Augusti etiam aetate, ferrea, et horrida videbatur haec Latinitas, quia ea in usu amplius non erat. Verum antiquis Romanis forsitan ferrea, et horrida visa fuisset Latinitas aevi posterioris.

Turius. De eo indicat Cic. in *Orat. pro Balbo*, in Jure praediatotorio valde versatum fuisse. Ignoro sitne hic *Turius*, de quo Horat. *Sat. 1. l. 2.*, tanquam de Judice iniquo, et venali loquitur.

Turnus, Poeta Satyr., Memoris frater. De eo Mart. *l. 11. Epigr.*

Turpilius, Poeta Comicus. Fl. an. 170. ante Christum. Citatur ejus dictum a S. Hier. in *Epist. ad Niceam*, et in *Chron.* tradit, obiisse an. U. C. 651. Plura fragmenta exstant a Grammaticis antiquis adducta ex Turpilii Comoediis.

Turranus, Poeta Trag. Ovidii aequalis. Vide *Epist. 16. l. 4. de Ponto*.

Turrinus (Clodius), citatus a Sen. in *Prooemio lib.* mihi *10. Controv.*, ubi judicium suum de ejus eloquentia filiis exponit.

Turrius, laudatus a Sen. in praefato *Prooemio*, ubi indicat, Hisp. Rhet. fuisse, valde sibi carum, adeo ut eum inter filios suos numeraret. Indicat insuper, ejus patrem valde disertum, et eloquentem fuisse.

Tuticanus, Poeta, amicus Ovidii a puero. Mutuam operam invicem sibi praestabant in emendandis Carminibus, quae componebant. Vide in *libb.* Ovidii *de Ponto Epist. ad Tuticanum*.

Tutilius, Rhetor insignis, qui floruit Quintiliani, et Martialis aetate. De eo Martialis *lib. 5. Epigr.* ad Lupum, ubi haec: *Famae Tutilium suae relinquat*.

TY

Tyrannio, Gramm. insignis, patria Amasaeus, Strabonis Geographi, civis sui, magister, ut Strabo testatur. Captivus Romam ductus fuit a Lucullo post victum Mithridatem. Ibi claruit, et dives evasit. Biblioth. habuit librorum ultra 3000., inter quos erant Opera Arist.,

quae possederat Apellico Tejus. Fuit Scriptor librarius Ciceronis. Ei namque Cic. suam bibliot. ordinandam commisit, et designationem, seu titulos librorum in operculis describendos demandavit: qua in re Ciceronis voluntati satisfecit. Videtur etiam Indices librorum confecisse, et curasse de conglutinandis Codicibus opera librariorum Attici adjutus. Vide *Epist. 4., et 8. lib. 4. Epist.* Cic. ad Atticum. *Tyrannio* docebat Q. Fr. Ciceronis filium, qui egregie erudiebatur. Ita Cic. *Ep. 4. l. 2. ad Q. Fratrem*. Ejus proprium nomen erat *Theophrastus*. Dictus postea fuit *Tyrannio*, quia puer pueros alios varie exagitabat, et vexabat.

Tityrus, Poeta, qui *Pastoritia* edidit. De eo Ovid. *l. 4. de Ponto Epist. 16.*

Corollarium XI.

Quae hic dicenda occurrunt de littera *T*, dicta sunt *Corollario 2.* in littera *A*, et *Corollario* postremo de littera *D:* quae vide. Quibus addi potest, veteres nonnulla scripsisse, et pronunciasse per *T*, quae nunc per *S* scribuntur, et pronunciantur, ut *Mertare*, *Pultare*, quae nunc *Mersare*, *Pulsare* dicimus, et scribimus. Nonnulla etiam nunc per *D* scribimus, quae olim per *T* scribebantur, ut *Alexander*, *Cassandra*, olim *Alexanter*, *Cassantra*. Per litteram *T* notabant Romani praenomen *Titus:* et Cael. Rhodig. contendit *Lect. antiq. l. 10. c. 8.* per *litteram longam*, quam de se anus Staphila facere decrevit apud Plautum, non *I*, sed *T* litteram intelligendam, cujus cum transversa trabe, ex qua suspendi volebat, figuram exhibitura erat.

VA

VAgellius, Poeta Lyricus, L. An. Senecae amicus. Eum citat Sen. *l. 6. NN. QQ. c. 2.* vocans inclytum hunc ejus versum.

Si cadendum est mihi, coelo cecidisse velim.

Valens (Statilius), Hist. *Trajani Vitae* Scriptor, citatus ab Spartiano in *Alexandri Severi Vita*.

Valens (Vectius), eloquens Medicus sub Claudio Caesare, de quo Plin. *l. 21.*

Valens, Episcopus Arianus, et Arianae factionis una cum Ursatio Coryphaeus, qui, sub Arianis Principibus, multis conciliabulis contra Nicaenam fidem, et S. Athanasium praesederunt. Cum S. Hilario, propter fidem Catholicam exsule, disputare ausi illi non fuerunt. Ne disputarent cum eo, sedi suae restitui eundem procurarunt.

Valens, Imperator Arianus, frater Valentiniani, optimi Catholici, qui filium Gratianum novennem Augustum appellavit. Exstant in *Cod. Theod.* leges latae a Valentiniano I., et Valente, quibus Magistris Urbis, et ejus uxoribus immunitates conceduntur, ac de his, qui Romam studiorum caussa adibant, multa optime decernuntur, ut in disciplinarum studio profectus faciant usque ad an. 20. aetatis, post quem ad patriam remeare jubebantur. Non licebat eis ad spectacu-

la, et convivia intempestiva frequenter adire, eisdemque legibus turpem inhonestamque famam, ac consociationes, proximas criminibus, fugiendas ab Scholasticis statuebatur. Item Roma expelli, et verberibus publice affici, qui non ita se gesserit, *ut liberalium rerum dignitas poscit*. Imperavit *Valens* in Oriente an. 14. Vixit an. 50. et in tugurio combustus periit an. Christi 378.

Valentinianus I. Imp., vir bonarum artium studiosus, animo gravis, vitiorum osor, ingenio solers, sermone cultissimus, et taciturnus. Pictor, et fictor egregius, ac disciplinarum studii optimis legibus promotor. Vide *Valens* supra: *Pictura* in *P.* Obiit an. Christi 375: aetatis 55: Imperii 12. De eo multa cum laude doctrinae Vegetius Renatus in Opere de *re militari*.

Valentinianus II. Imp., Gratiani frater, et Valentiniani I. fil. Citatur ejus *Oratio* ab Ammiano. In *Cod. Theod.* sunt plures hujus Leges, et Rescripta ad Praeff. pr. in favorem litterarum, et litteratorum. Exstat etiam *Epist. ad Syricium Papam*, qua ejus electionem, acclamationibus populi Romae factam, approbat, et laudat, ac inter Symmachi *Epistt.* sunt nonnullae ad Symmachum scriptae. Obiit Viennae in Gallia an. aetatis 27: Christi 392: Imperii an. 8. strangulatus in cubiculo ab Arbogaste.

Valentinus, haeresiarcha, Romae notus sub S. Telesphoro Papa 2. Eccl. Sec. Repulsam Romae passus in petitione Episcopatus in Cypri insula somniavit insana multa de 30. Aeonibus masculis, et foeminis, minora quaedam saecula ab illis genita fingens, ex quibus Christum ortum affirmabat, multos alios errores addens ex disciplina Platonica. Tertull. ajebat, Ovidium *Metamorphoses* suas deleturum, si *Valentini* fabulosa saecula, et generationes agnovisset.

Valentinus (Val.), scripsit ficto nomine Tapullam legem. Ita Festus Pompejus. Forsitan hic est, qui C. Cosconium accusavit, et cujus carmen recitatum fuit in judicio: quo lecto absolutus fuit Cosconius, licet evidenter nocens, ob carmen inverecundum *Valentini*, et *Valentinus* accusator damnatus. Vide Val. M. *l. 8. c. 1.* Sunt qui eum non *Valerium*, sed *Laberium Valentinum* appellent.

Valeria: de hujus *Oratione* ad Volumniam, Coriolani matrem Plut. in *Coriolano*.

Valerius, Aedilis, et Orator ad populum reum egit Q. Flavium Augurem, qui absolutus fuit ob violentum dictum Accusatoris. Ita Val. M. *l. 8. c. 1.*

Valerius (L), Jurisconsultus, commendatur a Cic. in *Epist.* ad Appium Pulchrum tanquam unus ex intimis familiaribus. Vide *Epist. 1. lib. 3. Famil.* Indicat etiam, litteras ab eo accepisse. De ejus peritia in Jure ambigue scribit Cicero in eadem *Epist.*

Valerianus (Plin.), Medicus Comensis, secta Empiricus ante tempora Constantini M. Scripsit de *re medica*, omnia fere ex C. Plinio Secundo accipiens.

Valerianus, Imp. R. a Sapore Persarum rege victus, et mancipii vilis loco habitus, ab eodem tandem pelle nudari, et saliri barbare jussus. In Vopisco, ejus *Vitam* scribente, sunt multa ejus *Epistt.*, in quibus Aurelianum, postea Imperatorem, laudat. Jussit, sua scribi in libris linteis, et asservari in bibliot. Ulpia, ex quibus plura sumpsit Vopiscus, ut etiam ex scriniis Praef. Urbis, quae citat. Interiit an. Christi 260.

Valgius (T), Poeta, ex Consulari familia, qui fl. secundum Ricciol. 45. an. ante Christi aeram. Laudatur a Tibullo, et Horatio. Scripsit *Elegos*, ac, vel hic, vel alter ejusdem nominis, *Carmen de Aetna*, citatum a L. Seneca *Epist. 62.* ad Lucil. In antiqua *Vita Terentii* citatur *Valgius* in *Actaeone*, et nonnulli ejus versus afferuntur. Sunt etiam apud Servium, et S. Isidorum nonnulla *Valgii* Carmina. Tibullus *l. 4. Elegia* ad Messallam de eo ait,

Aeterno propior non alter Homero

et Hor. *l. 1. Sat. 10.* eum conjungit cum Vario, Virgilio, et aliis, quibus placere in primis optat.

Valgius (C), Apollodori Rhet. discipulus, qui diligentissime *Praecepta Rhetorices* Apollodori Latine tradidit. Ita Quint. *l. 3.*

Valla (L. Tuccius), Medicus, citatus a Plin. *l. 7. H. N.*

Vallius (Syriacus), Orator disertus, accusator J. Sabini, hominis, etiam in periculis, et miseriis faceti. V. *Sabinus* in *S.* Fuit Theodori Rhet. discip., ut ipse Brutio Nigro respondit, notatus quod parum distincte Caussam proposuisset. Ita Sen. in *Controversiis*.

Varius (Q), de quo, cum laude Oratoris, Cic. in *Bruto*. Fuit Hisp. Sucronensis. Ita Val. Max. *l. 3. c. 7.*, et Paedianus in *Comment.* ad *Orat. Cic.* pro *Scauro*. Accusavit Scaurum, et citatur a Quint. *lib. 5.*, ubi de *Usu Argumentorum*.

Varius (Lucius), Poeta de quo meminit Ovid. de *Ponto l. 4. Ep. 16.* Tacitus laudat *L. Varii Thiestem*, et Quint. *l. 10.* ait, *Varii Thiestem* cuilibet Graecorum Tragoediae comparari posse. Sunt qui affirment, hanc *Tragoediam* esse Cassii Parmensis, cujus scripta, jussu Augusti, fuerunt a *Vario* Athenis combusta, eo quod arma contra Aug. pro M. Ant. tulisset, et *Varium*, ceteris Cassii scriptis igni traditis, sibi *Tragoediam* illam reservasse, et attribuisse indigno plagio. Ita Raphael Regius in Quint. Hic *L. Varius* fuit Poeta Epicus, et Gramm. cui Aug. una cum Tucca *Aeneidem* Virg. emendandam tradidit. Erat Virgilii amicus et ab eo haeres institutus. Virgilius eum *Varum*, non *Varium*, appellat *Ecloga 9:*

Vare: *tuum nomen, superet modo Mantua nobis,*
Cantantes sublime ferent super aetera cygni:

quibus indicat, Mantuanum fuisse. Horat. eum laudat *l. 1. Sat. 10*, *Varium* eum vocans, ut etiam *Ode*, mihi *5. lib. 1.* de eo tanquam de insigni Epico mentionem faciens. Testabatur, Virgilium paucos versus uno die composuisse. Ita Quint. *l. 10.* Nonnulla *Varii Carm.*

de Morte affert Macr. l. 6. c. 1. Saturnal. [illegible] cui ius, et

Varro (M. Terent.), Romanorum doctissimus Ciceronis aequalis, ac [illegible] Erat Philosophus, Hist., Gramm., Poeta, Orator [illegible] Theol., et in omni antiquitate versatissimus, adeo ut 41. libb. Antiquit. scripserit. Vide S. Aug. *l. 6. de Civ. Dei*, et Cic. *l. 1. QQ. Acad.* initio. Forsitan hi *libri* erant *Annales*, quorum undecimum laudat Nonius, notans eum *Paupertates* in plurali usum fuisse. Vide etiam Quint. *l. 10.*, ubi de *Copia verborum*. Innumera Opera edidit, quorum fragmenta collegerunt viri eruditi, inter quos Riccobonus Criticus Rhodiginus. In *libris de Imaginibus*, sive de *Hebdomadibus* de se scripsit *Varro*, quae sequuntur: *Ego quoque jam 12. annorum hebdomadam sum ingressus, et ad hunc diem 70. hebdomadas librorum conscripsi, ex quibus aliquot, cum proscriptus essem, direptis bibliothecis meis, non comparuerunt*. Haec proscriptio, ab Antonio Triumviro decreta, contigit an. U. C. 710. De ejus bibliotheca meminit Cic. in *Epist.* ad eum *l. 9. Famil.* Inter libros, quos edidit, numerantur minimum *24. de lingua Lat.*, quorum nonnullos Ciceroni dicavit, ut ei Cic. *libros Acad. QQ.* Item *liber de Historia* citatus a Gell. *l. 16. c. 9*: *libri de Repub.*, quorum vigesimum citat Nonius *c. 2.* Claruit magis eruditione, et doctrina, quam sermonis elegantia. Affectavit enim in stylo antiquitatem, usus multis vocabulis, suo aevo jam exsoletis, duris, horridis, et etiam sordidis. Leguntur item in eo multae constructiones, Grammaticorum praeceptis parum conformes, quae in veteribus Christ. Scriptoribus tanquam Soloecismi a Criticis notarentur. *Varroni* condonari potest inelegantia; si enim multum de verborum delectu sollicitus fuisset, non ita facile tot opera edere potuisset, quae eo numero fuerunt, ut videatur nullum ei tempus aliorum lectioni, nec suorum correctioni superfuisse. Quae ratio valere debet pro Scriptis Latinis priscorum Christianorum, et Patrum, quorum nonnulli, ut S. Aug. plura, quam *Varro* scripsere. Inter Ciceronis *Epistolas* sunt aliquae a Tullio ad *Varronem* scriptae; sed animadverti, ne unam quidem *Varronis* ad Cic. inveniri. Forsitan eas praetermisit Tiro Tullius, quia minus elegantes, quam aliorum, erant. Revera ipse fatetur in *libris de lingua Latina* Ciceroni dicatis, se verbis Poetarum elegantibus delectari, sed non uti; verbis antiquis post Regem Romulum uti, sed non delectari. Addere poterat se res magis, quam verba, dare voluisse. Tituli Operum editorum a *Varrone* videri possunt in Riccobono inter Fragmenta ab eo collecta. Nonnullos *Varronis* libros valde breves fuisse arbitror, ut *Satyrae Menippaeae*, quas Menippum Graecum Satyricum imitatus, lucubravit. Obiit nonagenario major ante Christi aeram an. 25. Ita Ricciol. vixitque 10. fere an. post mortem Ciceronis. Multa *Varroni* honorifice, quae praetermitto, legi possunt *lib. 1. Acad. QQ. Cic.* initio, ubi etiam in *Ramdi Censorini de Vita, et Morte Lat. linguae*, Dissertat. et [illegible] in Responsione, sermone Italo edit.

ta, cui titulus: *Rifleffione all'Accademia dell' accaduto in Parnasso* &c., ubi pro *Varrone* contra Dagarinium testimonia Plinii Hist. Suetonii et S. Isidori in *Paradoxis* afflata, adducuntur. *Varronis* esse dicitur Epigr. de Licinio, Augusti liberto, et tonsore magnifice tumulato. En illud:

Marmoreo Licinius tumulo jacet: at Cato nullo:
Pompejus parvo: credimus esse Deos?

D. Brutus in *Epist.*, quadam ad Cic. *l.* 11. *Famil.* indicat, ditissimum fuisse.

Varro (C. Visellius), Orator, Ciceronis consobrinus, laudatur a Cic. in *Bruto*, ut perfectus in litteris, ac in Jure Civili sub disciplina Aculeonis, ejus patris.

Varro, Poeta, Martiali coaevus, ad quem est *Epigr. l.* 5., videtur Lyricus, et Comicus fuisse.

Varro (P. Terent.), Poeta Atacinus, cujus mentionem facit Hor. *l.* 1. *Sat.* 10. Natus creditur in oppido Galliae Narbon. prope flumen *Atax* dictum, an. U.C. 672. Nonnulli dant ei *Lucii* praenomen. Alii eum confundunt cum M. Terentio Varrone. Scripsit *Satyras*, Horatio parum probatas, et *Bellum Sequanum* carm. heroico libris aliquot, quorum secundus citatur a Prisciano *l.* 10. Edidit insuper *Argonauticon libb.* 4. citatos a Val. Probo in Virgil. De eo Sen. *Contr.* 16., et Quintil. *lib.* 10. testatur, Virgilium non dedignatum Varronem Atacinum imitari. Testatur etiam hic *lib.* 1., ubi de *Grammatica*, *Varronem* (omittit illic praenomen) res physicas scripsisse. Vitruvius citat, vel hunc, vel alium Terentium Varronem, qui de *Architectura* scripsit. De *Atacino* etiam *Festus* verbo *Tutum*. *Varronis* hujus OO. desid.

Varus (Quintilius), Cremon., a Virg. amico laudatus in *Eclogis*, nisi si illic de *Vario* sit sermo. In Germania periit, imperante Augusto, cum toto, cui praeerat, exercitu, victus a Germanis. Augustus hac clade adeo commotus fuit, ut caput interdum foribus illideret, dicens ira extra se raptus; *Vare legiones redde*. Horat. Virgilium solatur in *Vari* morte, quam aegerrime ferebat *Ode* quadam *l.* 1. 8., et illic *Varum* multis laudibus extollit. Eusebius in Chron. ejus mortem adscribit an. U. C. 730.

Varus, Poeta Martiali coaevus. De eo *lib.* 8. *Epigr.*

Cum facias versus, nulla non luce, ducentos
Vare, nihil recitas: non sapis, atque sapis.

Vatinius, Rom. Eques, probrosae vitae, et Orator, qui in quadam *Orat.* ab eo habita, Ciceronem *Consularem Scurram* appellavit. A Cic. autem reus postulatus, tam acerbe exagitatus fuit, ut, descriptis ejus flagitiis, in summum populi Rom. odium incurrerit. Unde *Vatinianum Odium* in proverbium abiit pro ingenti odio significando. Non liquet, an is sit *Vatinius* a Calvo, accusatus. Vide *Calvus* in C. Hic *Vatinius*, qui a Cicerone accusatus, corruptis pecunia Judicibus, absolutus evasit; postea a Cicerone defensus, in judicio da-

[nobilis] fuit. Ita Cic. in *Epist.* ad *Lentulum*. Seneca eum vocat hominem natum, et ad risum, et ad odium: Scurram venustissimum, et dicacem. Macrobius ait, fuisse a populo in ludis gladiatoriis lapidatum.

VE

Vectius Augur, et Vates in Augurali disciplina insignis. De eo tradit Varro in *libris Antiquitatum*, eum praenunciasse, Romanum Imperium post 1200. annos finem habiturum. Quod videtur accidisse post multas barbarorum in illud incursiones, cum Augustulus fuit ab Imperio per Odoacrem dejectus prope finem 5. Ecclesiae Seculi. Quo loco ejus vaticinium habuerint Romani? nescio. Illud scio, Virg. sine fine futurum R. Imperium cecinisse.

Vegetius (P), scripsit de arte Veterinaria, seu de *Mulo-Medicina libb.* 4. Floruisse videtur in fine 4. Eccl. seculi. *Vegetius* iste, perperam cum *Vegetio* Renato confunditur. Vide *Renatus* in *R*.

Vellejus (C), Senator, et Phil. princeps Romae Epicureorum. Ita Cic. de *Nat. Deorum*, qui eum pro Deo Epicureorum loquentem inducit. Non confundendus cum C. *Vellejo Paterculo*.

Venatus (Cl.), Orator praeclarus sub Alex. Severo. Ita Lampridius.

Venonius, Rom. Historicus, de quo Cic. in *Epist.* ad Atticum, dolens, se ejus Historias non habere. Verum jam eas legerat, cum de *Legibus* scribebat. Nam *lib.* 1. eum inter exiles, et nudos Scriptores historicos numerat.

Venusianus (Petronius), Poeta, cujus aliquot supersunt fragmenta.

Veranius, Orator, alter ex Accusatoribus CN. Pisonis. Ita Tac. *l.* 3. *Ann.*

Veranus, scripsit de *Verbis Pontificalibus*, et citatur a Macrobio *lib.* 3. *Saturn.* Fortasse hic non *Veranus*, sed *Veratius* appellabatur, cujus *Pontificales Quaestiones* citantur ab eodem Macrobio *lib.* 3. *Saturn.*, et error typographicus in ejus nomen irrepsit: quo errore, ex uno bini Auctores facti sunt.

Corollarium I.

Verba, seu vocabula. His ut pecunia, cujus aestimatio nunc major, nunc minor est, uti debemus. Ac quemadmodum jus novae cudendae, et antiquandae pecuniae penes Principem est, ita penes populum est jus, et norma loquendi, seu nova verba cudendi, et usitata antiquandi, ut recte Horatius in *Arte*. Vide *Oratores* in *O*.

Verinus (CN. Egnatius), cujus liber historicus citatur in collectione Fragmentorum Vet. Histor.

Verrius (Flaccus), Gramm. citatus a Gell. *l.* [illegible] 12., ut Auctor operis de *Verbis Latinis, et Graecis*: quod Opus desid.

Corollarium II.

Versiones. Dictum alibi est, Romanos valde diligentes fuisse in vertendis in Latinum aliarum nationum Operibus illustrioribus. Versiones autem antiquas Latinae praedictorum Operum, praesertim Graecorum,

qui disciplinas omnes illustrarunt, tum ab Ethnicis tum a Christianis factae ante Honorium, vel latent, vel interciderunt: adeout ne sacrorum quidem Bibliorum antiquae *Versiones* integrae ad nos pervenerint. Earum fragmenta, Italae in primis, seu antiquae Vulgatae magis communis, et receptae, solum manent in Sanctorum Patrum Scriptis. Vide *Biblia* in *B*. *Versio* vulgata Latina Sacrae Paginae, qua ut authentica utitur Romana Ecclesia decreto Conc. Tridentini, post aliquot correctiones, jussu Romanor. Pontiff. factas, in rebus, quae bonis moribus, et rectae Fidei non adversantur, nondum libera a mendis evasit, ignorantia, vel incuria Exscriptorum.

Vertacus (Julianus), antiquus Mathematicus, citatus a Sidonio Apollinare in *Epist*. ad Pontium Leontium, praefixa *Carm. XXII.*

Verus (Aur. Antoninus), una cum M. Aur. Antonino Philosopho, Rom. Imperator, magnus poetarum fautor, et patronus fuit. Capitolinus ejus *Vitam* scribens tradit, in pueritia Versus cupide fecisse, sed invita Minerva: et cum esset Imperator, ab amicis poetis, disertis, et eruditis, quos secum habebat, in pangendis Carminibus adjutum fuisse. Obiit apoplexia correptus post 9., aut 10. annos Imperii circiter an. Christi 171. In Inscriptionibus, et Numismatibus antiquis hic, et M. Aur. Phil., qui una post Antoninum Pium imperarunt, *Divi fratres* appellantur.

Verus (Aurelius), Hist. scripsit *Vitam Trajani*, citatam ab Spartiano in *Vita Alex. Severi*. Ignoro, an ex eadem familia esset *Verus* Praef. pr. ad quem sunt leges Theodosii, et Valentiniani, honorificae Episcopis, Presbyteris, et Levitis, quae leguntur in *Cod. Theod.*

Vespasianus (Flav.), in Sabinorum oppidulo quodam natus, inter optimos Rom. Imp. numerandus. Fuit civili, et militari prudentia clarus, ut etiam amore litterarum, et litteratorum. De Judaeis triumphavit, una cum filio Tito, deletis Hierosolymis per Titum. Instauravit sua oeconomia, (quam nonnulli avaritiam appellabant) rationes Rom. Reip., quae ante ipsum ob bella civilia multa intertrimenta passae fuerant. Refecit Capitolium, et 3000. tabularum aerearum, quae cum Capitolio conflagrarant, quaesitis undique exemplaribus eorum, quae in eis scripta erant, instrumenta pulcherrima confecit, in quibus continebantur pene omnia ab Urbis exordio Jurisconsulta, Plebiscita, ut etiam Societates, Foedera, et Privilegia cuicunque concessa. Primus fuit, qui annuum minerval ex fisco Rhetoribus designavit, atque constituit. Fovit etiam excellentes Poetas, et Artifices. Ipse autem ingenio minime tardus, et infacetus fuit. Vide *Florus* in *F*. Suam eruditionem scite, et opportune ostendebat, cum aliquem notabat, ei versus Homeri applicans, non sine cavillis, et facetiis urbanis. Ita Suet. in *Vespas. c. 8.*, *et* 18. Imperavit an. 10. Obiit an. Christi 79. Vixit an. 69. De eo dixit Tacitus, solum imperantium mutatum in melius fuisse. Mariana in Hispaniae Latina Historia affert elegantem *Vespasiani Epist.* ingen-

tam Saborae, incisam tabulae aereae.

Corollarium III.

Vestales erant Virgines, Cereris sacra curantes, quae stupri convictae, vivae sepeliebantur in campo ob id *scelerato* dicto. Earum munus erat, ignem perpetuum custodire. Quae extingui ignem passa esset, a Pont. Max. flagris caedebatur. Ad eas etiam spectabat arcanum imperii pignus adservare, quod Palladium putabatur, Deaeque sacra adsidue facere. Ob has curas multis privilegiis gaudebant, ut reum obvium a supplicio liberare: testamentum condere: lictorem, jus trium liberorum, et locum honestiorem in spectaculis habere: carpento vehi: vittis, et veste praetexta uti: in deprecando magna auctoritate pollere: Viri insuper etiam primarii eis locum in via potiorem cedebant. Vide *Pontifices* in *P*. Quae *captae* erant, per 30. annos suo ministerio erant obstrictae, post quos nubere poterant. Primis 10. annis sacra discebant: decennio proximo ea exercebant: tertio decennio juniores ea docebant. Hoc Sacerdotium cum aliis Ethnicae superstitionis, imperante Theodosio M e medio sublatum fuit. Vide *Symmachus* in S. De *Vestalibus* Plut. in *Problem.*, et *an seni sit gerenda Resp.*?

Vestalis (Fabius), scripsit de *Pictura*. Ita Plin. *l. 35. H. N.*

Vestilius (Sex.), accusatus sub Tib., quod quaedam contra J. Caes. scripsisset, ejus impudicitiam notans, se interemit. *Vestilli Scripta* desid.

Veturia, Coriolani mater. Ejus *Oratio*, qua filium, Romanis iratum placavit, memoratur a Livio, ejus Sententias afferente *l. 2. Hist. R.*

Veturius (Titus), magister Alex. Severi. Ita Lampr. in *Severo*.

UG

Uganius, Poeta, cujus nonnulli exstant versus. Flor. an. 68. ante Christi aetam.

VI

Victor (Aurel.), Cos., et Hist. sub Theod. M. scripsit brevi stylo Vitas Imperat. Scripta ejus, quae exstant, debemus Andreae Schotto, qui ea invenit, et primus edidit. S. Hieron. in *Epist.* ad Paullum Concordiensem petit, sibi mitti Aurelii Victoris Historiam propter notitiam persecutionum.

S. *Victor*, Papa, et M. Afer, passus sub Severo initio 3. Eccl. Seculi, scripsit de *Paschate*. Supersunt nonnullae ejus *Epistt.*, aliae desid. Theodorum Byzantinum, prave de Christo sentientem, ab Ecclesia ejecit. Sedit an. 9., et 2. fere menses.

S. *Victorinus*, Episc. Pictav., et M. passus sub Valeriano, et Gallieno, scripsit, teste S. Hier. *Commentt. in Apocalyp.* in quibus ait, Neronem in fine mundi Antichristum futurum. De eo loqui videtur etiam in *Epist.* ad S. Paullinum, Nolae postea Episc.

Victorinus (Cl. Marius), Massil. Orator Christ. scripsit Carmine Epico 3. *libris in Genesim*, et *Epist.* ad Salomonem Abbatem. Obiit sub

Valentiniano, et Theod. M. Ita Gennadius, qui eum, ut etiam S. Hier. *Victorinum* vocat; licet ab aliis *Victor* appelletur.

Victorinus (Fab. Marius), Afer, celebris Romae eloquentiae Professor publicus, et plurium Senatorum magister, qui sub Juliano Apostata Christianam professionem publico docendi magisterio praetulit. Sunt qui dicant, ei erectam statuam in foro Trajani. Laudatur a S. Aug., qui testatur, plures Platonicos libros in Latinum ex Graeco vertisse, et contra Manichaeos *binos libb.* edidisse. *Poema* etiam *de Machabaeis* lucubrasse dicitur, eique tribuitur *Hymnus de Homousio*, *et Poema de Christo Deo, et Homine*. S. Hier in priore *Apologia contra Rufinum* loquitur de ejus *Comment. in Ciceronis Dialogos*. In Bibliot. PP. sunt nonnulla *Victorini* Opera, quae forsitan sunt alterius *Victorini*. Supersunt etiam Fragm. *Victorini de Orthographia, et ratione metrorum*. Sancto Augustino *Victorini* hujus, in senecta aetate ad Christum conversi, exemplum a Simpliciano propositum fuit, ut Christi fide, et baptismate initiaretur.

Victorinus, Tolosanus Sacrae aulae comes, laudatus a Numatiano in *Itinerario*, qui ejus virtutes, prudentiam in primis, et sapientiam commendat. De eo ait, summos honores ruris amore contempsisse.

Victorinus (C. Marius), (sic eum appellat S. Hier. *Prooem.* in *Epist. S. Paulli ad Galatas*,) Afer, Christ. auctor, scripsit contra Arianos sub Constantio, et *Commentt. in Epist. S. Paulli*, S. Hieronymo parum probatos. Nonnulli tradunt, Virum Consularem fuisse. Verum existimarim, hunc eundem esse cum praecedenti, de quo S. Aug. in *lib.* 8. *Confess.*

Victorius, quem Quintil. virum litterarum flagrantissimum appellat, ei dedicans suas *Oratorias Institutiones*.

Vigilantius, haereticus, quem S. Hier., qui eum refutavit, *Dormitantium*, et Calagurritanum cauponem vocat. Damnabat cultum reliquiarum SS. Martyrum, et Vigilias ad eorum sepulchra: austeritates item, et jejunia. Erat Gallus natione, licet Parochus esset Diaecesis Barcinon, in Catalonia. Supersunt nonnulla fragmenta Scriptorum *Vigilantii* in S. Hieronymo, contra eum scribente ad preces Desiderii, et Riparii, qui S. Doctori *Vigilantii* librum miserunt. Heic non praetermittendum, fuisse etiam Calagurrim in Gallia.

Vindex, Orator. De ejus in Neronem *Oratione*, vide Sueton. in *Nerone* c. 41. Haec Or., et aliae, si quas edidit, desid.

Vindex (Nonius), Statii amicus, Poeta, et optimus Judex Operum excellentium antiquorum Pictorum, Statuariorum, et Sculptorum, quae collecta in Musaeo habebat. Vide Statium *l.* 4. *Sylv.*

Vindicianus, Valentiniani I. medicus, laudatus a S. Aug. in *libb. Confessionum* 4., et 7. tanquam Princeps Archiatrorum. Ad eum est lex Gratiani Imp., et Valentiniani filii de *Medicis*, an. Christi 379. quae exstat in *Cod. Theod.*

Vinicius, Orator [illegible] egregius sub Aug., qui *de eo dicebat*, in-

genium in numerato habere. Fuit summus Ovidii amicus. Ita Sen. *lib.* mihi *10.*, *Controv. 4.*, ubi errore, ut puto, typogr. *Unicus* pro *Vinicius* legitur. De consanguineo enim Martialis, qui *Unicus* appellabatur, ad quem sunt Mart. *Epigr.* loqui non poterat Seneca. Caussas ex tempore orabat, sed nolebat extemporalis Orator videri, nec sibi id in laude poni. Ita Sen., qui testatur, ex Civibus neminem praesentius ingenium ad agendas caussas habuisse; quidquid enim longa meditatio ei praestatura erat, prima animi intentio dabat. V. Sen. *Declam.* mihi 5. *lib.* 2.

Virgilius, sive *Vergilius* (P. Maro, natus an. U. C. 674.), Poeta Mantuanus, Latinorum Epicorum Princeps, quem nonnulli Homero praeferunt. Florebat an. 20. ante Christi ortum sub Aug., cui carus erat. Edidit nonnulla, quae desid., et alia ei tribuuntur, quae ejus non sunt. Plura ab Homero mutuatus est, praesertim comparationes, ut videre est apud Macrobium in *Saturn.*: multa item ex Ennio, ea meliora reddens. V. *Ennius* in *E*. *Aeneiden* imperfectam reliquit, quod Opus, quia morte praeventus emendare non potuit, igni tradi jusserat, quod Augustus non permisit. Vide *Tucca*, *Varus*, in suis litteris. Joan. Harduinus oleum, et operam perdidit, conatus probare: *Aeneiden Virgilii* non esse, licet *Georgica*, et *Eclogas* illi tribuat. Obiit e Graecia redux Brundusii an. U. C. 735., unde ejus ossa Neapolim, ubi diu vixerat, et sepeliri optabat, fuerunt Augusti jussu translata. Suo Sepulchro inscribi jussisse dicitur hoc Epitaphium.

Mantua me genuit: Calabri rapuere: tenet nunc
Parthenope: cecini Pascua, Rura, Duces

Recens autem Neapoli inventum est brevius Epitaphium Virgilii.

Sistite viatores, quaeso: Pauca legite: Hic Maro situs est

De ejus Operibus Ovid.

Tityrus, et segetes, Aeneiaque arma legentur
Roma triumphati dum caput orbis erit.

Plura *Poematia* ei tribuuntur, de quorum germanitate merito dubitatur. Ego vix crediderim, *Priapeja* ejus esse, quae quidem in latrinas, vel in ignem mitti satius fuisset, quam Josephi Scaligeri, et aliorum *Commentariis* illustrari. Semel caussam oravit in foro, quae *Oratio* non exstat. Cum coram Cicerone, et aliis *Eclogam* quandam valde juvenis recitaret, a Tullio, *Magnae Spes altera Romae* est appellatus. Bibliothecam habuit librorum refertissimam, quam viris eruditis omnibus patere volebat. Erat bene moratus, mitissimo ingenio, et disciplinis omnibus eruditus. Eruditionem suam insigni modestia ornabat, et viros doctos multo honore sine invidentia prosequebatur; quo impetravit, ut omnibus, etiam Poetis sui temporis illustrioribus, carus esset. Nihilominus non defuerunt illi obtrectatores. Fuit, qui scripsit *Antibucolica*, et *Antiaeneida*. Cum publice recitaret ex *Georgicis* illud: *Nudus ara: sere nudus*, quidam Poeta, fecit

tus, qui aderat, protinus subjunxit: *Habebis frigora, febrem*. C. Caligula volebat in omnibus bibliothecis scripta, et imagines *Virgilii* abolere. Macrob. in *Saturn. l. 1. c. 24.* affert fragm. *Epist. Virg.* ad Aug. quae integra non exstat. Sunt nonnulli, qui arbitrentur, potuisse Virgilium nobiliorem originem Romanis, et Augusto dare, affirmando, quod nonnulli faciunt, Trojanos non victos a Graecis, sed hos a Trojanis superatos, et fugatos fuisse. Poterat Aeneas cum aliis in Italiam venire, quin Troja flammis tradita fuisset, et quin Aeneas patriam proderet. Romanos a victis Trojanis, et ab Aenea proditore originem trahere, res mali ominis videtur, ac Romanis parum gloriosa. Vide *Troja* in *T*.

Virgilius, Poeta Mimographus sub Hadriano, et Antonino. Hujus *Mimicae Fabulae* desid.

Virgilius (M), Trib. pl., et Orator, qui diem dixit Syllae Dictatori. Dicebat parum, seu raro orabat. Ita Cic. de *Cl. Oratoribus*. V. *Magius* in *M*.

Virginius, sive *Verginius*, Rhetor. Is interrogabat Antisophistem suum, quot passus declamasset? quia cursitando declamabat. Eum *Flavium* appellat Quintil., qui *lib. 3.* tradit, eum de *Arte Rhet.* accurate scripsisse; et *libro 4.* eundem erroris accusat. Vide *Quint. l. 7, et 11.*, ubi de *Gestu Oratoris*. Hujus *OO*. desid. Quintil. indicat, contemporaneum suum fuisse.

Viscus, bini ejusdem nominis Poetae, forsitan ex eadem familia, Romae noti, citantur ab Hor. *l. 1. Sat. 10.*

Viselius, Rhetor, scripsit non negligenter de *Verborum, et Sententiarum figuris*. Ita Quint. *l. 9.*

Vitellius, Orator, alter ex Accusatoribus CN. Pisonis. Ita *Tac. l. 3. Ann.* Suasit in Senatu nuptias Claudii Caesaris cum Agrippina. Ita Tac. *l. 12. Ann.*

Corollarium IV.

Vitriaria Ars, seu vitrea vasa, et crystallina conficiendi ratio, ignota videtur Romae fuisse usque ad aevum Augusti. Si male non memini, Tiberius Roma vitriarios artifices ejecit, quia vitrea, et crystallina vasa pluris, quam argentea aestimari coeperant. Illud mirum, apud Sinas ignoratam hanc Artem usque ad praesens seculum fuisse.

Vitruvius (M. Pollio), patria Veron. secundum Maffejum, celebris Architectus C. J. Caesaris, cujus bellicis tormentis, et machinis praefectus erat. Ejus *libri 10. de Architect.* sunt notissimi, quos Augusto dicavit. In *Praef.* mentionem facit nonnullorum Romanorum, qui de *Architectura* scripsere, sed parum scite. Ejus libri inventi fuerunt a Poggio cum aliis in S. Galli celebri monasterio. Fuit non in *Architectura* solum, sed et in aliis disciplinis versatus: quod in Architectis ipse requirit. Verum ejus dictio, ut tenuis et plebeja a Criticis notatur, forsitan quia ignorans artis vocabula, parum ab aliis Scriptoribus [illegible], [illegible]

Ulpianus (Domitius), patria Tyrius, Jurisconsultus notissimus, Christianis infensus sub Severo Alex. Imp., quem alias in Christianos propensum ad eos insectandos excitavit. In proprietate Latini sermonis, quamvis Asiaticus, nimius fuit; adeo ut *Spinarum collector* diceretur. Semper quippe dubia, et lites movebat super Latinorum verborum proprietate. Occisus fuit a Praetorianis, quibus praeerat: eisdem invisus, quia superbe nimis cum eis agebat. Saepe contra eorum furorem ab Alexandro, purpura sua eum tegente, protectus fuerat. Verum tandem ab eis oppressus interiit.

UM

Umbritius, Haruspex peritiss., Juvenalis amicus, quem *Sat.* 3. loquentem inducit de vitiis Romanorum. De eo Plin. *l.* 10. *c.* 4. *H. N.*

UN

Unicus (M), Martialis consanguineus, et Poeta, valde commendatus a Mart. *lib.* 12. Habuit fratrem etiam Poetam, cui uni cedere debebat, Martialis judicio, in pangendis carminibus.

VO

Corollarium V.

Vocales litterae nonnullae magnam inter se affinitatem habebant in pronunciatione apud priscos Rom., et multa indiferenter scribebantur per *e*, per *i.*, et *ei*. Vide in littera *I. Corollarium* postremum.

Voconius (Victor), Poeta Epigr., et Elegiacus sub Trajano, et Adriano. Erat patria Romanus; et ex equestri Ordine. Fuit Flamen Dialis, intimus Plin. Caecili amicus. De eo in variis *Epist.* Plinius cum laude, et Mart. *l.* 4. *Epigr.* Adrianus ejus sepulchrum decoravit hoc versu, teste Apulejo in *Apologia*.

Lascivus versu; mente pudicus eram

Verum, ut recte M. Ant. Muretus,

Raro moribus exprimit Catonem,
Quisquis versibus exprimit Catullum.

Vocula, Orator, et Rom. exercitus dux. Tacitus *l.* 4. *Hist.* affert nonnullas Sent. ejus *Orationum* ad milites, quae desid.

Volcatius, Jurisconsultus, Cesellii magister, de quo Plin. *lib.* 8. *Hist. N.* Alium fuisse censeo a *Volcatio*, qui a 6. digitis, quos in manibus habebat, *Sedigitius* appellatus fuit. Vide in S. *Sedigitius*.

Volumnius (P), Hist., qui scripsit de praelio pugnato a Bruto, et Cassio contra Aug., et Antonium. Plures hujus nominis, omisso praenomine, memorantur ab antiquis Scriptoribus, unde nascitur confusio, de qua saepe dixi. Tullius in *Epistolis ad Volumnium*, quae leguntur *lib.* 7. *Famil.* indicat, eum virum doctum, elegantem, et facetum fuisse.

Volusius, *Annalium* Scriptor, de quo Catullus. Sunt, qui putent, eum Patavinum, seu Paduanum fuisse ob Catulli versum.

At VolusI Annales Paduam morientur ad ipsam.

Verum aliqui non *Paduam*, sed *Aduam*, quod Liguriae erat oppi-

dum, leguntur. Catullus parum probabat *Volusii Annales* (an versibus scriptos? non liquet); eos enim *cacatam chartam* appellat, ac plenos ruris, et infacetiarum. Quin etiam Vulcano eos sacrificavit, seu igni tradidit. Si ad nos pervenissent, judicari posset, utrum Catullus recte, an secus de illis judicarit, et an versu, anve prosa scripti essent: quod Catullus non indicavit.

Vopiscus (Flav.), Hist. sub Dioclet., et Maximiano Imp. Edidit *Vitas* aliquot Imperat. Roman. usque ad Dioclet., librariorum, vel ignorantia, vel incuria depravatas. Fuit patria Syracusanus, et Suetonium imitatur in *Caesarum Vitis* conscribendis, ac inter 5, aut 6 Scriptores *Historiae Augustae* post Suetonium accuratior censetur.

Vopiscus (Manlius). De eo ait Statius *Epist.* praemissa *lib.* 1. *Sylvarum*, litteras pene fugientes vindicasse. Forsitan hic pater, vel avus Flavii fuit.

UR

S. *Urbanus*, Rom. patria, et Rom. Pontifex, sanctitate, et doctrina clarus, sub Alex. Severo Imp. Scripsit *de bonis, Ecclesiae attributis, in profanos usus non convertendis*. Sedit annos fere 7., et Martyrio coronatus post multos, exemplo, et monitis suis ad Christum adductos: inter quos Valerianus, Beatae Caeciliae sponsus, et Tiburtius Valeriani frater, postea martyrio laureati, numerantur.

Urbicus (Aggenus). Scripsit in Jul. Frontinum *Commentt.* libris duobus, et de *Controversiis agrorum*. Floruit ante Theodosii M. tempora, et sunt, qui putent, ante Antoninum Pium vixisse.

Ursatius, vide *Valens* supra.

Ursulus (Statius), Tolosanus Rhetor in Gallia, ubi celeberrime, teste S. Hieronymo in *Chron.*, Rhetoricam docuit. Floruit sub Nerone. S. Hieronymus eum *Surculum* vocat, errore, ut arbitror, typographico, pro *Ursulus*, quo nomine eum appellat Suet. *de Cl. Rhet.*

Ursus (Flav.), amicus Papinii Statii, qui eum appellat *Juvenem candidissimum, et sine desidiae jactura doctissimum* ad Meliorem scribens, et ad eum mittens *lib.* 2. *Sylvarum*. Eum consolatur de amissione pueri delicati *Sylva* 6. *lib.* 2.

VU

Vulcanius, Aruspex, citatus a Servio ad Virgilii *Eclogam* 9. Hic in Concione disseruit de Stella, seu Cometa, qui apparuit post necem C J. Caesaris, dicens, quid praenunciaret: dixit etiam, se statim moriturum, quod accidit, nondum finita Concione.

Vulcatius scripsit *Commentarios in Cicer. Oratt.*, quos citat S. Hieron. in priore Apologia contra Rufinum. Hi *Commentt.* desid. Hunc *Vulcatium* diversum censeo a *Vulcatio* Gallicano, de quo in littera *G.*

Corollarium VI.

Littera *V* nunc consonans, nunc vocalis est, soletque diversa figura scribi cum est consonans, et cum vocalis. Cum consonans hac *V*: cum vocalis sic *U*. Romani antiqui unica *V*, quam nos conso-

mantem vocamus, etiam pro vocali utebantur, ut videre est in antiquis Inscriptionibus. In nonnullis Romanis Inscriptionibus temporum J. Caesaris, et Claudii pro *V* consonanti Digamma Aeolicum positum invenitur. Sed hae Inscriptiones sunt rarae, in quibus scribitur *Diaae* pro *Divae* : *Ampliaait* pro *Ampliavit* : *Terminaait* pro *Terminavit*. Nonnunquam *V* consona loco *B* scripta invenitur in antiquis Roman. Scriptis, ut *Vonitas*, *Amavilis*, *Venemerenti*, *Incomparavilis*. Vide alia in litterae *B* postremo *Corol.* Littera *V* consona utebantur Rom. pro numero quinario.

XA

Xanta (Sextia), foemina libraria, quae, vel pacta mercede, vel spe lucri libros describebat. Hujus fit mentio in veteri *Inscriptione*, quae affertur in *Thesauro Vet. Inscriptionum*. Oportebat, eam ineruditam non esse, ut recte varia Opera describeret.

XE

Xenarchus, Phil. Peripat., qui primum Alexandriae, postea Romae docuit. Fuit Augusto gratus, et usque ad senectutem in honore habitus. Demum luminibus orbatus fuit. Ita Strabo *lib. 18. Geogr.*

Xenocles, Orator clariss., qui Romae accusatus in Senatu eo quod belli Mithridatici temporibus in Mithridatem fuisset propensus, et Romanis contrarius, magna cum laude in Senatu pro se, et pro Asia oravit. Ita Strabo *l. 13.* Haec, et aliae *Xenoclis* Oratt. desid.

Xenophon, Cous patria, Claudii Caes. Medicus, eidemque valde carus. Ejus precibus annuens Claudius S. C. fieri jussit, quo Insula Coa, Coos, sive Cos immunis esset propter Aesculapium, ex cujus familia originem traxisse gloriabatur *Xenophon*: propter Caeum, Latonae parentem: propter Argivos vetustissimos, et tandem propter Insulanorum merita in Rom. Remp. Ita Tac. *l. 12. Ann.* Mirari subit, in hoc S. C. mentionem non factam Hippocratis, Medicorum principis, patria Coi, nec Apellis, pictoris celeberrimi in eadem Insula nati: quod nec Claudius, nec Senatores, nec Xenophon ignorabant. Utrum hic *Xenophon* fuerit ex familia Xenophontis Graeci Philosophi, et Ducis insignis? non liquet.

XY

S. *Xystus* II., Papa, et M., patria Athenien. ex Phil. Ethnico Christi discip., et postea Rom. electus Pontifex. Ejus Diaconus erat S. Laurentius, cui praedixit, cum ad Martyrium ipse duceretur, post triduum pro Christo vitam durissimo martyrio daturum, ac de Tyranno gloriosissime triumphaturum: quod contigit. Uterque passus fuit Romae, imperante Valeriano, an. Christi 261. Sedit menses 11. dies 12.

Corollarium.

Ante Claudium Caesarem parum erat in usu inter Romanos littera X, quia nimis aspera eis videbatur. Loco hujus litterae, quae est

nexum quoddam ex *c*, et *s*, vel ex *g*, et *s*, duabus hisce litteris utebantur, et scribebant non *Lex*, *Rex*, *Grex*, *Dux*, ut nunc, sed *Legs*, *Regs*, *Gregs*, *Dugs*: vel *Lecs*, *Recs*, *Grecs*, *Ducs*, ut videre est in variis priscis Inscriptionibus. Nihilominus in antiquissima Inscriptione columnae rostratae C. Duillii, qui primus navali praelio Poenos vicit, reperitur littera *x*. A vocibus *Axilla*, *Maxilla*, *Vexilla*, *Paxillus*, *Taxillus* litteram *x* Romani exemerunt, eas contrahendo, et ex illis cum eadem significatione fecerunt *Ala*, *Mala*, *Vela*, *Palus*, *Talus*; errantque, qui putant, illas esse harum vocum diminutiva vocabula. Romani littera *x* utebantur pro numero denario, et multiplicabant hanc litteram.

Y

Littera *Y*, Latina non est, sed Graeca. Terentianus Maurus antiquus Gramm. tradit, olim Romanos usurpasse in scripturis litteram *u* vocalem pro *y*, quia nolebant peregrina uti littera in Latinis dictionibus, et scribebant, ac pronunciabant *Sulla* pro *Sylla*. Idem testatur Cicero in lib. de Oratore dicens, antiquos scripsisse *Phruges* pro *Phryges*: *Purrhus* pro *Pyrrhus*. Cassiodorus, et ante eum Donatus, observat, antiquos Rom. scripsisse *Suria* pro *Syria*, *Sura pro Syra*: quod Ciceronis, et Terentiani Mauri dicta confirmat. Terentianus de *litteris* agens haec habet:

Tertiam Romana lingua, quam vocant Y, *non habet.*
Hujus in locum videtur U *Latina subdita*
Quae vicem nobis rependit interim vacantis Y:
Quando communem Latino reddit, et Graeco sonum.

De hac littera, quae accepta dicitur ab ordine a gruibus servato in volando, vide Quintil. *lib. 12. c. 10.*, ubi ait, litteras *Z*, et *Y* esse soni jucundissimi, quibus Romani carebant, et eas a Graecis mutuasse, cum eorum verbis uti volebant, ut *Zephyrus*. Graeci autem *Y* pronunciabant, ut nunc Galli diphthongon *ou*, quae pronunciatio valde suavis est, et media inter *o*, et *u*. Non desunt tamen insignes Grammatici, qui putent, eundem reddi sonum per *i* Latinum, ac per *y* Graecum, et in vocibus jam Latinis, licet Graecis origine, utendum Latina *i* loco *y* Graeca. Similiter dicunt, vocabula, in quibus Graeci utuntur litteris *K*, vel *Z*, si Latina jam facta sint, utendum littera *c* pro *k*, et littera *s* geminata loco *z*, sic *Calendae*, non *Kalendae*: *Patrisso*, non *Patrizo*. Unusquisque in re haud magni momenti abundet in sensu suo: quod dictum velim de aliis, quae sub dubio a nobis tradita sunt in hoc *Syllabo*, ut etiam de iis, in quibus mea opinio cum communi opinione non consentit. Illud non omittendum, Graecam *Y* litteram Pythagoricam appellari; eo quod ea Pythagoras uteretur pro Symbolo humanae vitae, in qua duae viae; altera recta, sed ardua virtutis: obliqua altera, et pro-

na, quae vitiosum est. Graeca enim *y* aliter, ac typis Latinis edi solet, debet scribi: per duas nempe lineas, unam rectam, alteram obliquam cum declivio in lineae fastigio.

ZE

ZEno Gramm. Tiberio familiaris, qui, quia exquisitius, seu, ut ego existimo, cum affectatione, (qua nihil odiosius) loquebatur, et scribebat, in Cynaram fuit a Tiberio relegatus: nimio sane rigore punitus ob levem culpam.

S. *Zeno*, Episcopus Veronensis, qui paullo ante S. Ambrosium floruit, an. nempe Christi 360. Ejus stylus cum brevitate multa complectens, ut etiam ejus eruditio, merito a Criticis Ecclesiasticis commendatur.

Zenobia, Odenati, Palmyrenorum regis, uxor, virilis foemina, belli, et pacis artibus clara: primum Hebraea, religione, postea Christiana. Non solum Hebraeam linguam, et Aegyptiam perfecte callebat, sed et Graecam, et Latinam, in quibus a Longino fuit erudita. In *Epitomen* redegisse dicitur Aegypti, et Orientis *Historias*. Vide *Samosathaeus* in *S*.

Zenodotus, Romae docuit sub Adriano. Scripsit Epitomen Proverb. Didymi, et Genethliacum Adriani. Sallustii item Historias in Graecum convertit.

ZO

Zosimus, Ethnicus Hist. sub Honorio, parum veridicus in rebus Christianorum, maxime contra Constantinum M. pro Juliano Apostata scribens. Photius de eo agens ait, saepenumero adversus pios latrare, et pios Principes, Eunapii exemplo, criminari. Leunclavius, Auctor damnatus, Apologiam pro eo edidit.

S. *Zosimus*, Romanus Pont., qui Ecclesiae praeerat, imperante Honorio, fuit vir doctrina clarus, et damnavit Caelestium, Pelagianismi propagatorem. Scripsit plures Epist. super Caelestio, (qui cum suis artibus, et simulatione deluserat) ad Africanos Episcopos, a quibus Pelagius, et Caelestius damnati fuerant. S. *Zosimus*, agnita Caelestii fraude ex Africanorum Praesulum litteris, eum damnavit. Supersunt 13. S. Zosimi *Epistt.* plenae roboris, et Apostolicae auctoritatis, multasque alias periisse arbitror, vel latere. Quae supersunt legi possunt in *Labbeana Conciliorum Collectione*.

Zostrianus. Scripsit Lib. apocryphum, quem Amelius refutavit. Vide *Amelius* in *A*. Quisnam et unde fuerit Zostrianus? exploratum non habeo.

Corollarium.

Z littera est compendium litterarum *d*, et *s*. Antiquiores Romani quae nunc per *z*, per *d*, et *s* scribebant, et nonnunquam per solum *d*, ut *Medentius* pro *Mezentius*. Nonnunquam per duplicem, *s*, ut *Gassa* pro *Gaza*, quod faciebant, ne littera peregrina uterentur. Vide dicta pag. 164., ubi de littera *Y*.

Veteres nonnulli Litterati Romani, incogitantia praetermissi in Manuscripto, Typographis tradito, et suo loco addendi in littera A.

AS

ASTyanax (Maeonius), Hist. sub Gallieno, nonnulla edidit de Maeriano Imperatore, et ejus filio. Ita Trebellius Pollio in *Macriano*. *Astyanactis* Scripta desid.

Asydius, Rhetor, et Declamator. Eum M. Sen. in *Suasoriis* venustistimum inter Rhetores scurram vocat.

AT

Aterianus (Jul.), Hist. nonnulla scripsit de 30. Tyrannis, qui temporibus Valeriani, et Gallieni Imperii Rom. quietem perturbarunt. Ita Treb. Pollio in *Vita Victorini*. *Aterjani Historiae* desid.

Aterius, Asinii Pollionis filius, Rhetor, seu Declamator. Seneca in *Prooemio lib. 4. Contr.* multa de eo disserit. Illic narrat ejus in declamando, etiam ex tempore, facilitatem, et in recitando velocitatem. Inter ejus Oratorias virtutes nonnulla ridicula, et vitiosa notat. Librum edidit *de Comparatione patris sui cum Cicerone*, quem alii ejus fratri Asinio Gallo tribuunt. *Liber* praefatus intercidit, vel latet. Incompertum mihi est, an de hoc *Aterio* loquatur L. An. Sen. de *Benef. lib. 5. c. 39.*, ubi *Aterium*, et Aruntium notat, ut testamentorum captatores, et hujus artis professores. Vide *Gallus* in *G*: *Pollio* in *P*.

Finem impono huic *Syllabo*, seu *Specimini Veteris Romanae litteraturae*, cet. Phaedri versibus in *Epilogo libri 4. Fabul. ad Euthychum*.

Supersunt mihi, quae scribam, sed parco sciens;
Primum, esse ne tibi videar molestior,
Distringit, quem multarum rerum varietas:
Deinde, siquis eadem forte conari velit,
Habere, ut possit aliquid Operis residui.

O. S. C. S. M. E. C. E. F. V



INDEX DISSERTATIONUM

PARTIS I.

1. *DE seculis, quae a Criticis* Barbara *appellantur, in qua utrum* Barbara *ea dicenda ob corruptum in eis Latinum sermonem?* *pag.* 54.
2. *De Conciliis generalibus in Oriente ante Honorii excessum celebratis, in qua expenditur, an fuerint Latino, anve Graeco sermone habita?* *pag.* 102.
3. *De Usu promiscuo Graecae, et Latinae linguae in toto Romano Imperio.* *pag.* 195.
4. *De Lucani* Pharsalia, *an Poema Epicum? et utrum Lucanus, Poeta, anve purus Historicus sit appellandus?* *pag.* 200.

PARTIS II.

1. *DE Romuli, et primorum, seu antiquiorum Romanorum litteratura.* *pag.* 87.
2. *De Materia Scriptoria, qua veteres Romani Litterati utebantur, praesertim de Charta, seu Papyro Aegyptia, et de Pergamena, seu Membranacea.* *pag.* 102.

INDEX
PRAECIPUORUM CONTENTORUM
IN COROLLARIIS
PARTIS I.

A

ACademici *Philosophi quinam, et quo a Pyrrhonicis, et Dogmaticis differrent? p.* 4. *Cur Ciceroni* Academicorum *Secta prae aliis placuerit? ibid. De nova, et veteri* Academia, *ibid.*
Acclamationes, *usitatae Romae cum publice nova Poetica Opera ab Auctoribus recitabantur, pag.* 7. *Formulae* Acclamationum, *ibid. In usu erant etiam in templis veterum Christianorum, cum Conciones, seu Homiliae recitabantur, ibid.*
Acta *Senatus, et Urbis ab Scribis in tabulas referebantur pag.* 8., *et* 9. *Haec* Acta *ad Praesides provinciarum, et ad amicos absentes mit-*

ti solebant, ibid. Horum Actorum *Exemplaria in Ciceronis Epistolis, ibid. Narrationes horum* Actorum Diaria *etiam, et* Ephemerides *appellabantur, ibid.*

Aediles, *qui, et quodnam eorum munus? pag. 11. Aetas ad Aedilicium Magistratum requisita. Vide* Magistratus *in* M.

Aegyptii. *Eorum doctrina p. 11. A quibus accepta? ibid. Geometriae inventores. Vide* Geometrae *in* G.

Aerarium, *Rom. sacrosanctum; et ubi situm? p. 13. In illud inferebantur Acta publica, pecunia, ut etiam argentum, et aurum non signatum, victis populis ereptum, ibid. Immensae divitiae Aerarii Rom. ibid. A C. J. Caes. expilatum, ibid.*

Aetates *Latinae linguae varie a Criticis recensitae, et divisae, pag. 14. Nonnulli confundunt* Aetatem *auream cum* Aetatibus, *quae auream praecesserunt, ibid.* Aetas *requisita ad Magistratus obtinendos: vide* Magistratus *in* M. *De* Aetate, *in qua Cicero publice orare coepit. Vide Gellium* lib. 15. c. 28 *Noctium Atticarum.*

Agricultura *a Romanis exculta, pag. 17. Ei non obest Disciplinarum studium, pag. 89 Partis II.*

Algebra *sublimis a Romanis antiquis ignorata. Vide* Supputandi *Ars in* S.

Amphitheatrum. *Ejus forma, qua a Theatro differebat, p. 22. Plura Romae fuerunt* Amphitheatra *magnifica, ibid. In eis varia spectacula populo dabantur, ibid. Vespasiani* Amphitheatrum, *quam excelsum, et ubi situm? ibid. Quot spectatorum capax? p. 23.*

Anagnostae *Romani quinam, et quodnam eorum munus? p. 23.*

Analogia *in Latino sermone, quid? pag. 23.*

Angeli, *Genii ab Ethnicis dicti, pag. 24. Non recte* Genii *a Christianis appellantur, ibid. Antiquissima traditio de* Angelis *custodibus, etiam apud Ethnicos conservata, ibid. De* Angelo, *seu Genio Socratis, ibid.*

Annales *Romani a Pontificibus Ethnicis scripti, et custoditi ab initio V. C. combusti fuerunt a Gallis, cum Romam expugnarunt, et ceperunt, pag. 25. Quid de illis Cic., et Livius? ibid. Posteriorum* Annalium *varii Scriptores Romani, ibid. Vide* Scripta *in* S.

Antiquarii *Romani, qui? pag. 27. Tiberius, et M. Antonius reprehensi ab Augusto, ut* Antiquarii, *ibid. Vide* Varro *in* V.

Apologiae *pro Christ. Religione, Imperatoribus Romanis, et Senatui oblatae, p. 33. Vide* Apollonius: Athenagoras *in* A, *et* Quadratus *in* Q. *Ab Aristide, Hadriano Imperat. oblata non sine fructu. Vide* Aristides *in* A.

Aquae *Romanae, et earum ductus magnifici. Vide* Agrippa *in* A. Frontinus *in* F.

Apotheosis, *seu in Deos relatio apud Romanos Ethnicos usitata p. 33. Ejus ritus indicatus, ibid.*

Arithmetica. *Vide* Supputandi Ars *Parte 2.*

Artes *utiles, et ludicrae priscorum Romanorum, p. 41.*

Artifices *Romani antiqui pares non fuerunt Aegyptiis, et Graecis in Artefactis, pag. 41.*

Aruspices, *sive* Haruspices *qui, quot Romae initio, et quodnam eorum munus? p. 42.* Aruspicum *numerus auctus, ibid.* Aruspicum *collegium, ibidem. A Constantino M. lege suppressi, ut etiam Augures, ibidem.*

Aruspicina *Ars ab Ethruscis accepta, ibidem.*

As, *sive aeris libra, nummus Rom. antiquus, pag. 42.* Assis *in partes divisio, ibidem.*

Athei, *quinam a Romanis Ethnicis dicti? pag. 44. Pauci inter Romanos mente, et palam* Athei, *ibidem. Quid de Epicureis senserit Cicero, ibid.*

Athenae *Disciplinarum ingenuarum olim Emporium, pag. 44. Athenis Graece, et Latine declamabatur Ciceronis aevo. Vide* Cicero *in* C. *Ostracismi lex* Athenis *viguit, et postea sublata, p. 44. Multi Athenis luxum, fidem Graecam, seu fallendi Artem, et vitia alia addiscebant magis, quam Artes ingenuas, ibid.*

Augures, *qui, et a quo Romae instituti? p. 48. Quodnam eorum munus? ibidem. Viri eruditi, et illustres eorum Collegium componebant, ibid. Viri docti, et Augures ipsi Auguria contemnebant, et solum, ut populo obsequerentur, ea observabant, ibid.* Auguralem *artem vanam putabant, ibid. Vide* Aruspices.

Auctores *citati saepe confunduntur, p. 5., et 6. Unde oriatur confusio? ibidem. Saepe appellantur eodem nomine, et cognomine Auctores diversi, et saepe idem Auctor citatur, nunc sub solo nomine, nunc sub solo cognomine, et duo Auctores videntur, cum unus, et idem sit, ibid. Saepe ex unius litterae in nominibus Auctorum immutatione confusio nascitur, ibid.*

B

Barbara *secula perperam* Barbara *appellantur ob corruptam in eis Latinitatem, p. 54. Singulae nationes, diverso sermone utentes, comparate ad alias* Barbarae *sunt, pag. 54. Sermo Rom. primorum seculorum comparate ad Augusti seculum* Barbarus, *ibid., et p. 55.*

Barbari. *Horum incursus in Romani imperii provincias, Honorio imperante, et post eum. Vide* Honorius *in* H. *Damna ab eis illata Disciplinis, vide Praefationem, et pag. 103.*

Biblia *sacra in Latinum versa primis Ecclesiae seculis p. 64. Vide* Versiones *in* V.

Bibliothecae *publicae, et privatae, tum Romae, tum in Provinciis generatim, p. 64, et 65.*

Botanica, *seu herbarum, et plantarum, ac earum salubris, vel noxiae vis notitia pars nobilissima Medicinae, p. 66. A Romanis antiquis exculta, ibid.*

De littera B, *p. 68., et 69. Plura, quae nunc per* V *scribuntur, Romani antiqui per* B *scribebant, ibid.*

C

Calculus *differentialis, vide* Supputandi Ars *in* S.

Canones *innumeri Latini Conciliorum deperditi, pag. 78.*

Carmina *Saliaria, Marti cantata, p. 55.*

Chaldaei, *seu Genethliaci ex tota Italia a Rom. Senatu, et Imperatoribus ejecti, p. 73. Verorum Chaldaeorum doctrina, a quibus accepta? p. 74. In Astronomia valde periti, ibid. Doctrinam in Aegyptum intulerunt, ibid.*

Censores *Romae quinam? p. 90. Eorum munus, et magna auctoritas, ibid. Populum singulis quinquenniis lustrabant, unde lustrum quinquennale spacium, ibid. Lustrandi ritus, ibid.*

Circitores, *qui? p. 95. Fere omnes Romae Graeci erant, multam doctrinam jactantes, praesertim in Medicina peritiam, ut crumenas Romanorum emungerent, populum ludicris artibus oblectando, ibid.*

Circus. *In eo multi ludi, et spectacula populo Rom. dabantur, p. 95. Circus Flaminius insigne aedificium, valde frequentatum, ibid.*

Codex, *pars Corporis Juris Civilis, p. 180. Codex Papyrianus: Vide* Papyrius. *Codex Theodosianus, a quo collectus, et illustratus, et quaenam contineat? p. 99.*

Collegia *sacra, et litterata priscorum Roman., p. 99. De Artificum Collegiis, ibid.*

Coloniae *innumerae Romanorum in Provinciis, p. 100. Erant veluti Romae suburbia, et Imperii propugnacula, ibidem. Aliae Latinae, aliae Romanae, ibidem. Per eas Latina lingua propagata, ibid. Quo a Municipiis differrent? ibid. Vide* Municipia *in* M.

Comitia *pop. Rom., ubi, et quamobrem celebrata? pag. 100., et 101. Alia* Tributa, *alia* Centuriata, Curiata *alia, ibid. Qua ratione suffragia in electionibus, et legum approbatione a populo dabantur, ut etiam in judiciis de caussis gravioribus? ibid. Cur* Calata *dicta? ibid.*

Concilia *Ecclesiastica, ante Honorii excessum celebrata, complura desiderantur, pag. 102.*

Consules *Romae bini ad annum eligebantur, p. 105. Praecipua in Rom. Repub. post Reges ejectos dignitas, ibid. Semel Consul iterum eligi non poterat nisi post 10. annos, ibid. Oportebat, viros doctos, et et eloquentes esse, ibid.* Aetas *ad* Consulatum *requisita. Vide* Magistratus.

Convicia; *quibus Romani Oratores se invicem dehonestabant, p. 124 In* Annot. *Vide* Oratores.

De littera C, *quae ante inventam litteram* G *inserviebat ad scribenda plura vocabula, quae per* G *pronunciabantur, pag. 116. Per* C *numerum centesimum Romani notabant, ibid.* C *littera in Senatorum calceis: vide* Senatores. *In Tabellis Judicum, p. 116. Olim pronunciabatur, ut* K, *etiam cum vocalis* i *sequebatur, ibid.*

D

Deistae. *De* Deistis *antiquis, et recentibus, p. 118., et 119. Multi ex his larvati Athei, ibidem? Epicuri Sectae promotores, ibid. Quid de cultu veri Dei, seu de Religione sentiant? ibid. Vide* Epicurei.

Denarius *Romanus antiquus*, *p.* 119. *Ejus valor*, *ibidem*. *Vide* As: Nummus: Sestertium.

Diaria, *sive Ephemerides Romanae urbis*, *p.* 120. *Quaenam in illis contenta? ibid. Fere omnia deperdita, ibid. Vide* Acta. Ephemerides.

Dicta *notabilia innumera sparsim per totum Opus*.

Dictator, *summa, ac fere regalis ejus Romae dignitas*; *p.* 120. *Eligebatur ad 6. menses in magno Reip. periculo*, *ibidem*. *Ejus auctoritas*, *ibid. De* Syllae; *et J. Caesaris Dictatura*, *vide* Sylla *in* S.

Diphtongus, *quid? et qua ratione a Romanis antiquis efferebatur? p.* 123. *Ejus necessitas in Latinis vocabulis*, *p.* 123., *et* 124. *Multa, quae per dipthongon olim scribebantur, nunc sine ea scribuntur*, *ibid.*

Disciplinae, *et Artes ingenuae a Christianis auctae*, *et illustratae multis inventis*, *quae Romanis Ethnicis*, *etiam doctioribus*, *ignota fuerunt*. *p.* 41. *Earum utilitas*, *et inutilitas*, *p.* 124. *Vide* Romulus *in* R.

Discipuli, *quando*, *et qua occasione coeperunt Auditores appellari? Vide* Latro *in* L.

Divini, *seu Vates fatidici*, *p.* 124. *Complures Romani praeter Cic. de Divinatione scripserunt*, *ibid. Libri* Divinorum, *seu Vatum fatidicorum innumeri jussu Augusti combusti*, *Vide* Libri.

Divitiae *Romanorum immensae*, *p.* 124.

De affinitate litterae D *cum* T, *p.* 127., *et* 128. *Multa indifferenter olim scripta cum* D, *et cum* T, *ibid. De usu litterae* D *in fine plurium vocabulorum antiquorum*, *ibid. Per litteram* D *numerum quingentesimum Romani notabant*, *ut etiam Deus*, Divus, Dominus, Dedit, Domus, *alia*, *ibid.*

E

Eloquentia *priscorum Romanorum*, *p.* 129. *Sine ea aditus ad honores*, *et Magistratus non patebat*, *ibid. Ejus difficultatem exaggerat Cicero*, *ibid.* Eloquentia *forensis* Canina facundia *ab Appio appellabatur*, *ibidem*. *Cur? Vide* Convicia, Oratores.

Ephemerides *Ecclesiasticae*, *sive Diaria veterum Christianorum Romae*, *p.* 131. *Quid continerent? ibid. Innumerae deperditae*, *ibidem*.

Epicurei. *De his Philosophis*, *pag.* 131. *Vide* Deistae.

Episcopi *ante Honorium humanis*, *et divinis litteris eruditi*, *p.* 132. *Post Constantinum in Jure Civili peritos esse oportebat*, *ibid.*

Epistolae *innumerae Latinae vet. Rom. olim editae de negotiis gravissimis*, *et de rebus ad disciplinas spectantibus desiderantur pag.* 132. *De Epistolis Decretalibus Roman. Pontificum ante Syricium*, *quid sentiant Critici? ibid. Epistolae*, *seu litterae formatae*, *pacificae etiam dictae*, *ab Episcopis antiquis datae fidelibus*, *alio proficiscentibus*, *ibid.*

Equestris *ordo Seminarium Senatorum*, *p.* 132. *Census annuus requisitus*, *ut huic Ordini Civis Rom. adscriberetur*, *ibid. Vide* Judices, Ordo.

Exsules *Romani complures ex viris doctissimis*, *et nobilissimis*, *p.* 135 *et* 136. *Exsilii poena inter Romanos ignominiosa non erat*: *inter Athenienses saepissime gloriosa*, *ibid.*

E *littera magnam affinitatem in pronunciatione cum* O, *apud Romanos antiquos habebat p.* 136. *Iccirco multa per* O, *et* E *indiferenter scribebantur, ibid.*

F

Familia: *quo differrent inter Romanos Gens, et Familia? p.* 137. *Familiae ante Honorii excessum Romae ditissimae, ibid.*

Fasti Romani, Diaria *etiam dicti. Vide* Acta: Diaria.

Fasti, *et nefasti dies quinam dicerentur, pag.* 138.

Feciales *Romani qui, et quodnam eorum munus? p.* 140.

Fiscus, *quo ab Aerario differat? p.* 142. *Trajani Imp. dictum celebre de* Fisco. *Vide* Trajanus.

Flamines *Romani, inanium Deorum Sacerdotes, a Numa* 3. *primum instituti, Dialis, Martialis, et Quirinalis, p.* 143. *His tribus* 12. *postea additi, Flamines Minores dicti, ibidem. Dialis, seu Jovis Sacerdos caeteris excellentior, ibid. De* Flamine, *et* Flaminica *Diali curiosa, et ridicula indicantur, ibid. Oportebat in Ethnica Theologia, et superstitiosis ritibus esse versatos, p.* 144. *Rituales libri* Flaminum, *jussu Theodosii combusti, et extincta Flaminum Collegia in toto Rom. Imperio, ibid.*

Foeminae *Romanae inverecunde doctrinam affectantes, p.* 148. *Romuli lege abstemiae, p.* 86. Partis 2. *Ea lex a Tiberio abrogata. Vide* Tiberius *in* T.

Funambuli *Romae, p.* 148.

F *littera* Phi *Graecorum respondet, p.* 150. *In nonnullis vocabulis antiqui Romani usurpabant* F *loco* H, *seu loco adspirationis, ibid. Littera* Ⅎ *inversa, sic, Digamma erat Aeolicum, quo, loco* V *consonae, C. J. Caesar, et Claudius utebantur, ibid.*

G

Gabii. *Horum civitas Palatino monti proxima, p.* 150. *Apud* Gabios *erant ingenuarum disciplinarum Scholae ante Romam conditam, ibid. Ad has missi Romulus, et Remus, et in eisdem eruditi. Vide pag.* 88. Partis *secundae.*

Galli *natione. Eorum laudes, pag.* 154. *Galba universae Galliae jus Rom. Civitatis concessit, ibid. Romani filios mittebant in Galliam, ut illic in litteris erudirentur, ibid. Eorum Scholae, ibid.*

Geographi, *et* Geographia, *p.* 156.

Geometrae, *et* Geometria, *p.* 156. *Geometria Aegyptis debetur, ibidem. Plato Ageometras in Sholam suam non admittebat, ibid. A Pythagora ob Geometricam inventam demonstrationem Hecatombes Sacrificium Musis peractum, fabulosum, ibid.*

Gladiatores *Romae suas scholas habebant, p.* 157. Gladiatorum *spectacula, a Romanis data, inhumana, et barbara. Vide* Graeci.

Globus, *seu Machina volatilis, recens inventa, ignota Veteribus non fuit, pag.* 41.

Graeci, *contemptores olim Romanorum, quos barbaros appellabant, co-*

rum linguam, et litteraturam postea exsolverunt, pag. 159. Graeci *variae doctrinae jactatores irrisi a Juvenale, ibid. Mendaces in Historia, ibid.* Graeci *Philosophi contentionis magis, quam veritatis studiosi, ibid. Quo quisque magis Graece sciebat, ita nequissimus erat, ibid. Ineptiis cumulati ineptiae vitium non agnoscebant, ibidem. Romanis humaniores in ludis, et spectaculis, ibid. Quisnam* Graecos *Philos. inter se dissidentes ad concordiam revocare conten derit? Vide* Gellius *in* G.

Grammatici, *Litterati, et Critici olim dicti, pag.* 160. *Quo a Grammatistis, et Litteratoribus differrent? ibid.*

Grammatica. *Celebres Grammaticae Scholae Romae, p.* 160. *A viris clarissimis illustrata, ibid., et pag.* 161. *In corpore Juris est titulus ad* Grammaticam *spectans, p.* 161. *Lis Grammaticalis ad Senatum Regium Parisiensem delata, ibid.* Grammaticae *laudes, ibid. Cur* Trivialis doctrina *appellata? ibid.*

G *littera a Carbilio inventa. Vide dicta de littera* C, *pag.* 116.

H

Hebraei, *quos barbaros Graeci, et Romani appellabant, his doctiores, p.* 163. *Hebraeorum Scholae: ibid. Ex Hebraeis disciplinae in Aegyptios, Phoenices, et Graecos propagatae, ibid. Graeci, et Romani parum grati in* Hebraeos *eorum magistros, pag.* 74.

Hispani, Periti *ab Horatio merito appellati, pag.* 167. Hispanis *jus Romanae civitatis a Vespasiano concessum, ibid.* Hispani *Baetici, et Iberi Latina lingua, et moribus Romani facti Strabonis aevo; ibid.*

Histriones, *et Mimi Romae p.* 168. Histriones *celebres ibid., et verbo* Mimi *in* M.

Historici *Romani minus accurati in Genealogiis, quam Hebraei, pag.* 166. *Innumerae Historiae Romanorum, tum Ethnicorum, tum Christianorum deperditae, ibid.*

H *Aspiratio, non littera. De ejus usu in vocabulis Latinis, p.* 172.

I

Imperatores, *et Imperium Romanum. De his multa, pag.* 173., *et* 174.

Index, *seu* Syllabus. *Labor* Indicibus *librorum, et Auctorum impendendus, improbus: Vide Praefationem pag. VII.* Indices *librorum in Pergamenis fieri a Romanis solebant, vide* Dissert. 2. *Partis* 2.

Judices *Romae primum soli Senatores, deinde soli Equites, tandem Judicia ad Senatores, et Equites revocata, pag.* 177. *In* Judices *iniquos poenae constitutae, ibid.*

Judicia, *Latino sermone, etiam in provinciis, exercita, ibid. Expers Latini sermonis* Judex *esse non poterat, ibid. Petronii Satyrica Carmina in* Judices *sui aevi, ibid.*

Jurisconsulti *Romani in sectas divisi, pag.* 180, *et* 181. *Jus de Jure respondendi ad quosdam restrictum: postea ampliatum, ibid. Corpus Juris Civilis Romani, ex quibus coalescit? ibid. Justiniani jussu a Triboniano, et Sociis ordinatum, ibid.*

Jurisprudentia, *Facultas nobilissima a Romanis in primis exculta, pag. 181. Jurisprudentiae, et Juris Civilis laudes, ibid.*

Jus Civile *Romanorum per multa secula inter caeremonias inanium Deorum abditum, p. 181. A quo divulgatum? ibid. A Christ. Principibus emendatum, ibid. Vide* Leges: Tabulae. Jus Papyrianum *antiquissimum, vide* Papyrius *in* P.

I *littera. De ea multa circa Orthographiam, et Pronunciationem a veteribus Romanis usitatam in vocabulis, litteram* I *habentibus, pag. 182. et 183. I littera alia vocalis alia consonans, ibid. Eundem sonum habebat secundum aliquos, ac* Y *Graecorum, ibid. Magnam affinitatem* I *vocalis cum* U *vocali in pronunciatione habebat, ibid.*

K

Kalendaria *antiqua Romanorum, p. 183.*

K *littera non Latina, sed Graeca pro* C *a Romanis raro usurpata, p. 184. Vocabula Latina, origine Graeca, per* C *a Romanis frequentius scripta, ibid.*

L

Latinitas, *seu Latinus sermo, ne Ciceronis quidem aevo, purus fuit, pag. 187. et 188. Romanorum cura in propagando Latino sermone per provincias Rom. Imperii, ibid. Judicia Latino sermone Romae, et in provinciis exercebantur. Vide* Judices.

Leges *Romanae Tabulis 12. incisae, quo anno U. C. latae, et ratae habitae? p. 189. A quibus Romam adsportatae, et a quibus ordinatae? p. 190. Leges Romae ferri non poterant inconsultis Auguribus, et populo non rogato, p. 189. Promulgandi eas ritus, p. 190. In Capitolio asservabantur aereis tabulis incisae Ciceronis aevo, ibid. 12. Tabul. leges omnium Philosophorum bibliothecis a Cicerone praelatae, vide* Tabulae *in* T.

Libertas *Romanae Reip. post Reges ejectos quantum duraverit, et quando deperdita? Vide* Imperium.

Liberti *Romae qui? p. 191. Assumebant Patroni nomen, et manebant sub Patroni clientela, ibidem. Multi servi ob insignem doctrinam, et fidelitatem libertatem impetrabant, seu* Liberti *fiebant, ibid.*

Libri Fatidici: Lintei: Elephantini: Pontificales *Romanorum, quid continerent, et ubi asservati? p. 192. Libri haereticorum, quo pacto tegendi? p. 192. Libri Apocryphi Christianorum quinam? ibid. Libri sacri Christianorum. Vide* Biblia *in* B.

Libraria, *quo differat a Bibliotheca in Latino sermone? pag. 193.* Librariae *Romae insigniores, ibid.*

Librarii, *Ciceronis, et S. Hieron. querelae de* Librariis *p. 193. Quamobrem? ibid.*

Litterae *Latini Alphabeti, p. 197.*

Locus *pistorum Romanorum p. 206.*

L *littera de ea pag. 197. Per eam numerus quinquagesimus notabatur, ibid. Item Praenomen* Lucius, Lex, Legatum, Lustrum, *alia, ibid.*

INDEX

PRAECIPUORUM CONTENTORUM IN COROLLARIIS

PARTIS I.

M

Magi, *seu Magiam exercentes, una cum Mathematicis, fuerunt ab Italia expulsi sub Tiberio p. 3. Foeminae Magicam artem exercentes Horatii aevo, quaenam insigniores? ibid.*

Magistratus *Romani a populo in comitiis eligebantur. Vide* Comitia. *Nobiles Romani populares, et nonnunquam Plebej fiebant in libera Repub., ut Magistratus impetrarent, ibid. Aetas requisita ad Magistratus obtinendos, ibid. Petitores Magistratuum candidati incedebant, et* Candidati *appellabantur, ibid.*

S. Marcus *Evangelium scripsit Romae Latino sermone, pag. 6.*

Mathematici *quinam Romae appellabantur, et quando Roma, et Italia pulsi? pag. 11.*

Mathesis *inter rudimenta puerorum ab antiquis recensita p. 11. Parum a Romanis ante Honorium exculta, si cum nostri aevi Matheseos cultoribus Romani conferantur, ibid.*

Medici, *seu Medicinam exercentes per multa secula Romanis exosi, nec Romam admissi. Vide* Archagathus. *Cato in suis litteris. Demum magno in honore habiti, pag. 14. Medicorum sectae, ibid.*

Medicina *Artium omnium antiquissima, ibid. A quibus inventa, p. 14, et 15. Antiqua, et recentior* Medicinae *Divisio, ibid.*

Memoria. *Ars memorandi, a quo inventa, pag. 16. Insigni praediti memoria quinam ex Romanis? Ibidem. Magna memoriae vis cum magno ingenio conjungi potest, ibid. L. An. Senecae dictum de* Memoria *p. 17. Themistocles Artem obliviscendi discere optabat. ibid.*

Militaris *Ars, ab antiquis Romanis maxime exculta, p. 19. Litterarum studia eidem prosunt. Vide* Agricultura.

Mimi, *et Pantomimi antiqui Romae celebres, pag. 19, et 20. Vide* Histriones. *Oportebat, eos non ineruditos esse, ibid.*

Mulieres *Romanae suum Senatum habuere, in quo plura ridicula decernebant, p. 24. In Senatum Romanum, frementibus Senatoribus, ab Heliogabalo admissae, ibid. Postea factum S. C., quo poena capitis decernebatur contra eos, qui in Senatum Romanum foeminas ingressum procurassent, ibid.*

Municipia; *vide pag. 23, et verbo* Coloniae.

Musica, *vide pag. 23.*

M *littera: De ea pag. 24. Per eam numerum millenarium Romani notabant, et plura alia, ibid.*

N

Nautica Ars, *exculta a Phoenicibus, Aegyptiis, Graecis, et Romanis*

antiquis, pag. 25. Acus nautica an eis nota? ibid. A Romanis, et aliis antiquis minus exculta, quam a nostri aevi nautis: tum, quod ad navigandum: tum quod ad naves architectandas spectat, ibid.

Nicostrata, Evandri mater, Latinarum litterarum inventrix, p. 30. Bellum Trojanum ante Homerum versibus scripsit, ibid.

Nobiles Romani, quo signo Romae et in provinciis agnoscebantur? p. 31. Notitiae in astragalis quid? ibid.

Nomenclatores qui, et eorum munus, cum candidatos, et alios per Urbem comitabantur? pag. 31.

Notarii quinam, et quodnam eorum munus? p. 31.

Notae sine litteris in scripturis usurpari solitae, quot, et a quibus inventae? p. 32. Erant signa rerum, non vocum, ibid. Notae litteratae variae, quas Cyfras nunc appellamus, ibid.

N littera media, et spuria. Vide Nigidius in N. Alia de littera N, pag. 37.

O

Oratores Graeci, et Romani. Multa de illis, pag. 41., et 42.

Oratoria Ars, a Romanis multum exculta, et magni habita, et quamobrem? Vide Eloquentia in E. De forensibus Oratoribus, deque eorum virtutibus, et vitiis, p. 242.

Ordines Civium Romanorum diversi, pag. 43.

Orthographia, qua utebantur prisci Romani, sensim valde immutata, pag. 44. Vide Pronunciatio: Punctum in P.

Ostracismus quid? Vide Athenae in A. Ostracismi lex, quae Athenis viguit, barbara, et perniciosa, tandem sublata, ibid.

O littera: De ejus affinitate in pronunciatione penes antiquos Romanos cum litteris aliis, pag. 45., et 46. Scripta olim per O, postea per U scripta, p. 45. Scripta olim per Au postea per O scripta, p. 46. Nonnullae Italiae Civitates O non usurpabant, aliae U carebant, ibid.

P

Pandectae, Digesta etiam dictae, pars Corporis Juris Civilis, p. 49. Quid contineant? ibid. Ubi, et quando Pandectarum libri, qui latebant inventi? ibid.

Papyrianus codex legum regiarum: vide Papyrius. Fragmenta ejus a quo collecta? ibid.

Parochi, apud antiquos Romanos qui, et quodnam eorum munus? Vide Curiones in C.

Patriarchae in Ecclesia qui? pag. 51. Antiqui, et recentiores Patriarchatus, p. 51, et 52.

Patricii Romani qui? p. 52. Suo jure Senatores erant, modo censum annuum necessarium haberent, ibid. Quantus hic census? ibid. Patricii non semel Plebeii fiebant, ut Plebis Tribunatum obtinerent, p. 146.

Pecunia Romanorum antiquorum. Vide As, Sestertium in suis litteris. A quo, et quo anno argentum, et aurum Romae signari coepit? pag. 54.

Philosophi. *De eorum varia Romae Fortuna. Vide* Apollonius *in* A. *De eorum Sectis, vide* Academici *in* A: Epicurei *in* E: Stoici *in* S. *Vide alia, p. 57., et verbo* Gellius *in* G.

Phoenices *Josue arma fugientes per varias provincias dispersi, pag. 57. Disciplinas, et Artes a Cadmo acceptas in Graeciam, et Africam attulerant, ibid. Columna Phoeniciis litteris inscripta prope Caesaream Tyngen inventa, ibid.*

Pictura *muta Poesis, et Poesis loquax Pictura, p. 58. A Rom. exculta, ibid.*

. *Multa de Romanis Poetis, pag. 64., et 65. Initio Urbis conditae, sub Romulo, Poetae, ibid. Poetae Satyrici ante Lucilium Romae, quidquid dicat Horatius: ibid. Tempore Horatii, et Plinii junioris magna Romae Poetarum copia, ibid. Quosnam Poetas in suam Remp. Plato non admittat? ibid. In quo versuum genere Romani Poetae Graecos superarint? pag. 66.*

Pontifices *Max. Ethnici, et Christiani. Multa de utrisque, pag. 69. De ritu capiendi Vestales ab Ethnicis* Pontificibus *observato, ibid. Unde dicti* Pontifices? *ibid. Romani Imperatores sibi Pontificatum Maximum arrogarunt, ibid. Imperatores Christiani usque ad Gratianum insignia Ethnici Pontificatus Maximi gestabant, ibidem. Quamobrem? ibid.*

Praefectura *Praetorii, quae, pag. 72.? Praecipuus extraordinarius Magistratus Principi proximus, ibid. Ejus Jurisdictio, ibid. Gladius ei ab Imperatoribus solemni ritu tradebatur, ibid. Celebre dictum Trajani, cum gladium Praef. pr. tradebat, ibid.*

Praetores *Romae quot, et quodnam eorum munus? p. 72. Magistratus Consulatui proximus, ibid. Cum Consules ad bellum ibant, loco Consulum Romae praeerant, ibid. Aetas ad Praeturam requisita. Vide* Magistratus.

Princeps, *proprium nomen Grammatici, praetermissi in littera* P, *de quo Suetonius* Lib. de Illustr. Grammaticis c. 4., *haec tradit*: Me quidem adolescentulo, repeto, quemdam, Principem nomine, alternis diebus declamare, alternis disputare, nonnullis vero mane disserere, post meridiem, remoto pulpito, declamare solitum. *Forsitan hic erat, vel nepos, vel consanguineus noti tibicinis ejusdem nominis, qui Mimo Bathyllo operam in scena dabat Augusti aevo, et* cujus flatibus

Solebat excitari saltantis vigor.

Vide Phaedri Fabulam 7. lib. 5., *ubi lepida de hoc tibicine narrantur.*

Pronunciatio *Vet. Romanorum Scripturae conformis non erat, p. 75. Sensim immutata, ibid. Tandem post Augusti aevum Romani pronunciabant perinde, ac scribebant, ibid.*

Punctum: *quo pacto veteres Romani* Puncto *pro interpunctione, scribendo, uterentur? pag. 78.*

Punica *bella praecipua, in quibus Romani victores Poenorum fuerunt, quot, et quantum durarint? p. 78. Quisnam primus praelio maritimo Poenos vicit? Vide* Duellius *in* D.

Puteal *Romae quid? p. 78. ubi situm? ibid.*

P *littera. Nonnulla de hac littera pag. 79.*

Q

Quantitas Syllabarum. Vide Pronunciatio *in* P. *Quo pacto vet. Romani in pronunciatione indicabant Vocales breves, et longas? pag. 79. Latini carent vocalibus perpetuo brevibus, et perpetuo longis, quas Graeci habent, ibid. Variatus in scriptura usus notandi vocales breves, et longas, ibid.*

Quaestores *quinam Romae Urbani, quinam Castrenses? et quaenam eorum munera? pag. 79, et 80. Erat infimus Magistratus, ibid. Quaenam aetas ad eum obtinendum requisita, ibid.*

Quirites *Cives Romani Sabino vocabulo appellati, pag. 81.*

Q *littera. Ea saepe usi antiqui Romani loco* C, *et contra in multis vocabulis, pag. 81, et 82.* Q *littera nexus reputata litterae* c, *et* u: *ibid.*

R

Reges *Roma expulsi quando, et quamobrem? pag. 82. Quot fuerunt, et quot annos Romae regnarunt? pag. 87.*

Rex *sacrorum quisnam, et quodnam ejus munus? pag. 82. Ei non licebat cum populo agere, nec Magistratum obtinere. ibid. Ejus Domus* Regia *appellabatur, et ejus uxor* Regina, *ibid.*

Rhetores. *Quibusnam, diversis temporibus, attributum Romae Rhetoris nomen? pag. 83.* Rhetores *Roma ejecti quo tempore, et quamobrem? ibid.* Rhetorum *sectae diversae, pag. 83. Ciceronis aevo* Rhetorum *turba, ibid.*

Ritus *Romanorum Ethnicorum in Sacrificiis, ubi de victimis albis, et nigris, et de ritu eas immolandi, pag. 83.*

Roma. *Ejus initia, p. 85: quo anno a Romulo fundata, ibid. Ejus ambitus variis temporibus, pag. 87. Incolarum numerus incredibilis sub Claudio, pag. 87.*

Romani *unde orti? pag. 84. Eorum doctrina, et a quibus accepta? ibid. Eorum ingenia, et studia, ibid. Eorum superstitio in inanium Deorum cultu, ibid.* Romanorum *praenomina, nomina, cognomina, et agnomina, quo pacto* Romanos *distinguerent, et qua ratione diversis temporibus Auctores citarentur? pag. 84, et 85. De* Romanorum *fortuna prospera, et adversa, ibid. Romani litteram* R, *quam* Caninam *appellabant, difficulter pronunciabant, pag. 94.*

R *littera a Romanis commutari solebat cum* S *in medio, et fine vocabulorum, tum in scriptura, tum in pronunciatione, pag. 94.*

S

Saltandi *Ars inter nationes omnes communis, an Romanorum scriptis tradita, et illustrata? pag. 96.*

Satyrici *Poetae legibus 12. Tabul. coerciti. Vide* Poetae.

Scholae *publicae Romae, in quibus etiam puellae grandiusculae, litteris instituebantur, an. U. C. 301. pag. 100.* Scholae *Grammatices Romae. Vide* Grammatica. Scholae *Latinae Litteraturae etiam in Orientis provinciis, pag. 100.* Scholae *Gladiatorum. Vide* Gladiatores *in* G.

Scribae *Romani. Eorum decuriae, et munus, pag. 101. Romae* Scribae *tanto in honore non erant, quanto Athenis, ibid. Romae non poterant Magistratus obtinere, nisi positis tabulis, ibid. Erant viri ingenui, et juniorum Magistratuum doctores, ibid.*

Scripta *antiqua Romanorum a Gallis combusta, pag. 100. Innumera Latina Scripta Romanorum deperdita, ibid. Non pauca, quae latebant, inventa, et a quibus? Vide dicta in* Praefatione, *et sparsim per totum Opus.*

Scriptores *Romani. Eorum multitudo, pag. 102. Vide* Historici: Poetae.

Sectae *variae Jurisconsultorum, p. 180, et 181. primae Partis.* Philosophorum: *vide* Graeci. Rhetorum: *vide* Rhetores.

Senatus *Romanus, a quo institutus, ex quibus compositus, et quibus in locis Romae cogebatur? pag. 109. In Senatum adlecti, quem annuum sensum habere debebant? Vide* Patricii *in* P. *Senatores ex Italia excedere non poterant Augusti aevo sine Imperatoris facultate, ibid. Quinam Pedarii dicti? ibid. Litteram* C *in calceis gestabant, et cur? ibid. Aetas requisita ad Senatorium munus. Vide* Magistratus.

Sententiae *insignes nonnullae P. Syri Mimi, et Laberii, p. 129, et 130.*

Servi *non pauci Romae, doctrina clari: sparsim per totum Opus. Vide* Liberti.

Sestertius, *et* Sestertium *Romana pecunia valde diversi valoris, pag. 115. Unde* Sestertius *dictus? ibid.*

Sicilicum *quid, et cujus usus? Vide* Litterae *in* L.

Soloecismus *quid, et unde dictus? pag. 120. Fieri potest, etiam in gestu, ibid.*

Statuarii, *quo ab Sculptoribus differant? p. 121. verbo* Statuarii.

Stoici *Philosophi, ut arrogantes notati, et ut nugarum mercatores, p. 122. Contra eos scripsit Plutarchus eos irridens, ibid.*

Suicidium *inter Ethnicos Romanos frequens, et ab Stoicis laudatum, pag. 123. Parum commendat eorum sapientiam, et humanitatem, ibid. A Christianis humanitatem Ethnici didicerunt, ibid. Vide* Latro *in* L.

Supputandi *Ars valde manca apud antiquos Romanos, pag. 125. Algebra sublimis, et Calculus differentialis Romanis priscis ignotus, ibid.*

Sybillae, *seu Vates foeminae versibus vaticinabantur inter Ethnicos, p. 125.* Sybillarum *numerus, ibid. Earum Libri Romae diligenter custoditi, ibid. Vide* Tarquinius *in* T. *Combusti cum Capitolio, ibid. Quaesita Exemplaria in provinciis jussu Augusti, et magna cura custodita a XV Viris, ibid. Combusta haec tandem jussu Theodosii ab Stolicone, ibid. Libri Sybillini, qui nunc leguntur, supposititii sunt, ibid.*

S *littera non duplicabatur a Romanis, pag. 130. Erat parum grata Romanis, ibid.*

Tabulae 12, *in quibus Romanorum leges post Reges ejectos incisae: Vide* Leges *in* I. Parte, *et pag.* 131. *in* Parte II. Tabulae *Censoriae, ibid.* Tabulae *Cerites. In eas referri quid esset? ibid. Nonnullae leges* 12 Tabularum *inhumanae, ibid.* 12. Tabularum *leges nonnullae descriptae, pag.* 149.

Theatrum. *Vide* Amphitheatrum *in* A.

Thermae, *seu Balnea sudatoria instar provinciarum Romae, p.* 138. Thermae *Neronianae, ibid.*

Tirones *qui? Vide* Toga.

Toga, *Indumentum Romanorum, ut Pallium Graecorum, p.* 143. Gens Togata *Romani appellabantur, ibid.* Toga *candida Tirones Militares, et alii, quos* Candidatos *appellabant, induebantur, ibid. Galliae pars* Toga *utebatur, et* Gallia Togata *idcirco fuit olim appellata, ibid.*

Tribuni *pl. tutores plebis contra Patricios, p.* 145. *Ante Curiae valvas subsellia sua habebant, ibid. Decreta Senatus diligenter examinabant, et jus intercedendi, seu ea improbandi habebant, ibid. Senatusconsulta eisdem probata rata erant, et littera* T *notabantur, ibid. Aedes Tribunorum pl. diu, noctuque omnibus patebant, ibid. Tribunicia potestas Sacrosancta, ibid. Sublata a Sylla, et postea restituta, ibid. Imperatores sibi arrogarunt Tribuniciam potestatem in perpetuum, ibid.*

Trismegistus, *Aegyptius Phil. Mose posterior, a quo veri Numinis cultum didicit, pag.* 146. *In Dei laudem hymnos panxit, ibid. Scripta, ei attributa, supposititia a nonnullis censentur, ibid.*

Triumphus *summus honor Romae belli ducibus attributus, cum ex bello hostium victores Romam redibant, p.* 146. *Triumphalis pompa a Cicerone descripta, ibid. Quisnam primus quadrigis vectus Romae triumphum egit? pag.* 77.

Troja, *unde Romani per Aeneam, et comites, si vera narrant Rom. Historici, ducebant orginem, victa, et combusta a Graecis non fuit secundum nonnullos, quidquid Homerus, et post illum alii scripserint, p.* 146.

T *littera. De ea vide dicta* Coroll. 2. *in littera* A, *et* Coroll. *postremo in littera* D. *Nonnulla, quae nunc per* S *scribuntur, olim per* T *scribebantur, pag.* 150. T *littera, an littera longa, quam Staphila de se facere volebat, ex trabe se suspendens apud Plautum? ibid. Littera* T *addebatur Senatusconsultis, a Tribb. pl. adprobatis, pag.* 145.

V

Vaticinium *de Imperii Romani occasu post* 1200. *annos ab ejus exordio, adimpletum fuit Augustulo imperante prope finem* 5. *Eccl. seculi. Vide* Vectius, *p.* 155. *Virgilius hoc Vaticinium perperam refutavit canens, Jovem Romae imperium sine fine dedisse, ibid. Occasus Romani Imperii caussa quae? Vide* Luxus *in* L.

Verba, *seu vocabula: qua ratione illis utendum? p.* 155. *Varro ajebat,*

ea verbis Poetarum delectari, sed non uti: antiquis uti, sed non delectari. *Vide* Varro *pag.* 153.

Versiones *variae antiquae Latinae ex Graeco, et ex linguis aliis deperditae, pag. 156. Romani antiqui valde diligentes in vertendis exterorum Operibus illustrioribus, p. 155.*

Versio *vulgata Latina antiqua Sacrae Paginae deperdita, pag. 155. Quaenam nunc Autentica? ibid. Emendata haec in multis, ad fidem, et mores non spectantibus, nec adhuc perfecte emendata, ibid.*

Vestales *Virgines, Cereris sacerdotes, quae, et quodnam earum munus? pag. 157. Stupri convictae, vivae sepeliebantur, ibid. Flagris caedebatur, quae ignem extingui sinebat, ibid. Earum dignitas, et privilegia ibid. Earum Collegium suppressum a Theodosio M. ibid. Vide* Pontifices *in* P: Symmachus *in* S.

Vitriaria *Ars, seu vasa vitrea, et Crystallina conficiendi ratio Romanis ignota usque ad Augusti aevum, p. 160. Ignota etiam Sinis, seu Seribus usque ad praesens seculum, ibid. Artifices Vitriarii Roma a Tiberio Caesare ejecti, quamobrem? ibid.*

Vocales *litterae nonnullae valde inter se affines in pronunciatione apud priscos Romanos, p. 161.*

V *littera alia consonans, vocalis alia, p. 162., et seq. Antiqui Romani unica* V, *nunc consonante, pro vocali, et pro consona indiferenter utebantur. Vide* Corollarium *postremum in littera* F *Partis* 1. *Littera* V *utebantur in multis vocabulis loco* Y, *p. 164.*

X

X *littera parum inter Romanos ante Claudium Caesarem usitata, p. 163. Multa, scripta postea per* X, *scripta inveniuntur per* C, *et* S, *et per* G, *et* S, *ibid. Nihilominus in columna Rostrata C. Duillii invenitur littera* X, *ibid. Ea utebantur pro numero denario indicando, ibid.*

Y

Y *Graeca littera, a Romanis solum usitata in vocabulis Graecis origine, et in nonnullis omissa, pag. 164. Ejus loco utebantur, vel* U, *vel* I *Latina, ibid. Sonus ejus qualis? ibid.*

Z

Z *littera est compendium litterarum* D, *et* S., *pag. 165. Nonnulla quae nunc per* Z *scribuntur, inveniuntur exarata a priscis Romanis per* D, *alia per duplicem* S, *ibid. Romani parum libenter peregrinis litteris utebantur ibid.*



AUCTORIS HUJUS SYLLABI JUDICIUM

DE FABRICII VETERE BIBLIOTHECA LATINA,

AB ERNESTO EMENDATA, ET AUCTA,

AD V. CL. HIERONYMUM FERRIUM,

in Publ. Ferrariensi Gymnasio Humaniorum Litterarum Professorem.

MAjori ex parte lucubrato, et ad umbilicum fere perducto hoc *Specimine Veteris Romanae Litteraturae cet.* a te, Vir Cl. supra meritum commendato, *Bibliothecam Vet. Latinam* Fabricii, ab Ernesto emendatam, et auctam mihi humanissime, praeter libros alios, commodavit *Conterraneus* (*a*), et *Contubernalis* olim meus, publicae Ferrariensi bibliothecae Praefectus, in librorum tum Graecorum, tum Latin., eorumque editionum historia, et κρίσι versatissimus, Lucianus Gallissá. *Bibliothecam* illam cum in manibus meis viderent nonnulli ex sodalibus, instanter ex me quaesierunt, quid de ea sentirem? Respondebam, tutum non esse, sed plenum opus aleae, de tam laudato a multis Opere libere judicare. Verum quandoquidem Ernestus (exemplo forsitan Vett. Romanorum, qui nefas non duxerunt, a minus doctis doctiores, per quos profecerant, censoria virgula notari) de Fabricii *Bibliotheca* judicium suum expromere, ac ejus vitia castigare non dubitaverit; aequo animo eum laturum addidi, siquis, licet minus eruditus, audebit de emendatione, et editione praefatae *Bibliothecae*, ab eodem curata, sensum suum candide aperire; quod faciam, pro certo habens, qui de Judicio nostro, deque hoc *Specimine*, seu *Syllabo Historico*, *et Critico*, quem typis damus, judicent, et errata castigent, non defuturos. Et hoc quidem nos minus aequo animo, modo sine Hipponactaeo praeconio fiat, neutiquam feremus. Summa enim aequitate fit, ut, qui priores tempore judicant, a posterioribus, vel aequalibus judicentur: cum, et in multis deficiamus, et secundum Jurisconsultos *Digestt.*, *Quod quisque juris*, *Lege* 1, idem jus nobis dici, quod aliis diximus, aequissimum habeatur.

Jam vero nemo ullus ierit inficias, plura in hacce Fabricii, seu Ernesti, *Bibliotheca* contineri valde utilia noscere cupientibus, cum varias, et multiplices editiones veterum Latinorum Operum, quae

---

(a) *Vocabulis istis militaribus utitur fortassis Auctor, quia de eo loquitur, quocum eidem sacrae militiae olim adscriptus in Hispania fuit.*

aetatem tulerunt, et hodiedum supersunt, tum etiam eorum illustratores: qui praecipuus Fabricii scopus in sua edenda *Bibliotheca* fuisse videtur. Multa item scitu digna ad Historiam litterariam spectantia de Auctoribus antiquis in ea legi; licet multo plura minus nota in aliis sparsim inveniantur, quorum nonnulla addere potuisset Ernestus, quando sibi proposuerat, Fabricii *Bibliothecam* auctam dare. Illud vero, (quod bona cum Ernesti venia dictum velim) non admodum probatur: quod nempe a viro doctissimo nuda saepe nomina Auctorum Latinorum, in plerisque *Indicibus* adductorum, reliquerit, quin de eorum aetate, professione litteraria, muniis, patria, natione quidquam tradiderit: quae scire lectores non poeniteret. Minus adhuc probatur, quod in diversis *Indicibus* iidem Auctores non pauci repetiti legantur, quodque inter eos complures reperiantur, quorum, ut rerum etiam ad eos spectantium, notitia, quamvis in Graeca Bibliotheca locum sibi jure vendicet, in Latina omitti sine jactura poterat: cum Latialis litteraturae expertes illi prorsus fuerint, nullumque cum Romanis commercium habuerint, quod sciamus.

Nec dissimulandum, multos desideraturos in hac Ernestina editione *Indices Alphabeticos* Romanorum Litteratorum, quorum mentionem fecerunt in Operibus suis Tullius, T. Livius, Petronius, Tacitus, Suetonius, Martialis, et alii antiqui Latini Scriptores, qui eruditorum manibus teruntur. Quos *Indices* si addidisset Ernestus, et eis auxisset Fabricii *Bibliothecam*, in qua alios *Indices* invenit; rem praestitisset lectoribus non ingratam: praesertim si majorem curam in citationibus, et in Lipsiensis suae editionis correctione adhibuisset, antilogiasque, vel suas, vel Fabricii devitasset: si insuper ad copiosum generalem Indicem, sine Auctorum repetitionibus, particulares *Indices* redegisset, non praetermissa aetate, in qua praecipui saltem Auctores Latini, quorum Opera non exstant, traduntur floruisse. Tunc sane poterat in fronte Fabricianae *Bibliothecae* verius inscribi: *melius delectam: rectius digestam*, et auctam ab Ernesto eam fuisse. Haec ego, ut morem gererem iis, qui Judicium meum de nova hac Fabricii *Bibliothecae* editione, ab Ernesto procurata, noscere discupiebant. Quae, si tibi, vir doctissime, (cui etiam multa mihi commodata ex selecta tua bibliotheca volumina, et ad me a te singulari humanitate delata, ad hoc Opus lucubrandum debeo) si, inquam, probata fuerint; tunc mihi, ac, ut puto, aliis, et gratius, et probabilius hoc Judicium meum erit, non quia meum, sed quia tuum. Vale.



ERRATA,


fere omnia in una tantum, aut altera littera, emendanda.

IN PARTE I.

Pag. 1. linea 15. lege *Byzantium*. Pag. 4. lin. 8. lege *Accii*. Pag. 11. lin. antepenult. lege *Philostrato* pro *Philastrio*. Pag. 30. lin. 35. lege *Phoenicoptero*. Pag. 32. lin. antepen. lege: *Nisi si mentitur* pro *Si non mentitur*. Pag. 39. lege *in Arte* pro *in Satyris*. Pag. 41. lin. 20. post *Atheos* adde *appellabant*. Pag. 61. lin. 14. lege *Hieronymo*. Pag. 65. lin. 11. lege *Ravennate*. Pag. 93. lin. 9. lege 16. pro 15. Pag. 96. lin. penult. lege *Charchedoniacon*. Pag. 98. lin. 5. lege *Nonnulli*. Pag. 112. lin. 13. lege *Crispus*. Pag. 148. lege *Praediatorio*. Pag. 151. lin. 2. lege *expeditione*. Pag. 166. lin. 15. lege *Neocaesareenses*. Pag. 203. lin. 22. lege *reddebant*.

IN PARTE II.

Pag. 6. lin. 23. lege *habitis*. Pag. 57. lin. 40. lege *Phoeniciis*. Pag. 64. lin. 9. lege *Illyricum*. Pag. 67. lin. 9. lege *Manilium* pro *Manium*. Pag. 71. lin. 35. lege *dic*. Pag. 72. lin. 4. lege *decepti*. Pag. 130. lin. ult. in Adnot. lege *Poggiani*. Pag. 176. lin. 37. pro pag. 32. lege p. 51.



7

EH

